JO. LAURENTII
BERTI
FLORENTINI
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, aucta, & ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata, cui præter ea omnia, quæ in anteacta noſtra addita fuerant, accedit nunc primum ejuſdem Auctoris DISSERTATIO in Defenſionem Encyclicæ BENEDICTI XIV. adverſus quatuor dubiorum conſarcinatorem.

TOMUS SEXTUS

CONTINENS

ANONYMI SCRIPTORIS OPUSCULUM INSCRIPTUM, JANSENISMUS REDIVIVUS, EJUSQUE CONFUTATIONEM.

ROMÆ,
MDCCLXV.

SUMPTIBUS JOSEPHI REMONDINI VENETI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

IO. LAURENTII

BERTI

FLORENTINI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum typis vulgatum, recognitum, & privatis adnotationibus illustratum.

Generalemque rerum indicem ad calcem appositum.

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA,
QUÆ NACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejusdem Dissertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, aucta, & ad illum quoque Scholæ Regiantæ accommodata, cui prætor ea omnia, quæ in antecedentibus nostra edita fuerant, accedit nunc primum ejusdem Auctoris DISSERTATIO de Definitione Encyclicæ BENEDICTI XIV. adversus quatuor dissidentium conjurationem.

TOMUS SEXTUS

COMPLECTENS

ANONYMI SCRIPTORIS OPUSCULUM INSCRIPTUM, JANSENISMUS REDIVIVUS, EJUSQUE CONFUTATIONEM.

ROMÆ,

MDCCLXV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX

CAPITUM, ET ARTICULORUM,

Quæ in Janſeniſmo Redivivo continentur.

Janſeniſmi Synopſis hiſtorica. pag. 5

PARS PRIMA.

Janſeniani ſyſtematis expoſitio. 7

ARTICULUS I.

Famoſum Janſenii principium, de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus. ibid.

ARTICULUS II.

De prima Janſenii Propoſitione. 9

ARTICULUS III.

De ſecunda propoſitione Janſenii. 12

ARTICULUS IV.

De tertia Propoſitione Janſenii. 13

ARTICULUS V.

De quarta Janſenii Propoſitione. 14

ARTICULUS VI.

De quinta Propoſitione Janſenii. 16

ARTICULUS VII.

Quod quinque Janſenii Propoſitiones neceſſario fluant a famoſo ejuſdem Novatoris principio. 19

PARS ALTERA.

Fratres Bellelli & Berti Janſeniſmi convincuntur. 21

ARTICULUS I.

F. Bellelli reno vat Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis, & relative invincibilibus principium. ibid.

ARTICULUS II.

De ſignificatione horum verborum, homo poteſt, homo non poteſt. 22

§. I. *Gratia gradibus minor cupiditate quam admittit F. Bellelli veram non confert poteſtatem operandi bonum.* 23

§. II. *F. Bellelli docet voluntatem reſiſtere non poſſe gratiæ, quæ gradibus cupiditatem ſuperat.* 24

ARTICULUS III.

De legitimo ſenſu hujus vocabuli neceſſe eſt. 26

§. I. *Scholaſticæ Theologorum Orthodoxorum diſtinctiones ſyſtemati Bellelliano nullatenus congruunt aut aptari poſſunt.* 27

§. II. *De aliis diſtinctionibus a F. Bellelli uſurpatis.* 28

ARTICULUS IV.

De notitia & eſſentia liberi arbitrii a F. Bellelli tradita: 29

ARTICULUS V.

Ubi demonstratur quam perfecta sit Bellellinæ doctrinæ cum Jansenianâ consensio. 33

ARTICULUS VI.

Frater Berti famosum docet Jansenii principium de duabus delectationibus indeliberatis pro graduum superioritate invincibilibus. 34

ARTICULUS VII.

F. Berti ab errore primæ Propositionis Jansenianæ non recedit. 37

ARTICULUS VIII.

F. Berti ab errore secundæ Propositionis Jansenianæ non recedit. 38

ARTICULUS IX.

F. Berti ab errore tertiæ Propositionis Jansenianæ non recedit. 41

ARTICULUS X.

F. Berti ab errore quartæ Propositionis Jansenianæ non recedit. 43

ARTICULUS XI.

F. Berti ab errore quintæ Propositionis Jansenianæ non recedit. 44

ARTICULUS XII.

Totius Operis summaria collectio. 48

JANSENISMUS REDIVIVUS

In Scriptis PP. FF. BELLELLI & BERTI, *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.*

UT clarior habeatur Janſeniſmi notitia, prius ſubjicienda videtur eorum quæ præcipue in Janſenii cauſa geſta ſunt brevis enarratio.

Cornelius Janſenius Yprenſis Epiſcopus Librum in defenſionem Bajani ſyſtematis edidit, cui hunc præfixit titulum; *Auguſtinus, ſeu Doctrina S. Auguſtini de humanæ naturæ ſanitate, ægritudine, medicina*, &c. ubi primum prodiit in lucem infauſtus hic, Liber, damnari meruit ab Urbano VIII. tamquam continens & renovans articulos, opiniones & ſententias reprobata atque damnatas in Conſtitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. adverſus errores Baji latis, quas Conſtitutiones confirmat & renovat idem Summus Pontifex. Ipſius Bulla, quæ incipit, *In eminenti*, data fuit pridie Nonas Martii, Ann. 1641.

I.

Cum per hanc Supremæ Sedis definitionem nulla cuique ſigillatim inurereter cenſura, hinc quidam factioſi ac novitatem peramanter ſtudioſi occaſionem avide arripuerunt, tum privatim, tum in Scholis publicis, ac præſertim in Pariſienſi Univerſitate, nonnullos propugnandi errores, quos Janſenius uberius expoſuerat, & qui e Bajano ſyſtemate tamquam novi furculi emicabant. Adverſus has novitates inſurrexerunt plures Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctores; & excreſcentibus in dies diſſidiis atque rixis, eo tandem malum devenerat, ut niſi fuiſſet prompto ac efficaci remedio ſanatum, imminens tunc aderat periculum ne perverſa Doctrina, quæ ut peſtis graſſabatur, ſummo deinde Religionis detrimento prævaluiſſet.

II.

His commoti Gallicani Epiſcopi numero 85. ut hæ ſedarentur commotiones ac tumultus, & ne audacior inde error evaderet, nihil fatius ac convenientius fore judicaverunt, quam ſi tota hæc controverſia ad Summum Pontificem deferretur ab ipſo dirimenda. Quare datis ad Innocentium X. Litteris, ineunte anno 1651. obteſtati ſunt, ut has præſertim propoſitiones expenderet, *de quibus*, ut ajebant, *diſceptatio periculoſior ac contentio ardentior eſt*; & ut perſpicuam ac certam de unaquaque ſententiam ferret.

Innocentius X. acceptis his Litteris die 12. Aprilis 1651. hac eadem die ad examen delatarum propoſitionum Congregatione inſtituit, quæ conſtabat quinque Cardinalibus ac tredecim Conſultoribus. Selecti illi Cardinales per duos & amplius annos, triginta ſex celebrarunt Congregationes, ſeu Seſſiones, quibus decem ultimis interfuit Summus Pontifex, qui tandem die ultima Maji anni 1653. re maturo examine diſcuſſa, expenſa, ponderata, Conſtitutionem emiſit, qua quinque Propoſitiones ſequentes variis cenſuræ notis ab Innocentio X. perſtringuntur, videlicet:

Prima ſic habet. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Hanc temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declarat, & uti talem damnat.

Secunda. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Hanc hæreticam declarat, & uti talem damnat.

Tertia. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.*

Hanc hæreticam declarat, & uti talem damnat.

Quarta, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Hanc falſam & hæreticam declarat, & uti talem damnat.

Quinta. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Hanc falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu *ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declarat, & uti talem damnat.

III.

Præfatam Innocentii X. Conſtitutionem omnes ubique reverenter atque obedienter ſuſceperunt, nec ullus unquam inventus eſt qui huic palam auſus fuerit contradicere. Diſcipuli tamen Janſenii, quamvis quinque propoſitiones Decreto illo proſcriptas damnare ſe profiterentur, eas rejiciebant alio plane ſenſu, quam qui a Janſenio traditus atque explicatus fuerat, ad quem propoſitiones illas nullatenus pertinere conſtantiſſime aſſerebant, ſicque Decreti Apoſtolici majeſtatem ad fictas controverſias dirimendas moliebantur turpiter dejicere.

Huic inani Novatorum effugio occurrere volens Alexander VII. aliam Conſtitutionem edendam cenſuit decimo ſeptimo Kalendas Octobris 1656. qua poſt confirmatam prædeceſſoris ſui definitionem declarat ac definit quinque illas propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe.

Notatu dignum videtur iſtius Bullæ procemium, quod ſic habet. *Cum autem, ſicut accepimus*, inquit Alexander VII. *nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictas & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident: Nos qui omnia quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter & attente perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris noſtri juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt, ea profecto diligentia, qua major deſiderari non poteſt*, &c.

IV.

Etſi Diſcipuli Janſenii Conſtitutioni Innocentii X. ſimulate dumtaxat obtemperarent, eandem tamen, etiam ſimulatam, obedientiam Bullæ Alexandri VII. præſtare renuerunt. Contenderunt enim & pertinaciter aſſeruerunt illam Conſtitutionem, qua parte definierat

Declaratio DD. de Lalane & Girard. tradita Conventum Episcopo, die 24. Septembris 1663.

quinque propositiones esse ex Jansenii Libro excerptas, & sensu ab eodem Auctore intento damnatas, nihil aliud definisse quam quæstionem facti, atque definitionibus ejusmodi obsequioso silentio satisfieri, scilicet neque eas oppugnando, neque eis resistendo. *Quod spectat*, inquiunt in Scripto quodam ab eis tunc temporis tradito, *ad decisiones facti, quæ continentur in Constitutione Alexandri VII. quibus definitum est quinque propositiones ex Jansenii libro excerptas esse, & in sensu ab eodem Auctore intento damnatas, declaramus nos eas definitiones omni cultu, obsequio, & observantia, quam exigit a Fidelibus Ecclesia in similibus causis, & in ejusmodi naturæ rebus prosequi, & semper esse prosequuturos; arbitrati ad privatos Theologos nullatenus pertinere in Sanctæ Sedis decisiones insurgere, eas oppugnare, vel eis resistere.*

Errabant sane hi Novatores, quasi Ecclesia, ut fidei depositum custodiat inconcussum atque immaculatum, non possit adigere Fideles ad damnandum simul cum erroribus librum in quo hi asseruntur, vel ad damnandos errores ipsos in sensu intento ab Auctore ejusdem libri. Si hæc non posset Ecclesia, deessent illi media necessaria ad servandam in sua integritate Catholicam Fidem, ideoque ne adversus eam prævalere possint Inferi portæ, requiritur, ut possit reprobare atque damnare, non solum propositiones *in abstracto*, quæ sunt oppositæ Fidei, sed etiam propositiones in tali & tali sensu acceptas, ac proinde in sensu ab Auctore intento. Et vero Ecclesia, pro summa sua qua pollet auctoritate, ad hoc eos adegit, ut scilicet adversus quinque propositiones ex Cornelii Jansenii Libro excerptas definitioni suæ subscriberent, ac dictas propositiones ex interiori mentis assensu rejicerent ac damnarent.

V.

Ad hunc finem Alexander VII. Bullam edidit 15. Kalendas Martii anno 1665. in qua continetur illa Fidei formula, ad quam subscribendam tenerentur omnes, & quæ sic habet.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Martii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen, Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno; & ita juro; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Hanc Formulam mandat in eadem Constitutione Summus Pontifex subscribi ab omnibus Archiepiscopis & Episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus quam Sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus atque Magistris.

Pontificiæ auctoritati accessit Regia, & Ludovici XIV. Edicto sancitum est, Mense Aprili ejusdem anni, ut in toto Gallicano Imperio illa subscribendæ dictæ Formulæ disciplina rite servaretur, & accurate executioni mandaretur.

VI.

Mirum quot cavillationes, quot diverticula quæsierint Jansenii Sectatores, ut eas Leges adversus ipsos latas eluderent, sibi, aut saltem aliis, persuadere volentes interius mentis obsequium atque juramentum ab Alexandro VII. præscriptum attingere solummodo quæstionem juris, scilicet an hæreticæ sint quinque Propositiones in se consideratæ, non autem quæstionem, quam falso vocabant quæstionem facti, nempe an Jansenius eas docuerit, damnatæque sint in sensu Jansenii. Sed nihil hoc perfugio futilius: ad hunc enim finem tantummodo exarata fuit atque præscripta hæc formula, ut cogerentur Novatores damnare quinque propositiones in sensu a Jansenio intento. Qua ergo fronte audebant asserere subscribi posse licite huic formulæ ab iis qui falso contendebant eas propositiones in Jansenio non reperiri, illasque non esse damnatas in sensu Jansenii, nec cessabant tueri eas in sensu a Jansenio intento?

Nonnulli tamen, licet pauciſſimi, Formulario nullatenus posse subscribi prædicabant; reputabant enim se non posse Jansenii damnationi subscribere, quin simul & doctrinam quam Augustini esse falso existimabant proscriberent. Plures autem alii, ne beneficiis jam obtentis spoliarentur, vel ne ad ea obtinenda omnis eis aditus præcluderetur, subscribebant, & mente licet dissentiente asserebant dictæ formulæ licite posse subscribi. Verum inter eos alii pure & simpliciter subscribebant, fallaciter, ut jam dictum est, contendentes juramentum dumtaxat exigi erga quæstionem juris, non autem erga quæstionem facti. Alii autem paulo sincerius putabant neminem posse, tuta conscientia, Alexandri VII. Formulæ subscribere sine aliqua distinctione aut limitatione, profitentes se damnare quidem quinque propositiones in sensu verborum obvio, id est, in eo quem postea ad arbitrium fingebant. Quoad vero quæstionem facti, circa illud, obsequiosum se semper observaturos silentium pollicebantur.

Supervacaneum foret hic examussim enarrare quidquid a Jansenii Discipulis ad eludendas Summorum Pontificum Constitutiones actum aut scriptum est. Somniabant autem, non solum licitam esse in Formularii subscriptione prædictam juris & facti distinctionem, sed etiam hanc distinctionem necessario subintelligi, dum dictæ Formulæ pure & simpliciter subscriberent.

VII.

Adversus hos omnes infurrexit Clemens XI. Bulla data 17. Kalendas Augusti, anni 1705. quæ incipit his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*, & quæ reverenter suscepta est ab universa Ecclesia. In ea Summus Pontifex, post renovatas atque confirmatas Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, decernit ac declarat, *Obedientiæ quæ dictis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque prefatis propositionibus Jansenianæ libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ab omnibus Christi Fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.*

Hac Constitutione præclusa sunt omnia Sectatorum Jansenii effugia, quibus doctrinam hæreticam in quinque Jansenii propositionibus damnatam cum subscriptione Formularii conciliare tentabant.

VIII.

Verum non potuerunt hæc tela Jansenianam hæresim omnino perimere. Yprensis Episcopi Sectatores aliam excogitaverunt viam qua errores suos impune, si fieri posset, disseminarent. Prodiere nonnulli, qui perfectam & omnimodam Constitutionibus Apostolicis obedientiam profitentes, systema tamen Jansenianum hæresesque in quinque propositionibus damnatas non deseruerunt, imo sub velamine vocabulorum specie tenus Catholicorum eas satis aperte docuerunt. Inter eos eminent PP. FF. Bellelli & Berti Eremitæ Augustiniani, quos in altera dissertatione nostra Bajanismi convictos, in hac nunc Jansenismi suscipimus convincendos. Ut autem propositum nostrum assequamur, necesse est ut eundem ordinem in hoc Opusculo nobis præscribamus, quem in altero jam secuti sumus. Itaque antequam Scripta FF. Bellelli & Berti perpendamus, exponemus primum in quo consistat Jansenianum systema; & ideo sit.

PARS PRIMA
JANSENIANI SYSTEMATIS EXPOSITIO.

JANSENIUS non ſolum renovavit errores Baji, de quibus actum eſt in altero Opuſculo noſtro, ſed novos etiam adjecit, qui tamen nihil aliud ſunt, quam conſectaria quædam ex Bajano ſyſtemate fuſius explanato manantia. Hi novi errores, quos complectitur Janſenianum ſyſtema, continentur in quinque propoſitionibus quas ab Innocentio X. damnatas fuiſſe modo diximus.

Poſt præfatam Innocentii X. Conſtitutionem ne unus quidem apparuit, qui aliquam ex damnatis propoſitionibus palam & expreſſe auderet propugnare. Sed quia inter Janſenii Diſcipulos plurimi extitere qui Magiſtri doctrinam ſub aliis terminis atque ſub nova forma renovare tentarunt, ideo neceſſe eſt accuratius inquirere, quæ ſit doctrina illa, quam in quinque propoſitionibus reprobavit Summus Pontifex, ſeu in quo ſenſu damnatæ ſint hæ propoſitiones.

Ut autem germanum & legitimum illarum ſenſum ſecurius & planius aſſequamur, neceſſe erit hic ſubjicere atque exponere famoſum, quod confinxit Janſenius, principium, a quo illæ tanquam rivuli a fonte neceſſario fluunt. Exponemus itaque primo palmare illud Janſenii principium de duabus delectationibus indeliberatis & pro graduum ſuperioritate invincibilibus.

2. Oſtendemus doctrinam quinque propoſitionum Janſenii neceſſario emanare ex præfato ejuſdem Novatoris principio. Et quia Novatores, ut eluderent Bullarum Pontificiarum auctoritatem, varios tribuere conati ſunt ſenſus ſingulis quinque Janſenii propoſitionibus, ideo his effugiis præcludendis ac refellendis nonnullos etiam impendemus articulos.

ARTICULUS I.

FAMOSUM JANSENII PRINCIPIUM, De duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus.

ITA per peccatum primi hominis ſaucíatam fuiſſe humanam voluntatem contendit Janſenius, ut vim omnem amiſerit flectendi ſe ad malum vel ad bonum, ac ſe in quam vellet partem pro nutu determinandi. Contendit præterea, eandem voluntatem ut agat, & agere poſſit, indigere delectatione quadam prævia & indeliberata, qua abſente voluntas eſt impotens, ea vero præſente fit potens, ſive ad bonum, ſive ad malum; ideoque niſi præcedat delectatio qua moveatur homo ad agendum, homo non agit, nec agere ullo modo poteſt.

I.

Ad hujus delectationis neceſſitatem totum Janſenianæ doctrinæ ſyſtema revocari poteſt. *Nemo*, inquit Janſenius, *animo amplectitur aliquid quod eum non delectat, & niſi delectet ..... voluntas moveri nullo pacto poteſt*: unde ulterius concludit poſt Adami lapſum, nullum poſſe perpetrari peccatum, niſi voluntas prævia delectatione ad illud provocetur ac pertrahatur: quod probare nititur ex diverſis quæ congerit Auguſtini locis, quibus tamen evidenter abutitur. *Ex iſtis teſtimoniis tam denſe ſparſis in Auguſtino*, inquit, *manifeſtiſſimum puto, nullum peccatum fieri ab hominibus, quin voluntas, quamvis per ſe ipſam ad peccandum prompta ſit, quadam delectatione prius titillante & pruritante provocetur, ut ita quodam quaſi Diaboli adjutorio, ut ita loquar, impulſa ad ruinam protrahatur.*

Janſen. lib. 4. de grat. Chr. Salvat. cap. 7. & lib. 5. cap. 6.

Ibid. cap. 3.

Nec etiam ad bonum docet poſſe ferri voluntatem ſine prævia impellente delectatione & complacentia. *Non aliter*, inquit, *poſſe moveri voluntatem ad bonum*, (ſentit Auguſtinus) *niſi quia delectatur bono, quia dulceſcit, quia arridet & placet, qua delectatione & complacentia ſi deſtituitur, velle nullo pacto poteſt.* Utrumque etiam docet, ſcilicet voluntatem humanam, nec malum facere, nec bonum operari poſſe, niſi præeat & titillet quædam delectatio. *Cæleſtis illa ſuavitas*, inquit, *mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum viſco emergere poſſit, & ſe ipſam in juſtitiam diligendam figere ..... Ex quo fit, ut ſi illa deeſt, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omnino boni amplecti poſſit: quemadmodum etiam e contrario nihil in carnalibus diligendis proſequi poteſt, niſi quod eam antea delectaverit.*

Janſen. Ibid. lib. 7. cap. 3.

Janſen. Ibid. lib. 4. cap. 7.

II.

Prævia hujus delectationis neceſſitatem ad bene agendum repetit, non ex natura præciſe voluntatis, ſed ex ipſius infirmitate, quam per peccatum contraxit. Hoc demonſtrare conatur lib. 4. de grat. Chr. Salvat. cap. 7. cujus hic titulus eſt: *Delectationis neceſſitas oritur ex infirmitate voluntatis, qua fit ut nihil boni amplecti poſſit, niſi delectet.* Hoc habetur etiam ex capitis noni titulo, qui ſic exprimitur: *Neceſſitas delectationis cæleſtis ad bene volendum & operandum, non ex natura voluntatis, ſed ex ejus pœna proficiſcitur*; & conſequenter eodem cap. 9. fatetur primævi parentis peccatum abſque ulla prævia delectatione fuiſſe commiſſum.

III.

Duplicem itaque diſtinguit delectationem; unam cæleſtem, quæ ad bonum; alteram terrenam, quæ ad malum movet & trahit; docetque eam delectationem ex qua bonum operamur, nihil aliud eſſe quam Chriſti gratiam. *Cum igitur*, inquit, *hæc ita ſint, quæ de iſta cæleſti delectatione, ſecundum Auguſtini mentem, diſſeruimus .... profecto certiſſime & invictiſſime, ſecundum eumdem Auguſtinum, concludere poſſe videor, ipſam eſſe veriſſimum illud adjutorium, quod Chriſtus attulit, ac quo ipſe in nobis operatur velle & perficere.* Et cap. 1. ejuſdem lib. 4. ſic habet. *Videbit enim perſpicue* (Lector.....) *gratiam iſtam Chriſti Salvatoris medicinalem, quam efficacem Schola vocat, non aliud eſſe quam cæleſtem quandam atque ineffabilem ſuavitatem, ſeu ſpiritalem delectationem, qua voluntas prævenitur & flectitur ad volendum faciendumque quidquid velle & facere conſtituerit.* Hanc ut ſtatuat doctrinam prima decem capita lib. 4. de grat. Chr. Salvat. reponit ac quaſi conſecrat, in quibus de ea gratia, quam delectationem cæleſtem nuncupat, fuſe diſſerit, nomenque terrenæ delectationis cupiditati tribuit.

Janſen. lib. 4. de grat. Chr. Salvat. cap. 8.

Ibid. cap. 1.

IV.

Duplex ergo illa delectatio, gratiæ ſcilicet aut concupiſcentiæ in præſenti ſtatu naturæ lapſæ, juxta Janſenium, voluntatem hominis ad agendum movet, eamque ad bonum aut ad malum inflectit ac determinat. Sed cum utraque delectatio rationis advertentiam & voluntatis conſenſum antevertat, Janſenius fateatur neceſſe eſt, quod utraque ſit actus indeliberatus: & revera id ingenue aſſerit, idque etiam ex profeſſo probandum ſuſcipit cap. 11. lib. 4. de grat. Chr. Salvat. *Delectatio iſta*, inquit, *quam ad omnia opera bona S. Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud quam actus quidam indeliberatus cælitus immiſſus in voluntatem ..... Dicimus igitur delectationem iſtam ſeu ſuavitatem in Auguſtino celebrem eſſe, partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia eſt, partim etiam & crebro ſecundum, qui deſiderium indeliberatum dicitur ..... Hæc delectatio qua ad conſentiendum faciendumque aliquid ſollicitamur, reperitur, juxta Auguſtinum, non tantum ad opera bona, ſed etiam ad mala ..... eſt vel ipſe primus concupiſcentiæ motus, quo bono terreno quaſi coaptatur animus, vel deſiderium indeliberatum, quo urgetur ad malum.* Ita Janſenius.

V.

Hæ delectationes indeliberatæ in ſyſtemate Janſeniano dicuntur etiam invincibiles, in hoc ſcilicet ſenſu, quod cum ſibi invicem adverſentur, ea quæ actu gradibus eſt inferior ſemper alteri cedat, imo neceſſe ſit debiliorem ſemper cedere illi quæ actu prædominatur.

Quod ſit in homine, dum vivit, cupiditatem inter & gratiam pugna quaſi continua, experitur quiſque etiam invitus; idque affirmat ipſe Janſenius: *Creberrime*, inquit, *docet Auguſtinus, quamdiu in hac vita mortali vivimus, eſſe in homine luctam quandam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cæleſtis, quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem trahit.* Interiorem tamen hanc pugnam non experiemur in Cælis, cum cupiditas futura ſit, tunc penitus extincta, neque etiam, juxta Janſenium, eam patitur homo in terris, antequam gratiam accipiat; ſed poſt acceptam gratiam bene aut male agit homo, prout una

Janſen. lib. 4. de gr. Ch. Salvat. cap. 4.

una delectatio alteri præponderat, & sic consensum abripit. *Quemadmodum*, inquit, *hic ante gratiam* Janſen. ibid. cap. 9. *istius cælestis delectationis non poterat quidquam agere boni, dominante ei sola delectatione creaturæ, ita post eam absorptam extinctamque nihil potest agere mali, dominante ei sola delectatione Creatoris. Inter quæ duo extrema, quamdiu in hac vita post acceptam gratiam militat Deo, alternante creaturæ & Creatoris delectatione, nunc recte, nunc perperam facit, prout Cæli aut terræ delectatio consensum ejus abripuerit.*

VI.

In conflictu duarum delectationum, illa quæ prævalet, secum semper voluntatis assensum trahit. Hanc doctrinam pluribus in locis statuit Jansenius, ac præsertim lib. 1. de grat. Chr. Salvat. cap. ultimo, ubi sic habet: *Quibus inter se colluctantibus, ille superat qui ardentior potentiorque fuerit*; & lib. 4. cap. 10. *Illam quippe suavitatem, quæ superaverit, voluntas consentiendo sequitur*. Et lib. 8. cap. 2. de cælesti delectatione differens; *tunc enim est victrix*, inquit, *quando alteram superat*.

VII.

Si autem duæ delectationes oppositæ inter se viribus æqualibus contranitantur, tunc in medio hærebit voluntas, nec operabitur, vel bene, vel male, sed suspensa dumtaxat remanebit: *Cum nulla sit*, inquit Janſen. ibid. lib. 4. cap. 10. Jansenius, *gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, sine dubio bene voluntas operabitur.*

VIII.

Illa autem delectatio, quæ actu gradibus superior est, ita movet ac ad unum determinat, ut voluntas ei nullatenus possit suum denegare consensum. Id passim variisque modis asserit Jansenius in Scriptis suis. Nunc docet quod delectationum inter se oppositarum collucatio sedari nullo pacto possit, nisi una alteri prævaleat. *Ille conflictus delectationum*, inquit, *sopiri non* Janſen. ibid. lib. 4. cap. 9. *potest, nisi altera alteram delectando superaverit*. Nunc contendit quod nisi superior sit cælestis delectatio, tunc concupiscentiæ illecebris victi victrici terrenæ delectationi necessario cedere debeamus. *Fieri non potest*, Janſen. ibid. cap. 6. ait, *quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur*. Affirmat præterea voluntatem moveri non posse, quin præcat aliqua delectatio, atque ad agendum impellat, neque posse voluntatem delectationi ad malum moventi resistere, nisi adsit altera delectatio major ac Janſen. ibid. lib. 7. cap. 3. ardentior quæ ad bonum inclinet ac determinet. *Quemadmodum enim*, inquit, *voluntas sine præeunte delectatione velle, vel consentire nequit; ita nec pravam delectationem sine aliqua majore delectatione ac meliore compescere*. Asserit etiam quod in conflictu duarum delectationum, nunquam fiat, imo nec fieri possit, ut major a minori vincatur; additque voluntatem ab eo volendo quod eam suavius afficit abstinere non posse, atque ita, sive in bono prosequendo, sive in malo perpetrando majorem scilicet requiri delectationem ad aliam oppositam debellandam. *In conflictu*, ait, *duarum delectationum non aliud omnino amplecti, nec ad* Janſen. ib. l. 4. cap. 7. *aliud amandum sequendumve moveri* (potest voluntas) *nisi quod vehementius delectaverit ..... Voluntas sine delectatione velle aut moveri, ut Augustinus loquitur, nullo pacto potest; quod sane respectu cujuslibet operationis locum habet: unde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur.*

Perpendens deinde necessitatem delectationis cælestis ad opus bonum, docet tantam esse, ut absque illa, nec ad bonum tendere possit voluntas, nec e duobus quæ nobis arridenr, illud quod minus arridet eligere. *Nec inter duo quæ delectant*, inquit, *aliud eli-* Janſen. ibid. cap. 9. *gere, nisi quod delectando superaverit.*

IX.

Ex hactenus dictis sequitur quod in statu naturæ lapsæ delectatio sit hoc unicum pondus quo, juxta Jansenium, voluntas necessario ad agendum applicatur. Hujus doctrinæ quasi basis ac fundamentum est quidam Augustini locus, quem Novator iste male intelligit ac prave interpretatur. Augustinus enim Commentario suo in Epistolam Pauli ad Galatas de iis agens in quibus regnat justitia, qui libera voluntatis electione ac determinatione virtutem vitiis anteponunt, & quos virtus consequenter magis delectat quam vitium, de iis, inquam, asserit Sanctus Doctor, quod, dum eis inest virtutis amor, talis amor impediat ne tentationi cedant, ac naturæ pravitate vincantur; quia scilicet tunc magis delectat virtus quam vitium, & hæc delectatio causa est cur non peccato consentiamus: nam, juxta Augustinum, quædam in nobis est necessitas ut id amplectamur quod nos blandius ac suavius afficit: *quod enim*, inquit, *amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Delectatio ergo, de qua loquitur Augustinus, oritur ex amore virtutis, & ex eo quod virtutem vitio libere præponamus: delectatio igitur illa in voluntate nata ex libera voluntatis determinatione procedit, & dum in corde viget, impedit ne in tentationem proruat. Perperam ergo contendit Jansenius Augustinum per id *quod amplius nos delectat*, intelligere delectationem prævium, indeliberatam & invincibilem, qua ad aliquid volendum necessario impellamur; & sensum esse quod nequeamus aliud velle nisi quando delectatio prævia, quæ ad volendum nos determinat, aut sola est in voluntate, aut major est delectatione opposita. Hoc sane ex citato Augustini loco erui non potest: quod ut clarius pateat, juvat hic integrum Augustini locum perpendere.

X.

Augustinus occasione accepta ex fructibus quos in animabus justis producit Spiritus Sanctus, & quos sic recensct Apostolus ad Galatas c. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*; asserit has virtutes in iis reperiri, in quibus non reperitur peccatum, in iisque regnare, si hæ virtutes eos tantum delectent, quantum necesse est ne in tentationem cadant & peccato consentiant. *Regnant ergo*, inquit, *spirituales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animam in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat*, *nam*, ut addit, *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*.

Verum per illam delectationem majorem, secundum quam necessario operamur, non intelligit Augustinus prævium aliquam & indeliberatam complacentiam in objecto proposito, sed deliberatum hujusce objecti amorem, qui determinat nos ad operandum modo quo par est, ut objectum sic amatum prosequi valeamus. Quod confirmari potest ex ipsomet Augustini contextu. Si quidem ut probet hujus interpretationis veritatem, adducit in exemplum hominem qui ad aspectum fœminæ forma specioſæ movetur ad turpia, qui tamen ab obscœnis abstinet, & casse vivit, si illum species castitatis plus delectet quam forma fœminæ quam vidit. *Ut v. g. occurrit*, inquit, *forma speciosæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima, & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per charitatem cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus*.

Perspicuum est quod hic agat Augustinus de amore deliberato castitatis, secundum quem actiones nostras dirigimus ac ordinamus; de amore etiam secundum quem tentationibus resistimus, & castitatem vitio opposito præponimus.

Quod autem ita accipi debeat Augustinus, manifestius adhuc erui potest ex alio Augustini loco deprompto ex libro 22. ejusdem Auctoris contra Faustum cap. 28. ubi Sanctus Doctor asserit Angelos & Adamum peccasse, quia illos aliquid illicitum delectavit: illud vero illicitum quod Angelos & Adamum delectavit, non potest sane intelligi de delectatione prævia indeliberata & invincibili erga malum, nulla quippe, nec in homine innocente, nec in Angelis admitti potest ejusmodi delectatio, quam ex infirmitate voluntatis per peccatum contracta ortam esse contendit ipsemet Jansenius; ergo debet intelligi de delectatione deliberata, qua Adamus & Angeli rei illicitæ adhæserunt.

Hoc autem posito, eodem modo eodemque sensu accipi debet Augustinus loco supra laudato: nam cum ibi agatur de amore castitatis, evidens est quod non loquatur Augustinus de delectatione indeliberata, quæ nostram prævenit voluntatem, & quæ prout gradibus cupiditatem superat, consensum abripit. Loquitur e contra de delectatione qua operamur id omne quod Deo gratum atque acceptum esse putamus: *Ut cum magna delectatione faciamus*, inquit, *quidquid in ea Deo placere cognoscimus*. Agit ergo de delectatione quæ non adimit voluntati facultatem agendi vel non agendi pro arbitrio, nec potestatem faciendi aut non faciendi quidquid Deo placere cognoscimus.

Probari adhuc ulterius potest Augustinum hic non agere de delectatione indeliberata quam admittit Jansenius, cum loquatur de delectatione quam gratia producit, & quæ est ipsius effectus. *Si plus delectet*, inquit, *pulchritudo castitatis per gratiam*: delectatio autem indeliberata, quam admittit Jansenius, non est effectus gratiæ, sed juxta illum, est ipsamet gratia. Ex quibus evi-

den-

denter colligitur Auguſtinum loco citato nullatenus favere principio duarum delectationum, quas Janſenius vult eſſe prævias, indeliberatas, atque pro ſuperioritate graduum invincibiles.

XI.

Hunc tamen Auguſtini locum, ſcilicet, *quod enim nos amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, in Scriptis ſuis millies obtrudit Janſenius, dignumque eſſe contendit qui aureis exaretur litteris. *Unus eſt locus*, inquit, *hac de re clariſſimus & præclariſſimus, qui aureis meretur ſcribi characteribus*: & revera prædictis verbis in ſenſu Janſenii explicatis, totum hujus Novatoris ſyſtema nititur: nam ſi neceſſe ſit ut e duabus delectationibus indeliberatis (gratia nimirum & cupiditate) voluntas ſemper illi obſequatur quæ actu alteram gradibus ſuperat, inde fieri etiam neceſſe erit, ut voluntas, neque gratiæ, neque cupiditati reſiſtere unquam valeat, cum una aut altera ardentior ac ſuperior eſt. Voluntas enim ſub imperio gratiæ relative victricis non poterit cupiditati obtemperare; & abſque ſuperiore & dominante indeliberata delectatione cæleſti penes ipſam non erit poteſtas bonum faciendi, imo nec illud inchoandi, aut etiam ullum fidei initium habendi. Hoc perſpicue ſequitur ex Janſenii ſyſtemate, quod eruit ex ſupra laudato Auguſtini textu, *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Sed quam falſo ac immerito id obtendat Janſenius, patebit adhuc ex invicto atque peremptorio quorumdam Theologorum argumento.

XII.

Audiamus igitur hos Theologos ſic contra Janſenium diſſerentes. Textus Auguſtini, inquiunt, ex ipſius Commentario in Epiſtolam ad Galatas deſumptus, in ſenſu Janſenii intellectus, directe impugnat, non ſolum Pelagianam hæreſim, ſed etiam Semipelagianam quoad initium fidei. Hoc in confeſſo eſt apud omnes, etiam apud Janſenii Diſcipulos; & id ſatis patet ex his quæ diximus. Cum autem ſcriberet Auguſtinus ſuum in Epiſtolam ad Galatas Commentarium, tunc, ipſo fatente Janſenio, in Semipelagianorum errore verſabatur, & eo in errore permanſit uſque ad ſuum Epiſcopatum, quod non negat Janſenius, & quod ipſemet Auguſtinus teſtatur libro de Prædeſtinat. ſanct. cap. 3. Antequam tamen ad Epiſcopatum eveheretur ſuum conſcripſit Commentarium, ut omnes eruditi fatentur: atque hac de re ut omne tollatur dubium, conſuli poſſunt Scripta D. de Tillemont, D. Dupin, novaque Patrum Benedictinorum editio. Janſenius ergo S. Doctoris textui adulterinum ſenſum, ſuoque errori faventem, quem ipſi tribuit, tribuere non poteſt; atque inde jure ac merito concluditur quod ruente duarum delectationum Janſeniano fundamento, totum ipſius ſyſtema prorui neceſſe ſit.

XIII.

Nec unquam ſane Auguſtino venit in mentem quod ex delectatione indeliberata oriatur invincibilis agendi neceſſitas; imo expreſſe docet voluntatem eſſe ab omni prorſus vera ac proprie dicta neceſſitate immunem, poſſeque pro nutu conſentire vel diſſentire, ſi velit. *Agit Deus*, inquit Sanctus Doctor, *ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes; ſive intrinſecus ubi non habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt ... Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Et in libro de Civitate Dei, ſupponit idem Doctor, e duobus hominibus æqualiter animo & corpore affectis, & eadem tentatione vexatis unum peccare, alterum in bono perſeverare; atque hujus diſcriminis nullam aliam apparere cauſam reponit, niſi quia unus voluit, alter vero noluit tentationi aſſentire. Ergo non putavit Auguſtinus voluntatem in præſenti naturæ lapſæ ſtatu per gratiæ delectationem majorem ad bonum, vel per concupiſcentiæ delectationem ad malum neceſſitari. Si enim id ita opinatus eſſet, quo pacto duos illos homines æqualiter animo & corpore affectos ſupponere potuiſſet, & ſimul reſpondere nullam aliam apparere cauſam, cur unus ceſſerit, alter vero reſtiterit tentationi, niſi quia unus voluit, alter noluit conſentire? Ergo contendit S. Doctor penes voluntatem eſſe ponere vel non ponere conſenſum: neque putat liberum ipſius arbitrium ad bene aut male vivendum ineluctabili neceſſitate trahi. *Et nos quidem*, inquit, *ſubfato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo bene, vel male vivitur, propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Et lib. de duabus anim. c. 12. ſumme iniquos ac inſanos haberi vult eos qui peccati redarguunt quemquam, quia quod in ſua poteſtate non erat non fecit. *Peccati reum teneri quemquam*, ait, *quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.*

Aug. lib. de Spir. & lit. cap. 34.

Aug. de Civit. Dei lib. 12. cap. 6.

Aug. lib. 2. contra Faust. cap. 5.

Aug. lib. de duabus anima. cap. 12.

Mitto innumera fere alia, quæ hic congeri poſſent in eandem rem Auguſtini teſtimonia. Hæc quæ retulimus ſufficiant ad demonſtrandum Sanctum Doctorem nunquam admiſiſſe præviam aliquam & indeliberatam delectationem, quæ fatali quadam, ſed ineluctabili neceſſitate nos ad bonum, aut ad malum inducat ac determinet: contrarium enim ſexcentis locis decidit ac ſtatuit. Nec doctrinam Janſenii nunc refellendam ſuſcipimus; ſed ipſius ſyſtema hic breviter delineando, mens noſtra tantum fuit paucis oſtendere pernicioſum illud ſyſtema, in doctrina Auguſtini fundatum, juxta Janſenium, eſſe Sancti Auguſtini doctrinæ ex diametro oppoſitum.

XIV.

Ex his quæ hactenus retulimus conſtat Janſenium admiſiſſe principium duplicis delectationis indeliberatæ, ac pro graduum ſuperioritate invincibilis: una, quæ cæleſtis nuncupatur, ad bonum; altera vero, quæ terrena dicitur, ad malum movet ac rapit: utraque etiam victrix & ſuperior dici poteſt; victrix, quia voluntatis conſenſum certo ac neceſſario obtinet: ſuperior, quia illum obtinet propter majores quas habet vires: nam illa e duabus delectationibus neceſſario prævalet, quæ majores habet vires: *Major enim delectatio*, inquit, *nunquam ſane delectatione minore ſuperabitur*. Et cap. 9. addit, quod ſi vigeat carnalis delectatio nullatenus fieri poſſit, ut virtutem ac honeſtatem amplectamur. *Vigente enim*, ait, *delectatione carnali, impoſſibile eſt ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*. Unde una delectatio eſt ſemper relativa ad vires delectationis oppoſitæ, & illa quæ tunc majores habet vires, victrix ac ſuperior eſt; adeo ut voluntas nunquam poſſit ſuum denegare conſenſum illi e duabus quæ actu prædominatur. Itaque ſub imperio gratiæ, ſemper bene ac invincibiliter & neceſſario bene; e contra vero ſub cupiditatis imperio, ſemper male ac inſuperabiliter & neceſſario male operabitur voluntas.

Janſen. de grat. Chr. Salvat. lib. 4. cap. 6.

Janſen. ibid. cap. 9.

Hic habemus famoſum totius Janſeniani ſyſtematis toties decantati paucis contractum ac delineatum principium de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus, in quod grande Janſenii volumen, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, reſolvitur; & ex quo quaſi ex radice fluunt alii fere omnes ejuſdem Auctoris errores, & præſertim quinque ab Innocentio X. damnatæ propoſitiones, quas neceſſario fluere ex Janſeniano principio de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus, ex ſequentibus patebit articulis.

ARTICULUS II.

De prima Janſenii propoſitione.

CUM Janſenius, ut jam vidimus, doceat voluntatem humanam neceſſario cedere illi e duabus delectationibus, ſive gratiæ, ſive concupiſcentiæ, quæ actu alteram gradibus ſuperat, neceſſe eſt ut fateatur hominem qui gratia gradibus ſuperiori caret, cupiditatem oppoſitam vincere non poſſe; neque etiam poſſe adimplere præcepta, eumque vera ea adimplendi impotentia laborare: unde merito infertur eadem præcepta iis omnibus qui illa tranſgrediuntur eſſe impoſſibilia: ea quoque impoſſibilia eſſe hominibus, non tantum Infidelibus, vel excæcatis & obduratis, ſed Fidelibus etiam, & Juſtis qui mandata illa non obſervant. At cum inter Juſtos qui præcepta non adimplent, quidam reperiantur qui volunt, ac ea adimplere conantur, ex præmiſſo duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum ſuperioritate invincibilium principio evidenter ſequitur eſſe præcepta quædam, quæ etiam Juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; ipſis quoque deeſſe gratiam qua poſſibilia fiant. Hæc propoſitio inter Janſenianas numero prima ab Innocentio X. tamquam hæretica proſcripta fuit. Illa autem propoſitio, quæ totidem verbis expreſſe reperitur apud Janſenium, lib. 3. de grat. Chr. Salv. cap. 13. ſic ſe habet: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.*

I.

Ut autem doctrina Janſenii in hac propoſitione contenta penitius evolvatur, & plenius intelligatur, quædam hujus Novatoris videntur ſubjicienda hic teſtimonia, & ea quæ illam propoſitionem antecedunt, & illa quæ eam ſubſequuntur.

Poſtquam docuit hominem abſque gratia efficaci & victri-

victrici, absque gratia gradibus præponderante cupiditati non posse adimplere præcepta, hanc sibi solvendam profert difficultatem. *Primum omnium*, inquit, *tamquam inexpugnabile munimentum afferunt, quod Deus jubeat homines credere, pœnitere, legem naturalem Decalogi, cæterasque sub æternæ perditionis pœna servare. Deus autem non jubet impossibilia: ergo dat omnibus sufficiens auxilium ad ea facienda quæ jubet. Deinde peccant homines, etiam Infideles, quando fidei & pœnitentiæ præcepta legesque naturales violant: ergo sufficiens auxilium habent ad vitanda illa peccata; nemo enim peccat in eo quod vitare non potest. In his difficultatibus ex ratione petitis pene fundantur omnia cætera, quæ de consilio, hortatione, suasione ad faciendum præceptum afferuntur, ut omnibus gratiam sufficientem adesse persuadeant: & ipsæ istæ tres difficultates ab eodem fonte profluunt, ex impotentia scilicet præcepta faciendi.* Jansen. l. 3. de grat. Chr. Sal. vat. cap. 13. §

Huic objectioni solvendæ plures affert responsiones, quæ tamen perfecte conciliantur cum errore quem docuerat de impossibilitate præceptorum in iis qui carent gratia prædominante cupiditati, ac proinde in iis omnibus qui præcepta transgrediuntur.

II.

Prima autem responsio Jansenii sic habet. *Respondetur igitur primo*, inquit, *illam sententiam qua dicitur Deum non jubere id quod homini est impossibile, numquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod propriis viribus suis implere non potest, sed solum quod ita impossibile est, ut neque propriis, neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implere.* Jansen. ibid.

Hic verum dicit Yprensis Episcopus. Deus quædam præcipit nobis, quæ propriis viribus implere non possumus, & quæ duntaxat possumus cum adjutorio gratiæ. Si hæc gratia nobis conceditur, tunc præceptum nobis fit possibile: & e contra, si desit gratia, nec illam in auxilium possimus advocare, præceptum nobis est impossibile, & illud implere non possumus.

Ex hac prima responsione patet Jansenium confiteri mandata Dei esse ad observandum possibilia cum auxilio gratiæ. Quia autem, juxta illum, possibilia non sunt ei cujus cupiditas gradibus superat gratiam, & ille tamen mandatum transgrediens a peccato non excusatur, ideo hæc responsio difficultatem non solvit, imo ex ea hanc eandem ipsemet infert consequentiam, nimirum esse quædam præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires impossibilia. *Ex hac indubitata doctrina*, inquit, *quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt. Primum quidem esse quædam homini præcepta secundum statum & vires in quibus constitutus est impossibilia ..... Secundum, non adesse semper gratiam qua possumus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus ..... Tertium, hanc impotentiam reperiri, non solum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, sed etiam Fideles & justi, qui & fidem Christi & charitatem justitiæ susceperunt ..... Quartum, hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.* His omnibus fuse ac tædiose expositis, Jansenius sic denique concludit. *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus, non tantum Infidelibus, excæcatis, obduratis, sed Fidelibus quoque & Justis volentibus, conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam qua fiant possibilia.* Jansen. ibid. §

Quæ vero subsequuntur laudata verba hujus loci, ex quo desumpta est prima Jansenii propositio ab Innocentio X. proscripta, eandem exprimunt doctrinam. Sic sane suam sententiam confirmare præsumit, addens ibidem Jansenius, *Hoc enim*, inquit, *Sancti Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere.*

III.

Ne quis autem existimet gratiam, saltem orationis, semper adesse justis urgente præcepto, *Quintum*, inquit, *ex eodem principio consectaneum est plurimis non dari istam faciendi præcepti possibilitatem, quæ precibus imploratur solet.* Hanc autem ejusmodi doctrinæ rationem reddi alio in loco, ubi ait, *nec aliquis opponat isti veritati, orari saltem posse ut ista delectatio, quæ sufficiat implendæ legi, divinitus tribuatur. Nam etiam ad orandum quam maxime delectatio necessaria est, quæ non magis quam cæteræ, nostræ potestatis non est, sed a Deo per gratiam donari debet ..... Ita dicimus, non solum Judæis, sed & Christianis, non solum carnalibus, sed & spiritualibus gratiam talem sufficientem ad id faciendum quod jubetur frequenter subtrahi, atque ita subtrahi ut nec pro tali gratia adipiscenda deprecandi similis sufficiens gratia habeatur ..... Et hæc sufficiens gratia ..... non est alia, nec, ut videtur, sine errore alia dici potest, quam illa quæ voluntatem facit facere, & in ea operatur ipsa velle & operari.* Jansen. ibid. Jansen. lib. 3. de grat. Chr. Sal. cap. 5.

In hoc ultimo loco, Jansenium non discordem sibi, sed in omnibus sibi constantem reperias. Asserit enim, non solum ad operandum, sed etiam ad orandum requiri delectationem, & talem delectationem, quæ gradibus superet delectationem oppositam, ita ut absque ea, victrici scilicet delectatione, homo, neque operari, neque orare possit. Hanc quoque delectationem ad orandum, sicut & cæteras quibus ad operandum indigemus, non esse in potestate voluntatis contendit. *Nam etiam ad orandum*, inquit, *quammaxime delectatio necessaria est, quæ non magis quam cæteræ nostræ potestatis non est.* Hæc omnia cum hujus Novatoris principiis perfecte ac intimo nexu cohærent.

Verum redit semper eadem difficultas, nec illam se adhuc solvisse putat Jansenius. *Sed hic fortassis*, inquit, *pro peccatoribus respondebis, hoc ipsum adjutorium, quo præceptum eis fit possibile, deesse multis, ipsamque gratiam orationis denegari, qua faciendi præcepti vires quibus carent postulentur a Deo. Ergo manet eis præceptum impossibile, & consequenter non peccant in eo non faciendo, quod facere non possunt. Utrumvis eis redditur impossibile.* Jansen. lib. 3. de grat. Chr. Sal. vat. cap. 14.

IV.

Quid ad hæc Jansenius? Concedit-ne possibilia esse præcepta illis qui ea transgrediuntur, saltem aliquibus? Nequaquam. Si enim illud concederet, sibi ipsi suisque principiis manifeste contradiceret. Respondet igitur Deum hominibus, quia peccatores sunt, absque injustitia gratiam denegare. Ait itaque, *non esse iniquitatem apud Deum qui gratiam negat, culpam enim peccantium ita meruisse, ut æquissima ista severitate puniatur.* Jansen. ibid.

Notandum hic agi de gratia denegata, non solum obcæcatis & obduratis, sed etiam iis qui prima vice mandatum aliquod transgrediuntur. Unde sequitur Deum gratiam suam denegare, etiam Justis, non tam ratione peccatorum præcedentium, quam ratione peccati originalis, quamvis jam dimissi. Nonne impia est ejusmodi doctrina? Sed mentem suam clarius adhuc aperiet, dum post propositas quasdam alias responsiones ad ultimam perveniet.

V.

Quam perplexo & intricato sit animo Jansenius in hac enodanda difficultate evidenter commonstrant tot tamque diversæ solutiones ad quas confugere cogitur, quarum tamen nulla ab Orthodoxo Theologo potest comprobari. Quia autem hæc de impossibilitate præceptorum doctrina pias aures non potest non offendere, ideo in tertia quam affert difficultatis propositæ solutione varios excogitat sensus, variasque significationes hujus verbi, *posse*, ut dicere tandem videatur præcepta esse in aliquo sensu hominibus possibilia. *Observandum est in primis*, inquit, *in rebus ad vitam bonam seu pietatem spectantibus multipliciter hominem dici posse aliquid*, (quasi hoc verbum, *posse*, æquivoco laboret in rebus ad pietatem spectantibus, non autem in aliis: sed ne diutius his ineptiis coarguendis immoremur, Jansenium audire pergamus.) *Primo, remotissime*, ait, *per solam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum & malum ..... Secundo, paulo propinquius dicimur posse bene vivere, omnibusque tentationibus resistere, & peccata cavere per fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, internisque viribus voluntatis ..... careamus ..... Tertio, dicimur multo plenius propinquiusque per charitatem, per quam homo justificatur ..... Quarto itaque completissime dicimur posse, quando Sancti Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nude possit, sed etiam velit. Tali gratia non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur: dat enim non solum posse si velis, sed etiam velle quod potes. Hoc posse nunquam habetur, nisi quando reipsa quoque agitur, & est proprius effectus, non fidei, aut charitatis, seu bonæ voluntatis habitualis, sed illius gratiæ actualis, quam Christus attulit hominibus infirmis per crucem suam.* Jansen. ibid. cap. 15.

Verum, quis non videat illam potentiam præceptum implendi, quam docet Jansenius inesse justo qui peccat, non impedire quin veram habeat ac realem impotentiam præceptum servandi; nam cum triplici illa potentia desunt illi justo, juxta Jansenium, vires quibus vincere possit oppositam superiorem concupiscentiam; & deficiente victrici gratia, quæ cupiditatem gradibus superet, non magis putat voluntatem posse bene velle & operari, quam cæcum videre, vel surdum audire, vel tibiis fractum recte incedere. *Tam est impossibile*, inquit, *voluntati ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur, quantumvis eis & lux, & species, & scipiones, & omnia cætera sanitatis adjumenta suppe-* Jansen. lib. 2. de gr. Ch. Sal. vat. cap. 1.

ſuppetant. Non cenſet ergo Janſenius quod per triplicem illam potentiam, quæ per flexibilem liberi arbitrii facultatem ad bonum & malum habetur, vel etiam per fidem, aut denique per charitatem ſanctificantem, vere poſſit Juſtus præceptum adimplere ſine illo poſtremo adjutorio quod datur per actualem gratiam cupiditate fortiorem.

Quapropter quæſtioni propoſitæ nondum abunde ſatisfactum fuiſſe exiſtimat Novator iſte; ſic enim pergit eodem jam citato cap. 15. *Sed quomodo*, inquies, *non ſunt excuſati, ſive Fideles, ſive Infideles, qui illo poſtremo ſufficienti adjutorio carent, quandoquidem ſine illo præceptum abſolute implere non poſſint: nam reliqui tres poſſibilitatis modi imperfecti ſunt, quibus præſentibus, ſi poſtremus, qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hic & nunc & abſolute fieri poſſe præceptum dici poteſt, quam ſi ſine alis volari poſſe diceretur. Quomodo igitur non excuſat tanta implendi præcepti impotentia?*

VI.

Janſen. ibid.

Eidem difficultati novam quidem reſponſionem adhibet: quam tamen non plurimi facere videtur, cum eam præſertim, non tanquam ſui ipſius, ſed tanquam quorumdam Theologorum referat. *Reſpondent aliqui*, inquit, *vere peccare eos, qui adjutorio ſufficientis gratiæ carent, quia eorum impotentia non eſt antecedens, ſed concomitans, hoc eſt, non eſt cauſa cur homo non impleat præceptum efficiendo involuntarium, ſed per accidens conjuncta eſt, non attingens actum voluntatis. Non enim ideo peccant, quia non poſſunt abſtinere a peccato, quamvis revera non poſſint; ſed idcirco peccant, quia non volunt, neque vellent abſtinere, etiamſi poſſent.*

Igitur juxta illos Theologos, ii, qui tranſgrediuntur præcepta, quamvis ea implere non poſſint, peccant, quia illa vellent tranſgredi, etiamſi ea implere poſſunt. Sed quo nixi fundamento id aſſerunt prædicti Theologi? Qua luce illuſtrati vaticinantur impotentem peccatorem, qui a peccato abſtinere non poteſt, peccaturum tamen, etiamſi peccatum illud vitare poſſet? Numquid præterea ſupponi poteſt Deum plectere pœna æterna peccatorem, propter peccatum quod iſte vitare non potuit, quia prævidet eum, etiamſi potuiſſet non peccare, nihilominus fuiſſe peccaturum? Indigna profecto foret Deo ſumme miſericordi & ſumme juſto hæc agendi ratio.

Quam abſurda & ridicula ſit hæc reſponſio intellexit Janſenius. Hanc ipſi non arriſiſſe videtur. *Si hoc alicui ſufficiat*, inquit poſt allata ſupradicta verba, *nihil ſupereſt præterea ſatagendum. Plenius tamen fortaſſis alio modo quæſtioni ſatisfieri poteſt*. Videndum itaque an quinta hujus Novatoris reſponſio futura ſit cæteris ſolidior.

VII.

Janſen. ibid.

Reſpondetur, inquit, *duplicem eſſe præcepti faciendi impotentiam. Una eſt ex defectu alicujus, quod non poteſt quantumlibet magna voluntate, hoc eſt, quantumlibet fortiter volendo ſuppleri. Talis eſt impotentia illius qui caret Breviario ad horas quas ignorat recitandas ..... De tali impotentia veriſſimum eſt quod Deus non jubet impoſſibilia; nam hoc ipſo quod talis oritur impoſſibilitas, vel præceptum extinguitur, vel certe ad illud implendum is cui præcipitur non amplius obligatus eſt ..... Altera impotentia eſt quæ ex defectu ipſius voluntatis ſeu volitionis oritur, quæ ſi adeſſet quanta adeſſe debet, præceptum facillime impleretur ..... Hæc impotentia non faciendi nullo modo excuſat eam qui non implet quod præcipitur; poſſet enim implere, ſi vellet.*

Profecto orthodoxe ſentiret ac loqueretur Yprenſis Antiſtes, ſi per hæc ultima verba, *poſſet implere, ſi vellet*, nihil aliud intelligeret quam quod ea verba ſignificant: nam ex uſu communi apud Theologos recepto, per illa verba, intelligitur quod homo poteſt implere præceptum, & quod poteſt velle illud implere: ſed longe aliter ſentit Janſenius. Ait enim in loco jam ſupra citato, *Liberum arbitrium contraxiſſe quandam bene volendi ægritudinem, propter quam ei medicus ſit neceſſarius, cujus medicinali gratia & adjutorio niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſſe impoſſibile voluntati ut bene velit, & operetur, quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur, quantumvis eis & lux, & ſpeeies, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant.*

Janſen. l. 2. de grat. Chr. Salvat. cap. 1.

Hoc unum hic obſervatum velim, quod e noſtra nunquam elabatur memoria, Janſenium ſcilicet gratiæ medicinalis nomine nihil aliud intelligere quam gratiam gradibus ſuperiorem cupiditate.

Vult igitur Novator iſte impotentiam implendi præceptum a peccato non excuſare, quia homo poſſet præceptum illud implere, ſi vellet; non quod poſſit actu velle illud implere, ſed quia ſi vellet illud implere, quod tamen non poteſt actu velle, illud poſſet tunc implere, & illud revera impleret. Poteſt implere, ſi velit, ſed non poteſt illud velle. In terminis ergo ludit Janſenius aſſerendo hominem poſſe præceptum implere, ſi velit; cum homo, juxta hunc Novatorem, non poſſit velle illud implere.

Evaneſcunt itaque omnes allatæ a Janſenio reſponſiones, quod ipſemet adeo agnoſcit, ut neceſſe putet ſextam adhuc adhibere ſolutionem propoſitæ difficultatis, quæ poſt allatas ſupra recenſitas quinque reſponſiones in ſuo robore integra perſiſtit.

VIII.

Janſen. lib 3. de grat. Ch. Salvat. cap. 15.

Sed adhuc oppones, inquit, *Auguſtinum dicere in Libro de correptione & gratia; ſi autem hoc adjutorium Angelo vel homini, quamprimum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent, adjutorium quippe defuiſſet ſine quo manere non poſſent*. Hunc Auguſtini locum refert Janſenius, & ex eo hanc ſibi ipſi opponit conſequentiam. *Ergo*, pergit Novator iſte, *impotentia volendi, etiam quæ voluntate ſuperaretur, abſtergit culpam volentis, & hominem reddit excuſabilem, nempe quia tollit ab illa volitione libertatem.*

Janſen. ibid.

Ecce tandem Janſenii ſincera reſponſio poſt tot tentatas frivolas atque vanas ſolutiones. *Reſpondetur*, inquit, *veriſſimum eſſe quod in Auguſtini caſu impotentia voluntatis reddat hominem excuſabilem, & culpam auferat ..... quia talis actus profectus fuiſſet ex inſtitutione Dei; atque ita neceſſario fuiſſet bonus ..... Quod ſi vero talis defectus adjutorii homini vel Angelo, non ex naturæ inſtitutione, ſed ex aliqua culpa contingeret, profecto tunc Auguſtinus actum inde ſecuturum, non ſolum liberum, ſed & culpabilem eſſe poſſe fateretur ..... non ..... quaſi poſtquam homines peccaverunt, ablato ſufficienti auxilio, vel peccata non ſint libera, vel quæ non ſunt libera poſſint eſſe peccata; hoc enim impoſſibile eſt ..... ſed per peccatum a recta naturæ inſtitutione diſceſſum eſt, juxta quam impoſſibile erat, ut actus ad quem vitandum deerat adjutorium peccatum diceretur, cum eſſet potius actus bonus tanquam naturæ optime conſtitutæ neceſſarius. Hinc itaque ne quis miraretur quomodo poſſet eſſe actus malus quem obduratus & excæcatus, & gratia ſufficiente deſtitutus perpetrat, ſemper eo recurrit, quod ille defectus gratiæ ſit pœna peccati.*

Janſen. ibid. cap. 17.

Mentem ſuam dilucidius aperire non potuiſſet Janſenius. Impoſſibilia ſunt præcepta omnibus illis qui gratia gradibus ſuperiore cupiditate deſtituti ſunt, & etſi peccata vitare non poſſint, peccant tamen, quia illa qua laborant impotentia eſt pœna primi peccati ab Adamo commiſſi, nempe peccati originalis in poſteros tranſmiſſi; quod repetit adhuc poſt pauca. *Agnoſcant*, inquit, *atque fateantur* (Scholaſtici) *poſſe Deum idipſum homini poſt peccatum æterna ſua lege jubere, quod ante peccatum juſſerat, quamvis ei jam propria culpa factum ſit impoſſibile, nec teneri ipſi conferre magnum illud redemptionis adjutorium, quod hominem nolentem velle facit & facere, quamvis propter contractam voluntatis ægritudinem nullum aliud jam ſufficiens ſit, nec peccatorem jam ſine culpa peccaturum, quamvis ſine magno illo adjutorio peccatum jam vitare propria & culpabili volendi infirmitate non poſſit.*

IX.

Ex hactenus dictis in articulo colligi facile poteſt 1. Præcepta Dei non eſſe juſtis, qui ea tranſgrediuntur, abſolute impoſſibilia, juxta Janſenium: poſſunt quippe ea præcepta adimplere cum gratia quam quidem non habent, nec poſſunt in ſui adjutorium advocare; ſed quam recipere poſſent, ſi Deus eam ipſis benigne largiri vellet, vel etiam cum auxilio gratiæ parvæ quam habent, ſi cupiditas, quæ actu gradibus ſuperior eſt, debilior evaderet. 2. Quod eadem præcepta dici poſſint illis qui ea tranſgrediuntur in multiplici ſenſu poſſibilia, tum remotiſſime ratione liberi arbitrii quod capacitatem habet rapiendi gratiam, tum paulo propinquius per fidem, quæ diſponit ad gratiam recipiendam, tum multo propinquius pleniuſque per charitatem ſanctificantem tamquam propinquiorem plenioremque diſpoſitionem.

Licet Janſenius hos omnes poſſibilitatis modos admiſerit, & præcepta Dei, ſenſibus jam aſſignatis, eis qui illa tranſgrediuntur poſſibilia agnoverit, merito tamen damnatus eſt. Ab errore ergo Janſenii non recederet, qui doceret præcepta Dei non eſſe impoſſibilia, quia poſſunt adimpleri cum auxilio gratiæ ſi adeſſet, eaque foret cupiditate gradibus ſuperior; vel quia ratione liberi arbitrii homo habet capacitatem recipiendi gratiam, quæ capacitas per fidem, & charitatem ſanctificantem magis apta atque idonea fit ad gratiam actualem recipiendam.

Nec etiam a Janſenio recedunt ii qui gratias gradibus cupiditate inferiores ſimul cum illo Novatore admittentes, docent per eas adhuc magis perfici capacitatem liberi arbitrii, nec tamen deſerunt

ferunt principium duarum delectationum indeliberatarum & pro graduum superioritate invincibilium; & consequenter contendunt cum iis gratiis hominem non posse cupiditatis illecebras superare. Quis enim non videt gratiam illam gradibus inferiorem sufficientes non conferre vires, ut actualis frænari possit concupiscentia, & consequenter præceptum adimpleri?

ARTICULUS III.

De secunda propositione Jansenii.

SEcunda Jansenii propositio hæc est: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

I.

Istius Jansenianæ propositionis sensus non est, interiorem gratiam eum semper habere effectum ad quem excitat voluntatem. *Nec vero moveat quemquam*, inquit ipsemet Jansenius, *quod constet multos Divinitus mente colluστrari, imo vero & in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna suasione & inclinatione dissentiunt, ut propterea falsum putet gratiam in eo cui datur semper operari effectum ad quem datur. Considerandum enim est multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum quod Augustinus posse vocat: est & imperfectum quod velleitatem appellare solet ..... Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo sufficiat ut homo Dei mandatum operetur ..... ad hoc tamen facit aliquid ut ..... liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet .... Non enim quævis gratia ad quosvis effectus inserendos sufficit ..... sic enim videmus plurimos, qui nedum ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam.*

Jansen. lib. 2. de gr. Ch. Sal. cap. 27.

Cum itaque hæc propositio damnata sit in sensu Jansenii, damnata profecto non est in eo sensu quod interior gratia eum semper habeat effectum ad quem excitat voluntatem: certum quippe est in systemate Jansenii, gratiam non victricem ex sese movere ac inclinare voluntatem ad bonum illud cujus executionem nunquam obtinet, quando gradibus superior est concupiscentiæ delectatio. Summus ergo Pontifex Jansenii doctrinam proscribendo non definiit dari quasdam interiores gratias quæ non eum assequuntur effectum ad quem voluntatem excitant.

II.

Nec similiter damnavit Summus Pontifex Theologos asserentes interiorem gratiam semper producere aliquem effectum in voluntate. Certissimum est enim Deum, quando per gratiam suam mentem illuminat, vel accendit voluntatem, producere semper in mente quandam illustrationem, & in voluntate piam quandam motionem, saltem indeliberatam. Illuminationem enim activam ex parte Dei necessario sequitur in intellectu hominis illuminatio passiva, & motionem activam sequitur in voluntate passiva motio, saltem indeliberata; quam illuminationem & motionem passivam contendunt nonnulli esse effectum gratiæ. Rectius tamen plures alii Theologi docent hanc illuminationem mentis & motionem voluntatis, quatenus in homine recipitur, esse potius ipsammet gratiam, quam effectum gratiæ. Quidquid autem sit de hac in Scholis agitata controversia, nonnulli Theologi docent quod aliquis actus voluntatis, etiam deliberatus, semper sequatur piam illam ex parte Dei motionem, iique ab errore in secunda Jansenii propositione damnato immunes sunt, modo fateantur interiorem gratiam, etsi semper in voluntate aliquem producat effectum, non tamen semper producere omnem illum effectum, cujus producendi veram confert potentiam: ad hoc enim ut dici possit quod interiori gratiæ aliquando resistitur, satis est quod renisu voluntatis gratia aliquando privetur eo effectu quem producere potuisset, & ad quem producendum conferebat veram potentiam: non autem necesse est quod aliquando nullum omnino producat effectum, etiam deliberatum.

Itaque etsi gratia semper producat aliquem effectum, si tamen renisu voluntatis totum illum non producat effectum, cujus producendi veram voluntati confert potentiam, tunc vere & proprie ei resistitur, & consequenter immunes sunt ab errore secundæ propositionis Theologi illi qui docent gratiam semper operari aliquem effectum, etiam deliberatum.

III.

Contra vero dici non potest quod voluntas, quæ supponitur a Jansenio necessario obsequi delectationi gradibus superiori, sive gratiæ, sive cupiditati, aliquando interiori gratiæ resistat, eo quod aliquando non operetur bonum opus ad quod operandum excitatur. Etsi enim voluntas aliquando omittat illum actum ad quem excitatur a gratia, dici non potest quod interiori gratiæ resistat, præsertim si omissio illa non sit libera, sed omnino necessaria, ut necessaria est in systemate Jansenii. Resistere enim gratiæ est impedire ne gratia operetur; quomodo autem dici potest voluntatem impedire ne gratia operetur illud, quod ab ipsa gratia actu produci non potest?

Itaque ut dici queat quod voluntas gratiæ resistit, duo requiruntur. Primo quod gratia privetur eo effectu ad quem ipsa excitat voluntatem. 2. Quod gratia det voluntati potentiam operandi illum effectum; si enim voluntas non potest operari effectum ad quem excitatur a gratia, nulla est, vel esse potest ex ejus parte resistentia.

IV.

Instant tamen Jansenii Discipuli, & ratione luctæ quam in nobismet ipsis fere continuo experimur gratiam inter & cupiditatem ajunt quod licet semper sit victrix illa quæ gradibus superat alteram, hæc tamen lucta supponit necessario aliquam in hac lucta resistentiam, tam ex parte cupiditatis, quam ex parte gratiæ. Cum autem voluntas semper obsequatur illi e duabus delectationibus quæ gradibus superior est, addunt voluntatem, non quidem solam, sed simul cum cupiditate resistere gratiæ debiliori, resistentia etiam proprie dicta; atque resistentia illa vera & proprie dicta impediri ne gratia obtineat effectum, quem obtinuisset si minor esset cupiditas quæ obsistit gratiæ.

Sic eludere conantur Novatores Summorum Pontificum Constitutiones, contenduntque ideo sæpe resisti interiori gratiæ, non solum quatenus gratia privatur eo effectu ad quem excitat voluntatem, sed etiam quatenus privatur eo effectu quem producere potuisset, si minor esset cupiditas quæ actu major est.

Verum futile admodum est hoc effugium; nam cum Innocentius X. definiit gratiæ interiori aliquando resisti, non definiit adversus Jansenium illud quod Jansenius ipse admittebat. Porro Novator ille fatetur pluribus locis, concupiscentiam carnis semper luctari cum spiritu, & eandem concupiscentiam gratiæ ad bonum invincibiliter rapienti semper resistere, licet absque fructu & absque victoria. Legant Adversarii c. 4. & 5. libri 4. de grat. Chr. Salv. ubi luctam illam & conflictum gratiæ & concupiscentiæ describit Jansenius. Si quid sane ipsis inest integræ fidei, fatebuntur Jansenium nunquam negasse, quin gratiæ resistatur eo sensu quod concupiscentia semper oppugnet gratiam, eique reluctetur; atque eo sensu juxta Jansenium, gratiæ etiam quantumcumque victrici & efficaci semper resistitur. Neque etiam negavit unquam quin gratia, ut initio hujus articuli annotavimus, eo sæpe frustretur effectu ad quem excitat voluntatem. Fatetur quoque eandem gratiam eum sæpe non habere effectum, quem revera in aliis circumstantiis produxisset, si nimirum gradibus debilior esset cupiditas, quæ actu robustior & ardentior est: in eo enim positum est præcipuum ipsius systematis caput. Unde sic argumentari licet.

Quinque propositiones de quibus agitur damnatæ sunt in sensu Jansenii; atqui tantum abest ut Jansenius docuerit gratiam nunquam privari eo effectu ad quem inclinat voluntatem, vel nunquam privari eo effectu quem producere potuisset, ac etiam produxisset, si gradibus inferior esset cupiditas quæ actu superior est, ut e contra contrariam doctrinam conceptis verbis asseruerit: ergo damnata non est secunda propositio in eo sensu quod gratia nunquam privetur eo effectu, ad quem inclinat voluntatem, vel quod nunquam privetur eo effectu, quem revera produxisset, si minorem habuisset debellandam cupiditatem.

V.

Præterea, sensus hujus propositionis, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, non est quod cupiditas nunquam resistat gratiæ, sed quod homo nunquam ei resistat, hoc est, nunquam eam privet eo effectu quem potuisset producere, atque etiam produxisset, si voluntas gratiæ consentire voluisset.

Neque etiam sensus hujus propositionis, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, esse potest quod gratia non eo interdum privatur effectu, quem in alio subjecto minus resistente assequeretur: nam, juxta Jansenium, eadem quippe gratia in uno victrix est, & in altero non victrix; pro majori vel minori concupiscentiæ resistentia. Neque habent Adversarii quod inde possint inferre hominem gratiæ interiori sæpe resistere, in eo sensu quod eam privet ille effectu quem revera produxisset, si minus restitisset cupiditas:

nam

nam eo in casu homo non censetur, nec ullatenus dici potest gratiæ resistere, cum cupiditas sit ab ipso prorsus independens, nec possit facere ut major aut minor, debilior aut robustior efficiatur, sed tenetur semper illi obsequi quotiescumque gratiæ delectatione gradibus superior est: atqui res ita est in eorum systemate. Frustra ergo vellent Adversarii homini resistentiam tribuere, quæ soli cupiditati tribuenda videtur. Vere tamen homo diceretur resistere, si omissio actus ad quem excitat gratia proveniret ex ipsius voluntatis dissensu, quia tunc esset in potestate voluntatis, quod vellet vel nollet gratiæ consentire; quod sane a Jansenio systemate est omnino alienum.

VI.

Verum ut Orthodoxi Theologi sese extricent e labyrintho fallaciarum & cavillationum quibus Jansenii Summorum Pontificum Bullas eludere conantur, ab iis exigunt ut confiteantur, quod potestas quæ per gratiam confertur non sit actu ligata per cupiditatem majorem, seu quod sit potestas expedita: item quod potestas illa sit relativa ad gradus cupiditatis, ita ut homo secundum præsentes quas habet vires possit operari bonum illud ad quod gratia excitat voluntatem, seu ita ut revera possit gratiæ consentire in circumstantiis cupiditatis fortioris.

VII.

Quidquid autem sit de Catholicorum agendi ratione, ut grassantem Jansenianam hæresim coerceant, certum est atque indubitatum non ejurari errorem in secunda propositione damnatum ab iis, qui confitentur interiori gratiæ aliquando resisti, in eo sensu quod homo aliquando eum non producat effectum ad quem gratia excitat voluntatem, vel quod eum effectum non producat quem per gratiam, si debilior adesset cupiditas, revera produxisset. Si enim hæc confitendo essent insontes, insons quoque foret ipsemet Jansenius, & innoxiæ forent quinque propositiones in sensu Jansenii, quamvis in eo sensu damnatæ sint a Summis Pontificibus.

VIII.

Verum inter Jansenianos plures reperias, qui temperatis aut mutatis quibusdam Jansenii asperioribus verbis ab errore in secunda propositione damnato videntur recedere, etsi ab eo revera non discedant. Alii enim docent non solum sæpe resisti interiori gratiæ, sed admittunt præterea gratias sufficientes, quæ dant veram bonum operandi potentiam. Alii etiam addunt illam potentiam esse completam, proximam, imo expeditam atque relativam. Sed hæc sunt mera verba ad errorem potius involvendum, quam excludendum accommodata. Quandiu enim doctrinam duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum superioritate invincibilium profitebuntur; quandiu vim & efficaciam gratiæ pariter cum Jansenio exponent per delectationem relative victricem; quandiu de communi principio cum Jansenio consentient, certum est eos in rei sinceritate non posse prædicta verba intelligere sensu ab erroribus Jansenianis disjuncto: admissa enim, gratiæ scilicet vel concupiscentiæ, delectatione victrici, cui voluntas necessario obsequatur, interiori gratiæ nunquam illa resistit: nam vel gratia superior est cupiditate, vel non: si superior est, voluntas illi necessario obsequitur: si autem non est superior, voluntas quidem non operatur illud bonum ad quod inclinabatur a gratia, illud tamen non impedit, nec impedire potest, cum in illis circumstantiis nihil aliud possit quam obsequi cupiditati, quæ supponitur esse gratiæ gradibus superior, ac proinde non resistit interiori gratiæ.

ARTICULUS IV.

De tertia propositione Jansenii.

NUnquam negavit Jansenius hominem viatorem pœna aut mercede dignum esse, prout bene aut male operatur. Nec quoque negavit ad merendum & demerendum libertatem requiri. Hæc enim duo aperte confitetur innumeris in locis, quos recensere supervacaneum foret, cum ab ejus discipulis id ita esse non abnuatur. Quapropter ut conciliet suum systema de duabus delectationibus indeliberatis & pro graduum superioritate invincibilibus, cum libero hominis arbitrio, fateri cogitur in hoc præsenti naturæ lapsæ statu hominem viatorem mereri atque demereri, etsi necessitetur ad obsequendum delectationi illi, sive gratiæ, sive cupiditatis, quæ actu gradibus superior est altera; quem errorem exprimit tertia ejus propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

Hæc propositio paucis verbis complectitur totam doctrinam quam Jansenius latius exponit in tribus integris libris de grat. Chr. Salvat. scilicet 6. 7. & 8.

I.

Notandum est autem hunc Novatorem duplicem tantum distinguere necessitatem, unam coactionis, & alteram simplicem seu voluntariam. Hanc duplicem necessitatem annuntiat titulus ipse capitis 6. libri 6. de grat. Chr. Salvat. qui sic habet: *Duplex necessitas Augustino, coactionis & simplex seu voluntaria. Illa, non hæc repugnat libertati.* Deinde exponens Jansenius quæ sit illa necessitas, quam vocat necessitatem coactionis, & illa quam nuncupat necessitatem simplicem seu voluntariam, sic habet: *Duplex autem in doctrina ejus* (S. Augustini) *necessitas reperitur: una quæ operatur effectum suum, etsi nolis, seu quantumcumque renitaris: altera qua simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis. Prima illa necessitas, qua fit aliquid, etsi nolis, semper apud Augustinum opponitur voluntati. Impossibile est enim ut quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus; & e contrario ut id quod fit necessitate, seu nobis nolentibus, fiat nostra voluntate.* Sub hac autem necessitate coactionis complectitur Jansenius, non solum eos omnes actus qui fiunt voluntate actu resistente, sed etiam illos qui fiunt absque actuali renisu voluntatis, si voluntas illos impedire non possit, licet impedire vellet; ideoque, juxta illum, omnes naturales impetus qui non possunt volendo impediri, necessarii sunt illa coactionis necessitate. *Hæc ergo necessitas*, inquit, *valde generalis est, & sub ea naturales omnes impetus comprehendit, qui non possunt volendo impediri.* Jansen. lib 6. de grat. Chr. Sal. cap. 6.

II.

Hac distinctione supposita asserit necessitatem coactionis repugnare libertati, non autem necessitatem simplicem seu voluntariam. *Doctrina igitur Augustini est*, inquit, *necessitatem illam primam, prout etiam naturam sic explicatam complectitur, (nec aliud est respectu voluntatis, quam quædam vis, aut violentia, aut coactio, qua operatur id quod potest, etiam nolente voluntate) capitaliter repugnare libertati, eamque funditus pertmere, non autem illam necessitatem quæ est simul voluntaria, qua scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate.* Jansen. ibid.

Eandem doctrinam in infinitis propemodum locis repetit Jansenius. *Hactenus declaravimus*, inquit, *generalem libertatis rationem, a qua dictum est liberum arbitrium commune bonis & malis in eo situm esse, quod immune sit a necessitate coactionis.* Et alibi, *Nulla necessitas*, ait, *libertati voluntatis formidanda est, nisi coactionis, seu illa quæ operatur effectum, etsi nolumus, hoc est, invita & renitente voluntate.* Plura ejusdem Novatoris testimonia retexere supervacaneum foret ac tædiosum: ex allatis enim evidenter colligitur, quod, juxta Jansenium, voluntas, quæ necessario consentit delectationi prædominanti, nec potest ei suum denegare consensum, consentit tamen libere, quia non cogitur, hoc est, quia non renititur, quia non dissentit. Quoniam autem implicat contradictionem quod voluntas consentiat simul & dissentiat, ideo, juxta illum, implicat quod voluntas consentiat delectationi prædominanti, etiamsi necessario consentiat, & tamen non sit libera. Jansen. l. 7. de grat. Chr. Sal. vat. cap. 1. Jansen. lib 8. de gr. Ch. Sal. cap. 14.

III.

Prævidit quidem Jansenius quod hic inauditus exponendæ libertatis ad merendum & demerendum requisitæ modus Christianorum animos merito commoveret. *Mira videbitur*, inquit, *scholasticis hæc doctrina*: ideoque illam verbis omnino Catholicis obtegere conatur. *Illi sunt*, inquit, de hominibus viatoribus loquens, *qui possunt præcepta facere, & non facere, servare vel transgredi.* Jansen. lib. 6. de grat. Ch. Sal. vat. cap. 6.

Et quemlibet actum voluntatis deliberatæ, etiam necessarium, docet esse in potestate & dominio voluntatis, capite sequenti, cujus est hic titulus: *Actus voluntatis deliberatæ necessarius est in potestate & dominio voluntatis.* Et eodem capite cum hanc sibi de actu voluntatis necessario proposuisset objectionem: *Accedit*, inquit, *quod in hujusmodi actu potius agi quam agere videamur. Hoc autem repugnare libertatis arbitrii extra controversiam est*; sic respondet: *Respondemus se ipsum agere & movere dominium quoddam super actum indicat, ut pro arbitrio sese moveat vel compescat; alioquin enim, quantumvis interaum sui motus principium habeat, agi & moveri potius quam se ipsum movere dicitur. Hoc autem omnino postulat ut super actum suum reflectere possit, non solum appetendo, sed etiam judicando. Nam* Jansen. ibid. cap. 34. Jansen. ibid. cap. 35. Ibid.

do. Nam sive potestas appetitiva super se ipsam sola reflecteretur, sive sola cognitiva, semper eodem modo istud agens, sicut bruta, moveretur & refrænaretur. Hæc ergo potestas reflectendi sese super actum suum propter immaterialitatem qua nulli materiæ alligata est, objectique vastitatem rationi & voluntati creaturæ rationalis propria est. Ea ratione habet ut possit de fine & mediis judicare, ea conferre, utrorumque proportionem expendere, & per hoc ipsum de proprio suo judicio judicare, num recte judicaverit. Ex voluntate habet, ut possit, non solum appetendo movere, sed etiam super motum suum se reflectendo velle movere. Et in hoc proprie sita est potestas movendi se. Et quia in omni rationali motu semper adest expresse vel tacite hujusmodi super se reflexio, semper etiam in omni rationali motu seu consensu suo movet se ac dominatur sui. Hoc est igitur proprie quod Bruta, pueros, & insensata deficit. Hunc locum, etsi nimio prolixiorem, referre necesse visum fuit, ut facilius Lector perspiciat quo sensu Jansenius doceat actus voluntatis necessarios, a quibus abstinere non possumus, esse tamen in potestate nostra, nos illorum esse dominos, nosque eos exercendo agere ac movere nosmetipsos.

IV.

Agnoscit etiam in voluntate, etsi necessitetur ad agendum, indifferentiam, quam Theologi appellant indifferentiam contradictionis, nempe potestatem agendi & non agendi ad libitum voluntatis. *Omnis*, inquit, *voluntatis deliberatæ motus essentialiter quoque talem indifferentiam contradictionis quodam sensu secum trahit. Nec enim aliud est indifferentia libertatis, quam tantopere Scholastici admirantur, quam potestas agendi & non agendi ad libitum voluntatis, seu cum voluerit. Quod si voluntas forte vel agere vel cessare nolit, & firmiter nolit, & immutabiliter nolit, vel e contrario agere velit, & firmiter velit, & immutabiliter velit, quodnam hic fingi potest detrimentum libertatis?* Ibid.

Addit quoque voluntatem, etsi necessario agat, se ipsam tamen determinare ad agendum. *Voluntas*, inquit, *semper & essentialiter servat proprium suum operandi modum a natura distinctum, qui est agere, non agi, movere ac determinare se ipsam; agere per modum libertatis, sive contingenter agat, sive necessario.* Jansen. ibid. cap. 37.

Et capite 38. ita concludit. *Cum voluntas quantumcumque aliquid immutabiliter necessarioque velit, semper sibi ipsi & actui suo dominando velit, semper se ipsam agat & moveat, nunquam ab alio agatur & moveatur, semper per modum eligentis alteram partem velit: quæ ab omni agente naturali remotissima sunt, nihil omnino de necessitate actus voluntarii curaverunt* (veteres), *sed non obstante immutabili necessitate omnem omnino rationalem voluntatem (hoc est voluntatis motum) & liberam & electivam objecti sui posuerunt, sola exclusa violentiæ coactionisque necessitate.*

V.

Ex his omnibus locis, & pluribus aliis, quos brevitatis causa silentio præterimus, sequitur quod, quando Jansenius voces istas usurpat, nimirum quod voluntas possit ad libitum agere & non agere; quod habeat actum in sua potestate, quod sit domina actionum suarum, quod habeat quodam sensu indifferentiam contradictionis; quod se ipsam moveat & determinet ad agendum; quod semper per modum eligentis alteram partem velit, &c. sequitur, inquam, quod istæ voces non significent voluntatem ita velle aliquid, ut possit ab illo volendo abstinere, sed juxta illum, sequitur tantum quod voluntas velit cum advertentia & reflexione, licet ab eo volendo nullatenus possit abstinere. Sola ergo coactio, quæ rationis advertentiam & reflexionem excludit, repugnat libertati: necessitas vero simplex & voluntaria cum ea vere subsistit.

Hinc tamen intelligitur quomodo actu dominante gratiæ delectatione ad bonum vere libera sit, juxta Jansenium, & libere operetur, quamvis nec delectationem prævium removere possit, nec illa posita abstinere ab eo ad quod impellitur. Ratio est quia voluntas vere agit, & vere vult cum advertentia & reflexione, & retinet semper flexibilitatem illam, qua fit ut dum vult bonum, possit malum velle, quatenus illud actu vellet, si terrena delectatio esset revera actu, ut potuit esse, superior.

VI.

Hinc etiam intelligitur quo sensu asserat voluntatem posse dissentire, si velit; non quod revera polleat dissentiendi potentia, sed eo sensu quod si vellet dissentire, quod tamen velle non potest, revera dissentiret. *Itaque*, inquit, *sicut Scholastici quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem posse dissentire, si velit, & Augustinum, hominem Deo vocanti posse consentire, si velit, putant & recte putant significari humani arbitrii libertatem: sic etiam intelligunt, eadem prorsus ratione, libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle, si velit; posse non velle, si nolit: nam quid est posse consentire, nisi velle? Quid est dissentire, nisi non velle? Si ergo phrases istæ infallibiliter demonstrant humani libertatem arbitrii, profecto liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit, aut immutabiliter nolit.* Jansen. lib. 6. de gr. Chr. Salvat. cap. 35.

Si valeret hæc Jansenii interpretatio, Tridentina Synodus nihil aliud adversus hæreticos definiisset, quam quod voluntas possit velle dissentire, si velit dissentire. Quid fingi potest absurdius?

Nulli unquam dubium fuit quod voluntas possit velle, quando vult, seu quod, ut ajunt Philosophi, ab actu ad potentiam valeat consequentia. Hoc non negabant Lutherani nec Calvinistæ: hoc igitur non definiit adversus illos Tridentina Synodus.

Hæc autem adulterina interpretatio in hæc Concilii verba, *posse dissentire, si velit*, a Jansenio ridicule conficta, Jansenii systemati mirifice congruit. Nam si voluntas e duabus delectationibus necessario illi consentiat, quæ gradibus alteram superat, profecto intelligi non potest quomodo possit velle ei dissentire.

VII.

Ex his evidenter colligitur Novatores ab errore tertiæ propositionis Jansenianæ non recedere, etsi cum Jansenio fateantur voluntatem posse ad libitum agere & non agere, habere actum in sua potestate, actionum suarum esse Dominam, habere quodam sensu indifferentiam contradictionis, se ipsam movere & determinare ad agendum, semper agere per modum eligentis; non recedunt, inquam, ab errore tertiæ propositionis, dum hæc duo simul docent, scilicet voluntatem, & liberam esse libertate ad merendum vel demerendum requisita, & non posse dissentire illi delectationi, quæ gradibus alteram superat: si enim non possit dissentire delectationi gradibus præponderanti, libera non est libertate a necessitate: quod si libera non est libertate a necessitate, fatendum est vel voluntatem nihil mereri aut demereri in hac vita (quod sane non fatebuntur Jansenistæ) vel non requiri libertatem a necessitate ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ; quæ doctrina eadem est cum tertia propositione Jansenii.

ARTICULUS V.

De quarta Jansenii propositione.

DOcet Jansenius Semipelagianos admisisse gratiam interiorem ad singulos actus, atque etiam ad initium fidei necessariam; & in eo præcipue eos erasse contendit, quod præterea repudiata gratia illa efficaci & victrici, qua datur invincibiliter velle & operari, aliam agnoscerent ita libero arbitrio subditam, ut ei posset humana voluntas resistere & obtemperare. Sic autem habet quarta propositio. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quam propositionem Innocentius X. ut falsam & hæreticam damnat. *Falsam*, inquit, *& hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

I.

Hæc propositio, quæ inter Jansenianas quarta est, duas continet partes, quarum prima affirmat *Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei.* Secunda autem pars asserit eos *in hoc fuisse hæreticos, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

Hæc quarta Jansenii propositio duplici censura, ut jam diximus, notata fuit, ut falsa scilicet simul & hæretica, ita ut, juxta communem Theologorum sententiam, falsitatis nota priorem supradictæ propositionis partem afficiat, & nota hæreseos posteriorem. Itaque falsitatis arguunt illi Theologi eos omnes qui dixerint Semipelagianos usquam admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei. Qui autem asseruerint quod Semipelagiani in eo essent hæretici, quod vellent illam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, eos omnes hæreticos esse declarant.

II.

Nonnulli tamen alii, licet numero pauciissimi, priorem hujus propositionis partem nulla inuri censura volunt; cum in ea dumtaxat agi de mera quæstione facti asserant. Quapropter solam ejusdem propositionis posteriorem partem, illæsa priori, falsitatis simul & hæreseos sordibus maculari contendunt.

Verum hanc assertionem tamquam temerariam rejiciunt alii Theologi, eamque impugnant, præcipue ex

ex eo quod S. Pontifex, addendo notæ hæreſeos notam falſitatis, quæ in cenſura aliarum propoſitionum omiſſa eſt, ſatis aperte innuit hanc notam dumtaxat additam fuiſſe, ut caderet in primum propoſitionis membrum, in quo aſſeritur Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei.

Præterea, inquiunt iidem Theologi, quæſtio hæc, an ſcilicet Semipelagiani neceſſitatem gratiæ ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, admiſerint, ita ad factum pertinet, ut in quarta Janſenii propoſitione ad jus etiam pertinere videatur. Nam ſi Janſenianus quis contendat quod talis gratiæ neceſſitas revera a Semipelagianis admiſſa fuerit, ſequi videtur eos in hoc eſſe hæreticos quod admiſerint talem gratiam, cui poſſet voluntas reſiſtere vel obtemperare: quæ eſt hæreſis proſcripta in ſecunda parte quartæ Janſenii propoſitionis.

Quidam autem alii ultro fatentur priorem quartæ propoſitionis partem tamquam falſam merito fuiſſe damnatam, ex eo præcipue quod vellet Janſenius omnes omnino Semipelagianos gratiæ interioris ad initium fidei neceſſitatem admiſiſſe, cum aliqui revera, juxta illos, extiterint qui talem non admiſere gratiam. Unde ſe ab omni cenſura immunes exiſtimant, eo quod aſſerant, non omnes, ſed plures duntaxat Semipelagianos admiſiſſe neceſſitatem prævenientis gratiæ interioris, etiam ad initium fidei, hoc nixi fundamento, quod cum propoſitio Janſenii ſit indefinita ac proinde univerſaliter intelligenda, ab errore illius Novatoris in prima parte quartæ propoſitionis damnato ſufficienter recedunt, dum de pluribus duntaxat Semipelagianis aſſerunt illud, quod de omnibus aſſeruit Janſenius.

Alii hanc opinionem ſibilandam ac explodendam arbitrantur: nam quarta propoſitio in ſenſu Janſenii damnata eſt, qui ſimiliter Semipelagianos duas in claſſes dividit, quarum una admittebat neceſſitatem prævenientis gratiæ interioris, etiam ad initium fidei; altera non admittebat. Id ergo unum voluit Janſenius, quod ſcilicet plures Semipelagiani hanc gratiæ neceſſitatem admiſerint; ac proinde iſtius Novatoris quarta propoſitio intelligi debet de univerſalitate ſolum morali, non autem de univerſalitate metaphyſica.

Janſen. lib. 7. de Hæreſi Pelag. cap. 2.

III.

Quidquid autem ſit de his quæſtionibus quæ ad fidem directe non pertinent, certum eſt atque indubitatum hæreſim damnatam in quarta Janſenii propoſitione hanc eſſe, quod divina gratia talis ſit, cui humana voluntas reſiſtere vel obtemperare non poſſit.

Quod autem hæc ſit Janſenii doctrina, ſatis ex ſupradictis perſpicuum eſt. Nam ſi voluntas eo ſemper neceſſario & immutabiliter rapiatur, quo eam trahit major voluptas; ſi fieri nequeat ut delectatio debilior vincat robuſtiorem; ſi e duabus delectationibus teneatur ineluctabiliter obſequi illi quæ alteri prævalet: ſi nulla alia gratia ſit efficax & victrix, quam quæ gradibus cupiditatem ſuperat, nulla alia inefficax quam quæ gradibus eſt cupiditate inferior, hinc ſequitur quod humana voluntas gratiæ gradibus ſuperiori reſiſtere non poſſit, nec gratiæ gradibus inferiori obtemperare. Hunc errorem proſcripſit Summus Pontifex in quarta Janſenii propoſitione; & hunc proſcribendo ſimul definiit voluntatem humanam poſſe divinæ gratiæ reſiſtere, vel obtemperare: poſſe quidem reſiſtere illi gratiæ, quæ ſuum ſortitur effectum; poſſe etiam obtemperare illi quæ ſuo caret effectu: uno verbo, nullam eſſe gratiam, ſive efficax ſupponatur, ſive inefficax, cui non poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

IV.

Ut tamen Janſenii diſcipuli invidioſum iſtud doctrinæ ſuæ cum damnata Magiſtri doctrina conſortium declinent, poſt editam Innocentii X. Conſtitutionem, quartam Janſenii propoſitionem, ſicut & cæteras, damnare ſe ſimulant. Fatentur quidem humanam voluntatem divinæ gratiæ poſſe reſiſtere vel obtemperare; ſed in quo ſenſu? In ſenſu ſcilicet qui doctrinæ Janſenii nullatenus adverſatur: in ſenſu quem Novator ille non reſpuit, quem adhibuit atque confinxit.

Janſenius itaque, ut aſperitate doctrinæ ſuæ nemo offenderetur, quaſdam commentus eſt æquivocationes, quas adoptarunt ipſius diſcipuli, ut earum ſubſidio errores ſuos obnubilarent. Ultro enim concedunt humanam voluntatem poſſe divinæ gratiæ reſiſtere, ſi velit; poſſe ſimiliter illi obtemperare, ſi velit; poſſe etiam præcepta adimplere, ſi velit; & ut brevi præcidamus, nihil eſſe in ordine gratiæ ac in via ſalutis quod non poſſit humana voluntas, ſi velit.

Qui Janſenianorum myſteria ignorat, his verbis in ſpeciem Catholicis in tranſennam induci facile poteſt. Verum illorum fraudem ſupra deteximus, cum oſtendimus impoſſibile eſſe, in ſyſtemate Janſenii, ut voluntas velit v. g. obtemperare gratiæ in circumſtantiis ardentioris ac robuſtioris concupiſcentiæ, & illi reſiſtere, ſi concupiſcentia ſit debilior. Igitur voluntas poteſt reſiſtere gratiæ, ſi velit; poteſt illi obtemperare, ſi velit: poteſt præcepta adimplere, ſi velit: hæc ſunt mera verba ad illudendum unice excogitata, cum in circumſtantiis in quibus reperitur voluntas, ut ſuperius dictum eſt, nullo pacto velle poſſit.

V de ſupra art. 1. n. 7. & art. 4. n. 6.

V.

Si tamen tritum illud effugium Catholicis omnibus abſurdum ac futile admodum videatur, alia ſuggeret Janſenius, quorum ope doctrinam ſuam cum Tridentini doctrina accommodare tentabit. Definit enim Tridentinum quod liberum hominis arbitrium divinæ poſſit gratiæ diſſentire, ſi velit; addit etiam ſimpliciter & abſque ulla reſtrictione quod eandem gratiam homo poſſit abjicere. Janſenius itaque ut a Tridentino non videatur recedere, plures excogitavit modos, quibus homo dici poteſt gratiæ gradibus inferiori obtemperare, & gratiæ illi quæ cupiditati prædominatur reſiſtere; contendit enim loco ſupra citato, *in rebus ad vitam bonam ſeu pietatem ſpectantibus, multipliciter hominem dici poſſe aliquid*, ſcilicet vel *remotiſſime per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum & malum*, vel etiam *paulo propinquius*, pergit idem Novator, *dicimur poſſe bene vivere per fidem*, vel *multo plenius propinquiuſque per charitatem*. Si ergo liberi arbitrii flexibilis facultas ad bonum ſufficiat, ut quis dicatur poſſe operari bonum, multo magis poſſe dicetur ille cui inſuper gratia actualis, licet gradibus inferior, conceſſa eſt, de qua & de prima velleitate quam ipſamet gratia operatur, aſſerit Janſenius quod ſint majoris gratiæ provocativæ.

Vide ſupra art. 2. n. 5.

VI.

Si autem in ſyſtemate Janſeniano homo actuali gratia, licet debiliori, inſtructus poſſit adimplere mandata, ac conſequenter obtemperare gratiæ, dici poterit ſimiliter hominem gratia efficaci & victrici præditum poſſe illi gratiæ reſiſtere, quia ſcilicet liberum habet arbitrium ad malum, ſicut & ad bonum flexibile, & quia præterea, juxta Janſenium, cupiditate nunquam caret, quæ eſt poteſtas perfectiſſima peccandi. *In nobis*, inquit, *non ſolum ipſa potentia voluntatis quæ de ſe ad malum flexibilis eſt, ſed etiam pondus ad peccandum remanet, quod eſt peccandi poteſtas perfectiſſima; quæ ſane non ſolum adeſt ineſtque voluntati, quando gratiæ delectatione caret, ſed etiam quando intima ejus ſuavitate efficaciter trahitur. Propter quam ſane liberum arbitrium, qualicumque gratia ad agendum rapiatur, rectiſſime dici poteſt poſſe peccare.* Janſen. l. 8. de grat. Chr. Salvat. cap. 20.

Hæc vera eſſent, ſi cupiditas, quæ in nobis remanet tanquam pondus ad peccandum, poſſet vincere ſuperiorem gratiæ delectationem oppoſitam a peccato retrahentem, & ad bonum invincibiliter determinantem; ſed cum, juxta Janſenium, cupiditas illa, quæ ſupponitur gradibus inferior delectatione gratiæ, illam ſuperare nullatenus poſſit, profecto potentia peccandi quæ per cupiditatem in illa circumſtantia datur, eſt potentia ita per gratiam victricem ligata, ut non poſſit actu voluntatem trahere ad peccatum, ac proinde non eſt vera & proprie dicta peccandi potentia. Igitur vere dici nequit quod in tali circumſtantia humana voluntas poſſit divinæ reſiſtere gratiæ. His itaque effugiis Janſenius anathemati Tridentino nullatenus ſe poteſt ſubducere.

VII.

Ut errores ſuos obtendat, larva ſe induit Thomiſtica, & ut quandam cum Thomiſtis habere videatur conſenſionem, eandem, quam illi adhibent, ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi diſtinctionem & ipſe adhibet. *Dicimus igitur*, inquit, *liberum arbitrium quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, non tamen poſſe bonum, non tantum non facere, ſed etiam malum: verum eſt enim iſtud, non equidem in ſenſu compoſito, ut dici ſolet, ſed in ſenſu diviſo.* Deinde hanc diſtinctionem exponit, ſicut & eam exponere ſolent Thomiſtæ, nempe homo gratiæ efficaci non poteſt reſiſtere in ſenſu compoſito, quia hæc duo ſimul componi non poſſunt, ſcilicet gratia efficax & actualis reſiſtentia: reſiſtere tamen poteſt in ſenſu diviſo, quia gratia efficax & potentia diſſentiendi ſimul poſſunt conſiſtere. *Nimirum*, ait Janſenius, *quia eodem tempore quo voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt, imo quo etiam actum voluntatis bonum facit, eſt in eadem voluntate poteſtas illud non faciendi, imo peccandi, non quod ceſſatio ab actu quem tunc* Janſen. ibid.

tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu consistere possit (quod sensus compositus postularet) sed quia cessandi & peccandi potestas cum eadem gratia in eodem voluntatis arbitrio conjungi potest.

VIII.

Consentit quidem, & verbis & re, Jansenius cum Thomistis in eo quod asserit simul componi non posse hæc duo, scilicet efficacem gratiam, & actualem voluntatis resistentiam; nec in hoc arguitur ab Orthodoxis Doctoribus.

Cum illis etiam consentit, verbis duntaxat non re, in eo quod ait simul consistere gratiam efficacem & potentiam resistendi; nam potentia resistendi quam admittunt Thomistæ, sicut & cæteri Orthodoxi Theologi, est vera & proprie dicta potentia. Illa autem potentia quam admittit Jansenius, non est vera & propriæ dicta potentia; ac proinde consensio hæc, quam inter se & Thomistas inesse putat Jansenius, verbis tantum perfici potest, re autem ab illis plurimum dissidet; quapropter dum ait hominem gratiæ efficaci posse resistere in sensu diviso, illud asserere nequit, nisi supradictarum subsidio æquivocationum, quæ cum famoso duarum delectationum indeliberatarum & pro graduum superioritate invincibilium principio perfecte cohærent. Verum de hac sensus compositi & sensus divisi distinctione aliquid iterum in hujus Operis parte sequenti dicendi erit locus.

ARTICULUS VI.

De quinta propositione Jansenii.

CHristum Redemptorem esse Prædestinatorum, iisque gratias efficaces meruisse, quibus vitam assequantur æternam, & pro illorum salute passum ac mortuum esse, omnes consentiunt. Quod autem latius non pateat Redemptoris nomen, sed ad solos electos limitari debeat, quodque pro salute dumtaxat Prædestinatorum Christus mortuus sit, post Calvinum docuit Jansenius, tamquam Semipelagianos traducens eos qui dixerint quod Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit, aut sanguinem fuderit: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Hæc propositio inter Jansenianas numero quinta duplicem exhibet faciem: eam etiam sub duplici respectu consideravit Summus Pontifex. Quatenus enim tamquam Semipelagianam redarguit communem sententiam Orthodoxorum, quæ affirmat Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, eam declarat falsam, temerariam, scandalosam: quatenus vero eum exhibet sensum qui a Jansenio intenditur, ut Christus pro salute solorum Prædestinatorum mortuus sit, hæretica pronuntiatur a Summo Pontifice, *intellectam*, scilicet, *eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam.* In hunc igitur posteriorem sensum cadit censura hæreseos, qua propositio notata fuit: quapropter eam in ultimo illo sensu hic accipimus, & de ea ut hæretica tantum quæstio erit.

I.

Verum hanc quintam propositionem proscribere non potuit Innocentius X. quin simul tamquam inconcussum fidei dogma definierit Christum mortuum esse, non pro Prædestinatorum dumtaxat, sed etiam pro nonnullorum, saltem reproborum, salute.

Quamvis autem Summus Pontifex Constitutione sua aliam non definierit quæstionem, utrum scilicet Christus pro omnibus omnino hominibus sit mortuus, docent tamen communiter Theologi de fide esse Christum pro salute omnium Fidelium, qui per baptismum gratiam justificationis acceperunt, mortuum esse, imo plurimi censent quod certum sit certitudine fidei Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, pro reprobis etiam Infidelibus qui nihil unquam audierunt de Christo; pro parvulis quoque in utero materno morientibus; nihilque deesse huic assertioni, ut sit expresse de fide, præter expressam & publicam Ecclesiæ definitionem.

Docuerunt quidem nonnulli Theologi, numero pauciissimi, Christum pro salute parvulorum in utero materno morientium non esse mortuum; sed ab aliis hæc eorum sententia rejicitur & firmioribus atque validioribus momentis convellitur.

II.

Jansenius qui hoc in se sumpsisse videtur, ut Catholicos in omnibus impugnet, Orthodoxam in hac quoque parte evertit fidem, & beneficium mortis Christi ad solos Prædestinatos restringit. *Sicut ergo* (Augustinus) *non voluit*, inquit Jansenius, *voluntatem Dei ad salutem omnium omnino hominum extendi, sed illorum dumtaxat qui ex omni gente & lingua, ex omni hominum genere prædestinati sunt, ita nec voluit effectus istius voluntatis, hoc est, mortem, sanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Christi ad homines omnes dilatari, sed ad solos illos qui prædestinati sunt, quatenus pro æterna & totali eorum salute offeruntur.* Jansen. lib. 3. de grat. Ch. Salvat. cap. 21.

III.

Hæc ita clara sunt ut nullo indigeant commentario: nec potuit Jansenius disertius significare Christum non velle salutem omnium, sed pro salute duntaxat Prædestinatorum mortem suam obtulisse, suumque fudisse sanguinem. Hunc etiam errorem aliis verbis adstruit eodem capite, cum Divi Augustini principiis adversari contendit, Christum esse pro alicujus reprobi salute mortuum. *Nullo modo*, inquit, *principiis ejus* (Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro Justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur.* Jansen. ibid.

IV.

Quam injuriosa sit Augustino doctrina hæc quæ ipsi calumniose imputatur; quam ipsi Christo contumeliosa; quam denique divinæ bonitati derogans, nemo non videt. Hujusce tamen doctrinæ impietatem eo extulit Jansenius, ut velit Christum, non solum pro reprobis non mortuum, sed nequidem pro ipsorum magis quam pro Diaboli æterna salute suum orasse Patrem etiam asserat. *Ex quo factum est*, inquit, *ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit.* Jansen. ibid.

Unde ortum suum habeat exitialis hic error, patet ex serie totius Jansenianæ doctrinæ: nam si nulla alia sit operandi gratia quam delectatio victrix: si hoc ipso quod cupiditati gradibus superior est, non potest ei resisti: si ad operandum ita necessaria sit illa delectatio, ut absque illa voluntas velle non possit, nec agere: si hoc ipso quod datur & prævalet, semper, necessario, ac invincibiliter suum habeat effectum; hinc sequitur Dei mandata illis omnibus qui illa transgrediuntur esse impossibilia, & impossibilem esse in justitia perseverantiam iis omnibus qui ab ea deficiunt. Si autem iis omnibus qui non perseverant impossibilis sit perseverantia; hinc Christus ipsis æternam salutem non voluit reddere possibilem: hinc voluit Christus mortem suam, sanguinem, redemptionem, propitiationem dilatari ad salutem solorum Prædestinatorum: hinc igitur oritur error in quinta Jansenii propositione damnatus.

V.

Hujus tamen erroris duritiem emollire ac temperare conantur, Jansenio duce, nonnulli illius Discipuli. Ultro enim fatentur Christum, non solum pro salute Prædestinatorum mortuum esse; sed etiam ipsum mortuum volunt pro temporalibus illis gratiæ donis, quibus aliqui reprobi hac in vita exornantur. Ita, juxta illos, Christus mortuus est ad obtinendas gratias iis qui non perseverant, ad obtinendam fidem iis qui e tenebris infidelitatis ad divinæ fidei lumen transeunt: ad obtinendam justificationem iis qui ad tempus dumtaxat justificantur; & sic tandem hujusce cavillationis subsidio se ab omni erroris labe puros, & ab omni censura immunes existimant.

Turpiter quidem allucinantur, si hoc effugio a Jansenii doctrina alienos se putent. Neque enim diffitetur Jansenius Christum mortuum esse ad obtinenda reprobis quædam divinæ gratiæ munera: hæc duo diserte docet Jansenius, & Christum mortuum esse pro salute dumtaxat Prædestinatorum, & simul mortuum esse ut reprobi consequantur, non quidem æternam salutem, sed fidem licet charitate destitutam, sed charitatem licet sine perseverantia, & quosdam alios mortis & sanguinis Christi temporales effectus. *Quibusdam hominibus*, inquit, *dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem .... aliis charitatem sine perseverantia, aliis fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus tamquam veris ovibus suis, vero populo suo tamquam absolute salvando, semetipsum dedit & tradidit .... non pro cæteris qui a fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tantum mortuus est ..... in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt .... Eatenus igitur, & non aliter pro illis Christus mortuus est, & sanguinem fudit, & propitiatio peccatorum fuit, & rogavit Patrem suum, ut videlicet illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis & san-* Jansen. lib. 3. de grat. Chr. Sal. cap. 21.

& ſanguinis & orationis conſequantur. Unde ſic argumentari licet. Quamvis Janſenius docuerit Chriſtum mortuum eſſe, non ſolum pro æterna ſalute Prædeſtinatorum, ſed etiam pro temporalibus quibuſdam gratiæ divinæ muneribus quibus nonnulli exornantur reprobi, damnata eſt tamen ejus doctrina tanquam hæretica; ergo ab hæreſi Janſeniana non recedunt ii, qui quamvis negent Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum, nihil aliud præterea volunt, quam quod Chriſtus mortuus ſit ad nonnullas etiam gratias temporales reprobis promerendas: ergo cum eandem quam Janſenius doctrinam tueantur, eadem merentur cenſura notari.

VI.

Et vero ſenſus hujus propoſitionis, *Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus eſt*, ex mente Janſenii nullus alius eſſe poteſt, quam quod Chriſtus pro nullius reprobi æterna ſalute mortuus ſit, non autem quod pro nulla reprobis gratia temporali obtinenda ſit mortuus, quidquid reclament Adverſarii falſo contendentes, ideo damnatam eſſe propoſitionem, quia mortis Chriſti beneficium ad electorum ſalutem reſtringendo, excludit gratias temporales reprobis collatas, ita ut adverbium *dumtaxat*, ad voces, *pro ſalute*, referant; non autem ad vocem *Prædeſtinatorum*, ut referri debet: ſed fraudulenter omnino, nam, ut diximus, docet Janſenius Chriſtum, non pro electorum ſalute dumtaxat eſſe mortuum, ſed etiam pro aliquo temporali beneficio ipſis reprobis promerendo. Ergo Summus Pontifex quintam propoſitionem damnando in ſenſu Janſenii definiit, prædeſtinatos non eſſe ſolos, pro quorum ſalute Chriſtus mortuus eſt: definiit eum mortuum eſſe etiam pro ſalute reproborum, ſaltem nonnullorum: definiit eum, non ſolum mortuum eſſe pro gratiis quibuſdam temporalibus, ſed etiam pro ſalute reprobis, ſaltem nonnullis, obtinenda.

VII.

Hanc Innocentii X. definitionem, quæ ipſos plurimum gravat, ut eludant Janſeniani, doloſa alia utuntur diſtinctione. Volunt quidem Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis, ſed pro omnibus omnino hominibus fuiſſe mortuum, in quantum ſcilicet omnibus omnino redimendis pretium ejus ſanguinis fuit ſufficiens. Unde, juxta illos, Chriſtus pro omnibus etiam reprobis mortuus eſt ſufficienter, id eſt, quantum præciſe ad ſufficientiam pretii: pro electis vero mortuus eſt efficienter, id eſt, quantum ad applicationem mediorum quibus ſalvari poſſunt, & quibus revera ſalvantur.

Quod autem Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis mortuus ſit efficienter, in eo ſenſu quod ipſis ſolis obtinuit gratias efficaces & victrices quibus certo ſuam aſſequantur ſalutem, certum eſt atque indubitatum. Indubitatum eſt quoque quod redimendis omnibus omnino hominibus pretium Sanguinis Chriſti fuit abunde ſufficiens. Verum ad hoc ut dici poſſit Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, non ſatis eſt quod pretium mortis ejus ſit ſufficiens omnibus redimendis; ſed requiritur inſuper quod Chriſtus mortem ſubierit ea intentione, ut mors omnibus proſit: nam Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus in ſenſu proprio eſt, illum eſſe mortuum eo animo, ea voluntate ſeu intentione, ut pretium ſanguinis ſui pro omnium ſalute Deo Patri obtulerit, eiſque gratias ad ſalutem vere ſufficientes obtinuerit. Nam, ajunt Theologi Orthodoxi, quantumvis ſufficiens, imo ſuperabundans fuerit valor & meritum paſſionum Chriſti omnibus redimendis, non poteſt tamen dici pro iis mortuum fuiſſe, eoſque redemiſſe, niſi eo animo, eaque intentione ſanguinem fuderit, ut virtus ac meritum ſui ſanguinis ipſis ad ſalutem prodeſſet; ſicuti dici non poſſet de eo qui paratam apud ſe ſervaret pecuniæ ſummam redimendis captivis ſufficientem, quod captivos liberaverit, nequidem ſufficienter, ſi deeſſet animus ac voluntas illam pecuniæ ſummam in captivorum redemptionem inſumendi.

Hoc intellexit & faſſus eſt ipſemet Janſenius: nam licet diſcipulis ſuis in hoc effugio confingendo atque producendo præiverit Magiſter, ejus tamen inanitatem non diffitetur. *Reſpondeo igitur*, inquit, *quando Chriſtus ab Apoſtolo dicitur redemptionem ſemetipſum dediſſe pro omnibus, in cruce videlicet pro omnibus moriendo, ab aliquibus intelligi, quod ſe dederit redemptionem, id eſt, pro omnibus omnino ſufficienter, quia ſufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus efficienter, quia non omnibus applicatur iſta redemptio.* Janſen. lib. 3. de grat. Chr. ſal. cap.

En Janſenianum effugium: illud autem deinde reprobat Janſenius. *Sed quia .... ipſa phraſis*, ait, *qua quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præ ſe ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in uſum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Chriſti inanis eſſe non poteſt; & quia alioquin etiam pro Dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ..... hinc genuinius veriuſque reſpondetur Chriſtum dici ſe dediſſe redemptionem pro omnibus, &c.* Deinde hanc vocem, *pro omnibus*, ipſe ad ſolos prædeſtinatos reſtringit; & paucis interjectis, *Omnibus vero illis*, inquit, *pro quibus ſanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam ſufficiens auxilium donat, quo non ſolum poſſint, ſed etiam reipſa velint & faciant id quod ab eis volendum & faciendum eſſe decrevit* (Deus.)

Cum autem per illud auxilium ſufficiens, quod Chriſtus donat iis omnibus pro quibus ſanguinem fudit, nihil aliud intelligat Janſenius, quam delectationem illam cæleſtem, ſuperiorem & victricem, quæ ſola poteſt ad ſalutem perducere: hinc ſequitur quod Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, cum prædeſtinati ſoli ſint quibus conferatur auxilium illud, quod, in mente Janſenii, eſt ſolum ſufficiens, & per quod infallibiliter, invincibiliter, & neceſſario ſalvantur.

Huic itaque effugio contra ipſius Janſenii mentem pertinaciter adhærentes Janſeniani, oſtendunt quidem ſe a Magiſtro aliquatenus diſcedere quantum ad verba, nimirum quia volunt quod propter pretii ſufficientiam dici poſſit Chriſtum pro omnibus omnino hominibus eſſe mortuum. Janſenius e contra jure merito contendit inſuper requiri, quod Chriſtus ſanguinem ſuum obtulerit ex intentione, ut omnibus proſit. Non ergo ab errore in quinta Janſenii propoſitione damnato recedunt, etſi fateantur pretium ſanguinis Chriſti ſufficiens eſſe ad redimendos omnes omnino homines, ſi ſimul cum Janſenio cenſeant Chriſtum ſanguinem ſuum obtuliſſe, ut ad ſalutem ſolis prodeſſet prædeſtinatis. In eo enim ſenſu, in ſenſu ſcilicet Janſenii, damnatæ ſunt quinque Janſenii propoſitiones.

VIII.

Cum itaque in ſupra memoratis effugiis nihil adhuc præſidii in deſperatæ cauſæ ſuæ patrocinium relictum ſibi eſſe ſentiant Janſeniani, ad alia effugiunt non quidem minus contemnenda. Chriſtum itaque volunt pro omnibus omnino hominibus mortuum, in eo ſcilicet ſenſu quod non ſolum Chriſti ſanguis ſit ſufficiens omnibus redimendis, ſed in eo etiam quod Chriſtus pro omnibus etiam mortuus ſit quoad communitatem cauſæ, ſcilicet propter cauſam totius generis humani ſuſceptam, & propter aſſumptam naturam omnibus communem: addunt quoque quod Chriſtus media quædam & auxilia generalia toti generi humano propoſuerit atque contulerit, quibus quiſque poſſet ad ſalutem perduci, ſi gratia vere ſufficienti (qua tamen carent) eſſent inſtructi. Auxilia vero illa a nonnullis Theologis recenſentur. Creatio hominis ad Beatitudinem, lex naturæ omnibus mentibus indita, Evangelii prædicatio & ad eam propagandam Apoſtolorum in univerſum orbem miſſio, Sacramenta per Chriſtum inſtituta, &c.

Volunt ergo Chriſtum pro omnibus omnino hominibus dici poſſe mortuum, ex eo quod omnibus proponat ac conferat auxilia illa generalia ſuperius aſſignata.

Verum & in hoc quoque ſenſu fatetur Janſenius pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe Chriſtum; nam poſt laudata quædam D. Proſperi teſtimonia, in quibus S. Doctor, agens de omnium hominum redemptione, univerſalitatem redemptionis exponit quantum ad cauſam totius generis humani ſuſceptam, & quantum ad aſſumptam communem omnibus naturam; Janſenius, inquam, huic Sancti Doctoris doctrinæ non contradicit, imo ipſi reverenter ſubſcribit, & contendit dumtaxat ex ea non ſequi præparatum fuiſſe omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem. *Solutio iſta*, inquit Janſenius, *facilis eſt, ex qua nullo modo ſequitur ſufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium eſſe præparatum.* Janſen. lib. 3. de grat. Chr. ſal. cap. 21.

Quoniam autem in ſenſu Janſenii damnata eſt quinta propoſitio, manifeſtum eſt eam non fuiſſe damnatam in eo ſenſu quem reprobat ipſemet Janſenius, nempe Chriſtum morte ſua non promeruiſſe hominibus illa auxilia omnibus generatim propoſita atque oblata, ſed damnata eſt in ſenſu iſtius Novatoris, ſcilicet quod Chriſtus ſolis prædeſtinatis promeruerit & obtinuerit gratias ad ſalutem ſufficientes.

Hic autem obiter notatum velim, quod non arguitur Janſenius eo quod admiſerit illa ſupradicta generalia auxilia; hæc enim poſt Sanctum Proſperum admittunt omnes Catholici; ſed in eo reprehenditur quod redemptionis fructum ad illa auxilia reſtringat erga omnes & ſingulos reprobos, quam reſtrictionem repudiat S. Proſper cum omnibus Orthodoxis.

Magiſter tamen diſcipulis paulo ſincerior fatetur meliori fide ex his generalibus auxiliis, quibus nulli reprobo ſalus redditur poſſibilis, inferri ſerio non poſſe, Chriſtum pro illorum ſalute fuiſſe mortuum; nam ad hoc ut dici

dici possit Christum pro reproborum salute esse mortuum, merito requirit quod redemptio ex redimentis animo in illorum salutem fuerit oblata, ac proinde quod illis præparaverit Christus gratias ad salutem vere sufficientes. *Ipsa phrasis*, inquit loco supra laudato, *qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dedisse, præ se ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi*; & quia supradicta auxilia generalia non sunt internæ gratiæ, quæ solæ sunt ad salutem vere sufficientes, docet consequenter pro illis solis mortuum dici posse Christum, quibus concessit internas gratias, easque ad salutem vere sufficientes, hoc est in suo systemate, gratias efficaces atque victrices.

IX.

Ex his omnibus resumere liceat Jansenium docere quod ut hominum redemptio non censeatur inanis, dicere non sufficiat Christum pro omnibus mortuum quantum præcise ad sufficientiam pretii; alioquin dici posset Christum etiam pro Dæmonibus se dedisse redemptionem, quibus redimendis sine dubio pretium ejus Sanguinis fuit sufficiens. Præterea quod ad hoc ut vere dici possit Christum semetipsum dedisse redemptionem pro omnibus non satis sit quod pro omnibus mortuus sit quoad communitatem causæ, scilicet propter causam generis humani susceptam, vel propter assumptam naturam humanam omnibus communem, vel etiam quod virtute passionis suæ obtinuerit supradicta remedia generalia toti humano generi concessa; nam post allata Divi Prosperi testimonia in quibus agitur de his generalibus remediis, hæc duo asserit Jansenius, & quod inde nullo modo sequatur *sufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium esse præparatum*; & quod dici non possit Christum semetipsum dedisse redemptionem pro illis quibus tale deest adjutorium sufficiens. Perperam ergo vellent Jansenistæ hoc novo effugio suam ab omni labe purgare doctrinam, cum hoc idem effugium Magister ipse jure merito sibilet & explodat, ac inane putet, ut dici possit Christum pro omnibus omnino hominibus serio ac reipsa mortuum.

Ut itaque dici possit Christum pro omnibus omnino hominibus fuisse mortuum requiritur, fatente ipsomet Jansenio, quod virtute meritorum Christi omnibus illis reddatur salus possibilis, & inde inferunt Theologi, quod omnibus, etiam reprobis, Christus obtinuerit gratias, quibus revera omnes salvari possunt. Aliis quidem collatæ sunt reipsa illæ gratiæ, aliis oblatæ vel saltem præparatæ, quarum tamen effectus a causis liberis fuit impeditus. Efficienter ergo pro omnibus reprobis mortuum esse Christum asserunt communiter Theologi in eo sensu, quod ejus mortis virtute & meritis omnibus, etiam reprobis, collatæ, oblatæ, aut saltem præparatæ sunt gratiæ vere sufficientes. Qui autem asserere audent Christum nullas alias reprobis gratias, præter auxilia illa communia toti humano generi collata, obtinuisse, ii profecto hæresim quintæ propositionis renovant, atque anathema in illius assertores pronuntiatum incurrunt.

X.

Ut itaque ejuretur hæresis quintæ propositionis non sufficit Christum pro omnibus fateri mortuum quantum præcise ad pretii sufficientiam, vel quantum ad exhibita omnibus remedia illa generalia toti humano generi concessa; sed requiritur insuper ut Christum quisque fateatur mortuum quantum ad intentionem illud pretium offerentis, & quantum ad applicationem illius pretii per media quæ redimendis reprobis vere sufficiant, ita ut Deus virtute meritorum Christi aliis quam prædestinatis conferat auxilia vere sufficientia quibus salus possit obtineri.

XI.

Quia autem sacræ Litteræ, non solum affirmant Christum semetipsum dedisse redemptionem pro omnibus, eumque pro omnibus mortuum esse, sed etiam Deum velle salvos fieri omnes homines, hunc ultimum textum exponere tentat Jansenius congruenter suo systemati, præcipue duplicem in Deo distinguendo voluntatem, antecedentem scilicet & consequentem. Sed dum docet Deum velle antecedenti voluntate omnium salutem, hanc antecedentem voluntatem aliter intelligit Jansenius ac intelligunt Orthodoxi Theologi, qui duplicem quoque in Deo distinguunt hac in parte voluntatem, antecedentem scilicet & consequentem.

Voluntas Dei consequens, ajunt satis communiter Theologi, ea est quæ fertur in objectum, quale est in seipso suis omnibus vestitum circumstantiis; & in hoc sensu quamvis Deus destinaverit hominem ad beatitudinem æternam, eique conferat auxilia gratiæ, quibus potuisset salutem sempiternam adipisci, nihilominus quia peccavit & in peccato moritur, Deus eum considerando talem qualis revera est in hora mortis, vult in æternum damnare. Voluntas antecedens ea est quæ fertur in objectum, non quidem quale est in se ipso, sed abstrahendo a quibusdam circumstantiis. In eo sensu, inquiunt, Deus considerando homines, etiam supposito Adami peccato, abstrahendo tamen an divinæ gratiæ consentiant, nec ne, vult voluntate antecedenti eorum salutem, quamvis eam non velit voluntate consequenti erga illos quos prævidet peccaturos, & in suo peccato morituros.

Jansenius e contra, quamvis contendat quod, supposito Adami peccato, Deus non amplius velit æternam salutem eorum qui non sunt prædestinati; docet tamen quod antecedenter ad primum peccatum omnes, nemine excepto, voluerit salvari, eisque media necessaria subministrare, quibus æternam salutem potuissent adipisci. *Sanctus Damascenus*, inquit, *docet..... duplicem esse in Deo voluntatem, antecedentem, quam & primariam dicit, & consequentem..... significat Damascenus voluntatem quam Deus ex se concepit, quando hominum genus instituit, quæque omnia peccata anteceſſit hominis, fuisse bonitatis, ut homo gratiæ, salutis, felicitatisque particeps fieret..... Talis antecedens voluntas, quamdiu res sine necessariis circumstantiis consideratur, aliquid ad causandam gratiam sufficientem aliaque media necessaria procurandæ salutis facit, utpote ex qua gratia primorum hominum sufficiens fluxit.* Jansen. lib. 3. de grat. Chr. Sal. cap. 20.

Jansenius autem non solum vult Deum virtute voluntatis illius antecedentis primo homini contulisse media necessaria procurandæ salutis, sed etiam paratum esse eandem gratiam conferre homini lapso, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret. *Non ..... ullo modo*, inquit, *sufficit prima gratia quam ante peccatum, Deus homini conferebat, & etiamnum omnibus conferre paratus est, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret.* Qua tamen, juxta eundem Novatorem, homo lapsus, etiamsi gratia Adami sufficiente instructus esset, nullo modo posset bonum facere, gratia efficaci & victrici indiget ad agendum. Sic enim pergit eodem in loco. *Sed alia redemptionis gratia lapsis viribus propria impartienda est, quæ nisi ipsum bonum velle reddat & facere, propter inhærentem mali semel susceptæ voluntatem, peccator amissum bonum velle non potest.*

Inde contendit Jansenius ex voluntate Dei antecedente nullam homini lapso conferri gratiam. *Postquam peccata*, ait, *jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante consistere potest: quod eo manifestius patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas Creaturas, sive hominum, sive Angelorum Deus habet.* Jansen. ibid. cap. 20.

Ex supra relatis Jansenii testimoniis deducitur evidenter, quod cum Novatore illo admittere hanc voluntatem antecedentem perinde sit ac non admittere: Nam voluntas illa est voluntas antecedens Adami lapsum, & qua Deus vult salutem hominis præcise spectati quatenus homo est: sed posito semel Adami peccato voluntas illa erga reprobos est nuda quædam velleitas, quæ Deum non determinat ad danda ulla sufficientia auxilia, per quæ salus ipsi fiat possibilis. *Voluntas antecedens*, inquit Jansenius loco citato, *in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante consistere potest:* velleitas præterea ita tenuis & infirma est, ut, juxta Jansenium, Deus non magis velit salutem hominum, quam Dæmonum. *Quod eo manifestissime patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas, sive hominum, sive Angelorum, habet.*

XII.

Hoc tamen in laudem Jansenii dictum sit, quod nimirum tota ipsius doctrinæ series perfecte cohæreat; nec ea quæ docet circa voluntatem Dei antecedentem omnes salvandi homines adversantur iis quæ docuit circa Christi mortem pro salute dumtaxat prædestinatorum: nam juxta hunc Novatorem Deus condendo primum hominem illum destinavit, imo non potuit non destinare, ad beatitudinem æternam in Cælis consequendam, contulitque illi gratias sufficientes aliaque media necessaria ad vitandum peccatum, atque ad sempiternam mercedem promerendam, quæ si denegasset, in eum peccata hominum redundassent. Quod si primus homo in accepta justitia perseveraſſet, Deus illi & posteris ejus easdem gratias eademque media contulisset. Sed post Adami peccatum, quod ad omnes posteros ejus pertransiit, voluntas hominum bonum nullatenus agere potest cum gratia sufficiente, quam Adamo largitus fuerat Deus, quamque largiri adhuc paratus est, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret. Sed quia cum hac gratia Adami tam est impossibile voluntati hominis lapsi ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur, quantumvis eis & lux, & species, & omnia cetera sanitatis adjumenta suppetant, ideo homini lapso necessarium est aliquod aliud adjutorium in ope-

operandi modo valde diversum. Illud autem adjutorium infirmis hominibus necessarium, quod ita discrepat ab adjutorio hominis sani, *ut si alterum alterius loco adhibeatur, vel nihil omnino conferat, vel pro adjumento perniciem ferat*, nihil aliud est quam delectatio quædam indeliberata & prævia, quæ voluntatem determinat ad agendum, scilicet vel ad operandum malum, & est concupiscentia, quam peccatum induxit in genus humanum, vel ad operandum bonum, & est divina gratia quam Christus nobis promeruit. Jansen. lib. 2. de grat. Chr. Sal. cap. 1.

Illæ autem duæ delectationes invicem colluctantur, eaque semper & insuperabiliter vincit quæ gradibus alteram superat, ita ut delectatio gradibus inferior nunquam vincere possit eam quæ gradibus est superior altera.

Inde sequitur quod ille solus possit agere bonum, vel perseverare in bono, vel salutem æternam adipisci, qui gratiam habet gradibus superiorem cupiditate: sequitur quoque quod salus æterna sit impossibilis illi qui gratiam habet cupiditate inferiorem, vel qui gratia gradibus superiore caret; ac proinde quod Christus non voluerit illi salutem reddere possibilem; & quia ut possit dici Christum pro salute illius fuisse mortuum, necesse est, fatente Jansenio, quod Christus voluerit illi obtinere auxilia sufficientia ad salutem, ideo, juxta Novatorem illum, dici debet Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse: quia scilicet iis solis prædestinatis concedi vult gratiam vere sufficientem, seu delectationem illam cælestem superiorem ac victricem, qua possit æterna salus obtineri, & in qua Jansenius virtutem, sufficientiam & efficaciam gratiæ reponit.

XIII.

Nonnulli tamen inter Jansenii discipulos, ut damnatam Magistri hæresim, quam conceptis verbis propugnare non audent, aliquatenus saltem defendant, asserere non verentur, Christum pro aliis quam pro prædestinatis mortuum, in eo scilicet sensu, quod virtute voluntatis antecedentis, etiam reprobis conferantur gratiæ parvæ cupiditate minores, quas tamen sufficientes appellant, licet sint revera insufficientes.

Eas autem sufficientes vocari posse contendunt, tum quia ex natura sua ordinantur ad effectum producendum, tum quia effectum illum reipsa producerent in circumstantia minoris cupiditatis, hoc est, si concupiscentia, quæ actu gradibus est superior, evaderet debilior.

Verum quod gratiæ parvæ & inefficaces ex natura sua ordinentur ad effectum producendum, quodque illum reipsa producerent, si cupiditas quæ prædominatur fieret gradibus inferior, nunquam negavit Jansenius, imo patet ex dictis has Jansenistarum assertiones Jansenio systemati perfecte congruere. Iis ergo & similibus cavillationibus hæresim Jansenii in quinta propositione damnatam non effugiunt.

Earumdem etiam cavillationum subsidio dici posse existimant, asseruntque Deum antecedenti voluntate velle reproborum illorum salutem, quibus confert gratias illas parvas & inefficaces, quia si abstrahatur a circumstantia cupiditatis gradibus superioris, salus æterna est illis possibilis, ac in eo sensu dici potest, juxta illos, quod Deus voluntate antecedenti, scilicet antecedenter ad illam circumstantiam concupiscentiæ gradibus superioris, velit illorum reproborum salutem.

Verum hæc voluntatis antecedentis expositio omnino consentanea est Jansenio duarum delectationum indeliberatarum atque pro graduum superioritate invincibilium principio, illamque proinde libenter admitteret Jansenius. Non ergo damnatam in sensu Jansenii quintam propositionem ejurant illi, qui hanc solam pro reproborum salute antecedentem Dei voluntatem admittunt.

XIV.

Admittunt quoque alii Jansenii sectatores in Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes, non tantum abstractione facta lapsus primi hominis, sed etiam eo supposito, eo quod, ajunt, tali antecedenti voluntate Deus vult *quidquid in se bonum est & rectum*. Porro salus omnium hominum in se præcise considerata est aliquid bonum & rectum; ergo dici potest de Deo quod antecedenti voluntate velit omnium hominum salutem, etsi ipsis salutem non reddat possibilem, nec eis conferat, offerat, vel præparet auxilia ad salutem sufficientia.

Verum quam hic Apostolicæ sententiæ sensus sit longissime accersitus & a vero alienus nemo non videt. Præterea Jansenius hanc antecedentem Dei voluntatem in hoc sensu accepram nunquam negavit, nec negare potuit. Quis enim dubitavit unquam Deum velle, voluntate saltem sterili & otiosa, quidquid in se bonum est & rectum, si illud non velit voluntate vera & activa? Non ergo Summus Pontifex adversus hunc Novatorem definiendo Christum pro nonnullorum saltem reproborum salute mortuum esse, definiit Christum voluntate sterili & otiosa illorum voluisse salutem, sed potius, ut jam sæpius dictum est ac demonstratum, Christum virtute meritorum passionis suæ nonnullis saltem reprobis obtinuisse media ad salutem vere sufficientia.

XV.

Opponit Jansenius Sanctum Augustinum duas hujus Apostolici textus, *Deus omnes homines vult salvos fieri*, afferre expositiones, quibus illum textum restringere videtur ad solos electos. Prima est quod Deus velit omnes homines salvos fieri, accommodata distributione, quatenus scilicet vult salutem eorum omnium qui revera salvantur. Secunda est quod hoc verbum, *omnes*, intelligatur, non de singulis generum, hoc est, de omnibus omnino singularibus hominibus, sed de generibus singulorum, hoc est, de omni genere hominum, de Judæis & Gentibus, servis & liberis, Principibus & privatis, doctis & indoctis, adultis & parvulis, viris ac mulieribus &c. Tertiam adhuc hujus textus affert expositionem, ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, quia facit ut Sancti homines salutem omnium hominum velint & optent, & orando desiderent.

Verum ex variis his expositionibus inferre non licet quod, juxta Augustinum, Deus solos electos velit fieri salvos: nam Sanctus Doctor pluribus in locis expresse docet Deum velle omnium omnino hominum salutem. *A pœnis*, inquit, *sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum filium suum ..... ut quemadmodum per unum hominem .... mors intravit in genus humanum .....sic per unum hominem, qui etiam Deus est, deletis omnibus peccatis credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.* Aug. lib. de Catechiz. rud. n. 52. Et alibi: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt. Verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Aug. de Spir. & litt. cap. 33.

Præterea de morte Christi differens idem S. Doctor, sic habet: *Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est, ac per hoc quia & pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt.* Aug. lib. 1. oper. imperf. contra Jul. cap. 64. Et alio in loco. *Clamat Apostolus: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, & vos reclamatis, non sunt mortui parvuli: clamate & quod sequitur, ergo non pro ipsis mortuus est.* Consulatur, si placet, idem S. Doctor in Psal. 95. sub finem, in Psalm. 102. L. 2. de simbol. ad Catechum. c. 8. lib. 20. de civit. Dei cap. 6. l. 6. contra Jul. cap. 4. serm. 112. de temp. cap. 3. in cap. 3. Epist. ad Galat. & alia innumera ejusdem Sancti Doctoris testimonia.

Quando igitur S. Augustinus textum Apostoli, *Deus omnes homines vult salvos fieri*, exponit de solis electis, loquitur de voluntate Dei absoluta & efficaci, adversus Pelagianos & Semipelagianos, qui speciale Dei decretum absolutum & efficax pro salute electorum rejiciebant. Augustinus vero e contra docet ita velle Deum voluntate antecedente & generali omnes salvos fieri, & omnibus media ad salutem sufficientia largiri, ut tamen speciali voluntate & consequente feratur erga salutem electorum, eisque conferat specialia gratiæ auxilia; hæc enim duo perfecte conciliantur, nec una expositio excludit alteram; *Deus voluntate absoluta & efficaci vult salvare solos electos; & Deus antecedenter ad prævisa reproborum demerita vult omnes salvare, eisque media ad salutem sufficientia suppeditare*: voluntas enim absoluta & consequens salvandi electos, non excludit voluntatem conditionatam & antecedentem salvandi reprobos.

Quod autem spectat tertiam expositionem, illa neque excludit, neque includit voluntatem generalem salvandi reprobos, potestque cum cæteris admitti, modo auxilia sufficientia ad salutem reprobis non denegentur.

Licet autem innoxie possit pro subjecta materia adoptari quælibet textus Apostoli expositio, certum tamen videtur illius propositionis verum & proprium sensum esse quod Deus voluntate antecedenti velit omnes omnino homines salvos fieri, quodque virtute voluntatis illius antecedentis illis omnibus & singulis concesserit, obtulerit, aut saltem præparaverit auxilia sufficientia ad salutem. Perperam ergo in erroris sui tutelam Augustinum advocat Jansenius.

ARTICULUS VII.

Quod quinque Jansenii propositiones necessario fluant a famoso ejusdem Novatoris principio.

Quanquam ex superioribus articulis satis superque constet quinque Jansenii propositiones necessario fluere ex famoso illius Novatoris principio de duabus delecta-

lectationibus indeliberatis & pro graduum superioritate invincibilibus, nihilominus permagni interesse videtur has omnes propositiones simul congestas, & earumdem cum prædicto principio connexionem hic legentium oculis subjicere, ut uno quasi intuitu pateat eos qui famosum illud amplectuntur principium eo ipso adoptare errores in singulis propositionibus contentos.

I.

Si enim humana voluntas ad bonum aut ad malum sine prævia cælesti aut terrena impellente delectatione moveri non possit, ut contendit Jansenius, ita ut quæ actu delectatio gradibus superior est alteri prævaleat & necessario voluntatem ad unum rapiat, quin suum denegare possit consensum, hinc sequitur quod ii soli in quibus viget delectatio illa cælestis superior possint vitare peccatum, & quod mandatorum observatio iis omnibus qui ea transgrediuntur sit impossibilis secundum præsentes quas habent vires. Nam in eo casu quamdiu delectatio concupiscentiæ superior est, necesse est ut homo transgrediatur præceptum. Sed quia homo viator, tum justus, tum peccator, dum gratia gradibus inferiori tantum instructus est, quamvis adimplere mandata non possit, quasdam tamen cum gratia parva efformat velleitates, aut quosdam adhibet conatus, licet imperfectos, hinc fit quod *aliqua Dei præcepta*, etiam *hominibus justis*, etiam *volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sint impossibilia*, & quod eis *quoque desit gratia qua possibilia fiant*, nempe gratia quæ gradibus sit cupiditate superior; & hæc est prima Jansenii propositio.

II.

Sequitur 2. ex eodem duplicis delectationis principio, quod *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, quæ est secunda Jansenii propositio. Et vero vel interior illa gratia gradibus superior est cupiditate, vel non. Si cupiditatem gradibus superet, profecto illi non resistitur nec resisti potest, quia, juxta Jansenium, impossibile est ut minor delectatio vincat majorem: si autem gratia illa cupiditatem non superet, voluntas quidem non operabitur bonum illud, ad quod ex se & ex propria natura absolute tendit & ordinatur, & quod propter oppositam majorem concupiscentiam non potest assequi; sed tamen ei gratiæ non resistit voluntas: nam proprie & stricte loquendo, resistere gratiæ est eam privare eo effectu quem habere potest in circumstantiis in quibus datur; atqui in suppositis circumstantiis voluntas nullo modo potest obtinere illum effectum ad quem excitatur a gratia, propter scilicet obicem ardentioris concupiscentiæ: ergo gratiæ illi in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

III.

Sequitur 3. quod admissa semel Jansenii doctrina supra expositæ dici non possit gratiam interiorem ad singulos actus necessariam talem esse cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare. Nam hoc ipso quod voluntas eo semper & necessario trahitur quo eam rapit delectatio major, hinc perspicuum est quod gratia gradibus superior insuperabiliter & invincibiliter ad unum moveat, nec possit voluntas eo in statu tali motioni non consentire; & e contra si gratia sit gradibus inferior non possit voluntas gratiæ motioni obtemperare, & hæc est hæresis damnata in quarta Jansenii propositione.

IV.

Sequitur 4. ex eodem systemate duplicis delectationis, cujus quæ gradibus inferior est alteri gradibus superiori necessario cedere debet, sequitur, inquam, quod nulla sit gratia vere sufficiens, quæ simul efficax non sit; ergo Christus nulli reprobo dat gratiam ad salutem vere sufficientem, sed gratia illa confertur solis prædestinatis pro quorum salute Christus mortuus est & sanguinem fudit. *Omnibus vero illis*, inquit Jansenius, *pro quibus sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint & faciant id quod ab eis volendum & faciendum esse decreverit.* Auxilium illud sufficiens quod Christus donat iis pro quibus sanguinem fudit nihil aliud est, in mente Jansenii, quam gratia gradibus superior, cum qua salus invincibiliter obtinetur, & sine qua salus ne ullo quidem pacto obtineri potest. Ergo cum illud auxilium sufficiens denegetur reprobis, ut evidens est, (nam alioquin salvarentur de facto), & conferatur tantum prædestinatis; inde sequitur quod Christus reproborum non velit salutem, sed quod pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit aut sanguinem fuderit; qui est error in quinta Jansenii propositione damnatus.

V.

Sequitur 5. ex eodem duplicis delectationis principio, cujus quæ gradibus est superior necessario voluntatem ad assensum rapiat, quin ullatenus possit ab eo abstinere, sequitur quod hujusmodi necessitas, in qua reperitur homo semper obsequendi delectationi gradibus superiori, libertati illi noceat quæ dicitur libertas a necessitate, ac proinde quod Jansenius, ne neget liberum hominis arbitrium, asserere cogatur libertatem a necessitate non requiri ad liberum hominis arbitrium; ac præterea cum Jansenius doceat hominem in statu naturæ lapsæ pœnam vel mercedem mereri, prout male vel bene egerit, hinc denique sequitur quod *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiratur libertas a necessitate, sed sufficiat libertas a coactione*; & hæc est tertia propositio in Jansenio proscripta.

VI.

Ex his quæ paucis hic conteximus potest facile intelligi quam pernicioſum sit principium istud duplicis delectationis prævia & indeliberatæ, ac pro graduum superioritate invincibilis, cum ea semel admissa necesse sit totum hujus Novatoris systema, & famosas quinque propositiones quæ ex eo necessario fluunt & derivant, admittere.

VII.

Hanc principii Jansenii connexionem cum quinque propositionibus ab Innocentio X. damnatis non minus agnoscunt Thomistæ omnes, quam cæterarum Scholarum Theologi. Frater Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson, e Sacra S. Dominici familia, in opere quodam quod nomine Scholæ Thomisticæ protulit in lucem, quod varias continet ad amicum Epistolas, quodque Benedicto XIII. Pontifici Maximo nuncupavit, probandum suscepit *doctrinam Jansenii & Jansenistarum qui internam gratiæ efficaciam constituunt in cælesti indeliberata delectatione relative victrici, & superiori concupiscentiæ terrena delectatione, subindeque necessitanti, jure optimo fuisse ab Ecclesia proscriptam.* Et expositio Jansenii principio de duplici delectatione relative victrici eodem modo quo illud exponunt cæteri Doctores Orthodoxi, & quo nos illud exposuimus, sic habet. *Hac itaque præmissa observatione, nunc probandum suscipio capitalem hunc Jansenii errorem de gratiæ efficacis delectatione relative, seu per gradus, victrice ac superiore concupiscentiæ terrena delectatione fuisse jure optimo ab Ecclesia proscriptum, tanquam virulentum principium, ex quo fluunt quinque damnatæ Jansenii propositiones.* Recenset deinde singulas Jansenii propositiones, & individuam atque necessariam quæ inter illas est, & præfatum Jansenii principium, connexionem manifeste demonstrat.

Graveson tom. 2. Epist. 6. pag. 221.

JANSENISMUS REDIVIVUS

In Scriptis PP. FF. BELLELLI & BERTI,
Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

PARS ALTERA.

FF. BELLELLI ET BERTI
Janſeniſmi convincuntur.

UT Janſeniſmi convincantur FF. Bellelli & Berti, id unum ſufficiat argumentum, quod nimirum palmare Janſenii principium de duabus delectationibus præviis ac indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus admiſerint. Admiſſo ſemel exitioſo hoc principio, admittantur neceſſe eſt famoſæ quinque Janſenii propoſitiones, quæ cum illo neceſſariam, & individuam habent connexionem. Si ergo convincantur hi duo ſocii Janſenii principium adoptaſſe, eo ipſo convincentur doctrinam admittere in quinque propoſitionibus damnatam: nam retento, ut jam diximus, Janſenii errorum capite, retinentur ſane & integri ſervantur errores omnes, qui nexu indiſſolubili cum eo connectuntur.

Cæterum cum Janſeniſmum in Scriptis FF. Bellelli & Berti redivivum aſſerimus, aſſerere mens noſtra non eſt, quod aperte & nullo ſervato moderamine errores Janſenianos renovaverint. Nullus enim eſt hodie, ut alibi obſervavimus, qui detecta fronte, iiſdemque terminis, eos tueri ac propugnare audeat: ſed hoc unum ſignificatum volumus, quod licet ſub aliis verbis, eundem tamen exprimant ſenſum, quem Innocentius X. in Janſenio proſcripſit. Nec, ut omnis amoveatur Janſeniſmi ſuſpicio, ſatis eſſe poteſt Janſenianam doctrinam damnare quantum ſcilicet ad verborum corticem, ſi ſenſus in ea damnatus non ſimul rejiciatur. Socios autem illos, de quibus hic loquimur, ſenſum in Janſenio proſcriptum, non modo non rejicere, ſed in omnibus puram hujus Novatoris doctrinam ſectari manifeſtum erit cuique eorum ſcripta attente legenti.

Attamen eos videas Janſenianos errores impugnare, & eorum damnationi ſummo plauſu acquieſcere. Nec mirum; nihil ſane non moliuntur ad ſuos obnubilandos errores, ut Catholici videantur, & ſic ſecurius deliteſcant; ſed fruſtra: admoto enim lumine diſſipantur tenebræ, & eorum fraudes deteguntur. Patebit equidem eorum in Janſenianas pravitates affectus, tum ex eorum doctrina, tum ex eo quod adhibeant ambiguitates fere omnes, fallacias ac artes quas Janſenius ipſiuſque Diſcipuli ad eludendas Summorum Pontificum Conſtitutiones adhibuere, tum ex eo quod novas atque inauditas ipſi excogitent cavillationes, ut ſenſum in Janſenio damnatum variis flexibus ſalvum ac incolumem ſervent.

Itaque FF. Bellelli & Berti in primo Opuſculo noſtro Bajaniſmi convictos, nunc in hac altera ſecundi Opuſculi noſtri parte Janſeniſmi convincendos aggredimur: nec minori ſane ſtudio, nec levioribus momentis Janſeniſmum in eorum Scriptis redivivum oſtendere conabimur, quam Bajaniſmum in iiſdem Scriptis redivivum oſtendimus.

Quapropter Bellellinam primo, Bertinianam deinde hac in re doctrinam perpendemus, & quam utraque habet cum Janſeniana congruentiam paucis detegemus. Sit itaque

ARTICULUS PRIMUS.

F. Bellelli renovat Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis, & relative invincibilibus principium.

DOcuit Janſenius, ut jam vidimus, voluntatem humanam ita per peccatum fuiſſe depreſſam, ut vim illam amiſerit ſe pro nutu determinandi, quæ inerat homini innocenti; atque ita neceſſario indigere aliquo principio a ſe diſtincto, per quod ad agendum determinetur. Obſervavimus principium illud nihil aliud eſſe quam delectationem quamdam indeliberatam, cæleſtem aut terrenam, quæ, ſi cæleſtis ſit & gradibus ſuperior, invincibiliter ad bonum; ſi vero terrena & viribus præpolleat, ineluctabiliter ad malum flectit ac determinat.

I.

Hoc autem principium, quod initio hujus Operis fuſius expoſuimus, admittit & docet F. Bellelli. Vult enim dilectionem Dei, ſi non præponderet affectui cupiditatis, non poſſe pravum illum affectum vincere, neque eum e corde diſpellere; ſicuti ſi in trutina duo appendantur pondera inæqualia, neceſſe omnino eſt eam lancis partem deprimi ac inclinari, in qua majus eſt pondus: neque unquam fit aut fieri poteſt, ut levius graviori reſiſtat. Ita nec poſſibile eſt ut dilectio Dei, ſi non præponderet, vincat cupiditatem, eamque e corde diſpellat; nam illa debet neceſſario prævalere, quæ alteri majoritate & gravitate antecellit. *Reſpondemus*, inquit, *dilectionem inchoatam eſſe incheatam juſtificationem: non eſſe remiſſivam peccati, quia cum adhuc imperfecta ſit, affectui cupiditatis non præponderat; & ſi non præponderet, quomodo illum vincere poteſt, atque e corde diſpellere? Amores ſiquidem ab Auguſtino ponderibus comparantur.* Amor meus, *inquit*, pondus meum, eo feror quocumque feror. *Porro nullum pondus oppoſitum pondus elevat, & in contrariam partem retorquet, niſi eidem gravitate & majoritate antecellat. Igitur nec dilectio ſuperat cupiditatem, niſi eidem perfectione præſtet.* Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 1. c. 19.

II.

Contendit præterea cum Janſenio motus illos, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ, quorum qui ſuperior eſt neceſſario vincit minorem, eſſe indeliberatos: uterque enim, Janſenius ſcilicet & F. Bellelli, quantum ad motus gratiæ, fatentur eos in voluntatem cælitus immiſſos eſſe indeliberatos. Sic habet Janſenius. *Delectatio iſta, quam ad omnia opera bona Sanctus Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud quam actus quidam indeliberatus cælitus immiſſus in voluntatem.* F. autem Bellelli de gratiæ motibus ſic loquitur. *Illud autem imprimis ſtatuendum eſt nomine gratiæ auxiliatricis pias inſpirationes excitationeſque Auguſtinum intellexiſſe, indeliberatos videlicet motus intellectus & voluntatis a Deo immiſſos. Fiunt autem hi a Deo in nobis, ſuntque a nobis ipſis, ſed non libere agentibus.* Et poſtea. *Harum motionum altera Deus mentem illuminat: altera vero voluntatem accendit. Quæ ad intellectum pertinet ſancta cogitatio, quæ vero ad voluntatem ſancta delectatio nuncupatur.* Janſen. lib. 4. de grat. Chr. Salvat. cap. 11. Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 1. cap. 1.

Quantum vero ad concupiſcentiæ motus, eos eſſe indeliberatos docet Janſenius. *Hæc delectatio*, inquit, *qua ad conſentiendum faciendumque aliquid ſollicitamur, reperitur, juxta Auguſtinum, non tantum ad opera bona, ſed etiam ad mala ..... Eſt vel ipſe primus concupiſcentiæ motus, quo bono terreno quaſi coaptatur animus, vel deſiderium indeliberatum, quo urgetur ad malum.* Docet quoque F. Bellelli, non ſolum concupiſcentiam prævenire voluntates noſtras per indeliberatas ſuas delectationes, ſed etiam his indeliberatis delectationibus effici, ut ſi deficiat victrix delectatio gratiæ arbitrium ſuccumbat & in conſenſum ruat. *Quoniam*, inquit, *præveniente concupiſcentia per delectationes ſuas indeliberatas ad malum, interdumque deficiente victrici delectatione gratiæ, arbitrium ſuccumbit & in conſenſum ruit, illam conſuevit Auguſtinus appellare peccandi neceſſitatem.* Janſen. lib. 4. de grat. Chr. Sal. cap. 11. Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 28.

III.

Deſcribit inſuper modum agendi harum indeliberatarum delectationum: nam non ſemper eadem delectatio voluntati dominatur; ſed tunc cupiditas ſuas inſtillat in cor hominis delectationes, quæ ad malum illiciunt

ciunt ac trahunt: nunc gratia ſuas ſanctas inſpirat delectationes, quæ a malo retrahunt ut bonum amplectamur: motus tamen illi, tum gratiæ, tum cupiditatis, primum indeliberati motus ſubinde producunt deliberatos, nec voluntas primo pulſu per concupiſcentiam agitata tentationi cedit, ſi adſit gratia, ſed pugnat iſta, & ſi fortior ſit, vincit, facitque invincibiliter ut reſiſtamus: ſin vero gratia, quæ interdum parva & invalida eſt, tunc debilior ſit, voluntas eo in caſu ut cedat fortiori cupiditatis delectationi neceſſe omnino eſt. *Inſtillat quippe*, ait, *carnalis cupiditas in cor hominis ſuas delectationes illicientes trahenteſque ad malum, ſicuti ſuas quoque gratia ſanctas delectationes inſpirat retrahentes a malo. Tali autem ordine fiunt, ut ex indeliberatis & primis, ſive in malo, ſive in bono, deliberatæ denique ſoboleſcant. Ne tamen arbitrium primo pulſu per concupiſcentiam agitatum ad pravas flectatur illecebras gratia pugnat, & ſi fortior eſt, vincit, facitque invincibiliter ut libera facultas adjuta ſuo nutu concupiſcentiæ delectationibus reſiſtat, bonoque ſuperno magis delectanti conſentiat. Sed parva interdum gratia & invalida, quamvis ad bonum excitet ſtimuletque, a fortiori cupiditatis delectatione ſuperatur. Hinc qui motus in mente hominis omnem deliberationem antevertit ſimplex delectatio dicitur: qui vero ad illum ſequitur dicitur conſenſus.*

Bellel. ibid. cap. 27.

IV.

Ex iſto harum delectationum agendi modo evidenter ſequitur quod jam dictum eſt, delectationes illas eſſe in præſenti ſtatu unicum pondus, quo voluntas ad agendum applicatur ac determinatur; ſuperiorem nempe a minori nunquam vinci poſſe, ita ut voluntas, ſive ad bonum ſive ad malum, inclinetur invincibiliter, prout fortior ac gradibus intenſior eſt cæleſtis aut terrena delectatio.

Sequitur præterea delectationes illas eſſe indeliberatas, ita tamen ut ex illis actus deliberati ſoboleſcant: quod idem contendit quoque Janſenius. Libro enim 4. de grat. Chr. Salvat. cap. 11. tradit poſt Auguſtinum, ut ſomniat, ex actibus indeliberatis actus oriri deliberatos. *Ut ſane merito S. Auguſtinus*, inquit, *actus illos indeliberatos amoris ac deſiderii, quibus anima ſuaviter in Deum deliberato actu diligendum ſuſcitatur, incitatur, trahitur, rapitur, nomen dulcedinis, ſuavitatis ac delectationis deſignaverit.* Unde patet quam perfecte hucuſque inter ſe cohæreant Bellellina ac Janſeniana doctrina.

V.

Nec ſilentio præterit F. Bellelli celebre illud toties decantatum S. Auguſtini effatum, quod totius Janſeniani ædificii baſis eſt ac fundamentum: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Quamvis hic S. Doctoris textus de deliberata debeat intelligi delectatione, ut jam alibi demonſtravimus, eodem tamen textu & eodem quo Janſenius modo abutitur F. Bellelli. *Efficacitas gratiæ*, inquit, *in eo ſita eſt quod ſancta delectatio & illuminatio tantum accendatur, & tantum creſcat, ut vincat..... Etenim, ut etiam docet* (Auguſtinus) *in expoſit. Epiſt. ad Galatas n. 49. Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.*

Vide ſupra part. 1. art. 1. n. 9. & ſeq. Bellelli de modo repar. tom. 1. l. 3. cap. 6.

VI.

Efficacitatem igitur gratiæ repetit F. Bellelli ex ſancta delectatione & illuminatione, quæ ut ſuum ſortiatur effectum, tantum debet accendi, & tantum creſcere ut vincat, delectationem ſcilicet oppoſitam. Sed ſi delectatio oppoſita major in his circumſtantiis ac ardentior ſit, tunc prævalenti concupiſcentiæ & magis nos delectanti tenemur obſequi; *quod enim magis nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Quæ ex illo textu mendoſe colligit Janſenius, eadem & infert F. Bellelli: unde in Bellellino perinde ac in Janſeniano ſyſtemate tota res in eo vertitur, quod abſque prævia & impellente delectatione non poteſt voluntas agere; neque ad bonum flecti, neque ad malum queat ullatenus inclinari, quin prævaleat, aut gratiæ aut concupiſcentiæ delectatio: ex quo ulterius ſequitur quod non voluntas delectationibus, ut contendunt Catholici, ſed delectationes voluntati dominentur, ita ut in illarum conflictu, illa neceſſario voluntatis conſenſum obtineat, quæ viribus & gradibus alteri præponderat.

VII.

Ex hoc autem duplicis delectationis indeliberatæ & pro graduum ſuperioritate invincibilis principio, quod ſimul cum Janſenio admittit F. Bellelli, fluxu neceſſario fluunt, tamquam rivuli a fonte, ut in priori hujus Operis parte demonſtravimus, famoſæ quinque ejuſdem Janſenii propoſitiones. Indeque quiſque poteſt facile intelligere, quam pernicioſum ſit illud Janſenii principium a F. Bellelli pariter adoptatum; cum eo ſemel admiſſo neceſſe ſit totum ejus ſyſtema & quinque illas famoſas propoſitiones admittere.

VIII.

Quamvis F. Bellelli idem Janſenii principium admittendo, conſequenter quinque propoſitiones ex eo ſubſequentes, tamquam ramos e truneo pullulantes, admiſerit, a doctrina tamen Janſenii, quoad gratiæ diſtributionem, aliquatenus videri vult recedere. Docet quidem omnibus & ſingulis hominibus, urgente lege, non deeſſe gratiam ſufficientem, aut ſaltem ſi deſit gratia proxime ſufficiens ad operandum, non deeſſe gratiam ad orandum. Sed mera verba dat F. Bellelli, & in ſpeciem Catholica, ut ſecurius, ſi poſſit, nos decipiat: nam illa quam admittit gratia omnibus communis, & quam vocat gratiam ſufficientem, dici non poteſt vere ſufficiens, cum non conferat veram agendi potentiam; imo relinquat voluntatem in vera impotentia operandi bonum, ſi tunc adeſt concupiſcentiæ delectatio relative ſuperior. Non minus enim in ſyſtemate Fratris Bellelli voluntas neceſſitatur ad malum ſub imperio cupiditatis, quam in ſyſtemate Janſenii ad illud neceſſitetur, quandiu cupiditas ſuperat gratiam, nam deficiente gratia gradibus majore, ſive ſemper adſit gratia parva & invalida, ut docet F. Bellelli, ſive ſemper non adſit, ut putat Janſenius, voluntas in utroque caſu æque impotens eſt ad operandum bonum, neceſſitaturque ad malum. Et quia pari cauſa ad bonum neceſſitatur voluntas, quandiu gratiæ relative victricis imperioſo dominatui ſubjacet, funditus evellitur in ſyſtemate Fratris Bellelli, ſicut in ſyſtemate Janſenii, ac omnino evaneſcit liberum hominis arbitrium.

Liberum tamen illud arbitrium cum gratia & cupiditate per gradus victrici conciliari poſſe abuſive contendit Theologus noſter, hominemque vult cum gratia gradibus inferiore poſſe bene agere, nec ad malum neceſſitari, eodemque modo cum cupiditate debiliori poſſe male agere, nec ad bonum neceſſitate adſtringi, ac proinde voluntatem humanam ſub utriuſque delectationis imperio eſſe plane liberam. Sed quia id falſo præſumit, nixus præſertim variis æquivocationibus, variiſque effugiis, quæ adhibere ſolent in ſimili cauſa Janſenii diſcipuli, ideo has tollere æquivocationes, ejuſque effugia ipſi præcludere tribus diſtinctis articulis operæ pretium eſſe putavimus; unde clarius eluceſcet & accenſum ipſius ac acre in Janſenianas pravitates ſtudium.

ARTICULUS II.

De ſignificatione horum verborum, homo poteſt, homo non poteſt.

HÆc verba, *homo poteſt*, *homo non poteſt*, ita clara ſunt, ut ambiguitati nullatenus videantur obnoxia: nec prima ſaltem fronte apparet quænam in iis latere poſſit æquivocatio; fato tamen neſcio quo contingit ut cuncta perturbare, & omnia tenebris involvere ſoleant hæretici. De hoc etiam conqueritur ipſe Janſenius. *Mos ſolemnis*, inquit, *omnium hæreticorum, ut falſis vera miſceant, miſcendoque perturbent omnia, quo venenum quaſi melle circumlitum ab incautis cum ſecuritate hauriatur.* Quam merito poſſet Janſenius iſtud ſibi ſuiſque diſcipulis exprobrare? Sed ad rem noſtram redeamus.

Janſen. lib. 8. cap. 21.

I.

Contendunt Janſenii aſſeclæ, quod homo cum gratia, quæ gradibus inferior eſt cupiditate, in uno ſenſu poſſit operari bonum, & in altero non poſſit: & ſimiliter cum gratia, quæ gradibus ſuperat cupiditatem, in uno ſenſu poſſit peccare, & in altero non poſſit. Mirum profecto effugium ſubtiliter & argute excogitatum, ut quiſque facile poſſit idem affirmare & negare prout libuerit, vel prout poſtulaverit occaſio.

Si igitur Janſeniſtis fidem adhibeamus, quod abſit, homo cum gratia quæ gradibus eſt inferior cupiditate, poteſt & non poteſt operari bonum; cum gratia quæ gradibus eſt ſuperior cupiditate, poteſt & non poteſt peccare. Non poteſt quidem operari bonum cum gratia debiliore, neque peccare cum fortiori gratia, ut eſt evidens; nam in conflictu duarum delectationum, gratiæ ſcilicet & cupiditatis, illa quæ gradibus eſt inferior vincere non poteſt alteram, & quæ gradibus ſuperior eſt non poteſt ab altera ſuperari. Hoc enim doctrinæ Janſenii plane congruit. *Conflictus ille delectationum*, inquit Epiſcopus Yprenſis, *ſopiri non poteſt, niſi altera alteram delectando ſuperaverit; & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt: vigente enim delectatione carnali impoſſibile eſt ut virtutis ac honeſtatis conſideratio*

Janſen. l. 4. de grat. Ch. Salvat. cap. 9.

ſideratio prævaleat. Et cap. 6. *Major enim delectatio nunquam ſane delectatione minori ſuperabitur*.

Magiſtrum ita ſentientem unanimi conſenſu ſequuntur Diſcipuli. Inter eos ne unum ſane, nequidem Fratrem Bellelli, reperies, qui huic doctrinæ ſummo plauſu non acquieſcat. Cenſent ergo omnes unanimiter hominem gratia ſuperiore relative victrici inſtructum non poſſe male operari; ſin autem tali gratia deſtituatur, & gradibus prævaleat concupiſcentia, tunc ut bene poſſit operari impoſſibile ducunt.

Quo igitur ſenſu conclamare poſſunt quod homo cum gratia, quæ gradibus eſt inferior cupiditate, poſſit bonum operari, & quod cum gratia, quæ gradibus ſuperat cupiditatem, poſſit peccare? In eo ſane totius rei cardo vertitur, & in eo ſitum eſt totius ſyſtematis arcanum ac myſterium. Hunc nodum non poſſe facile ſolvi putavit F. Bellelli: attamen quod homo ſub gratiæ ſuperioris imperio conſtitutus poſſit male operari, & quod ſub concupiſcentiæ dominatu poſſit non peccare, neceſſario fatendum eſt, ne dogmatibus ab Eccleſia definitis videatur aperte & directe contradicere: His in angustiis ad trita Janſeniſtarum effugia, jamque nimio crebrius ab iis uſurpata confugit F. Bellelli, eorumque veſtigiis inſiſtens, quamvis illorum argumenta refellere ſimulet, fatetur duplicem poſſe pati ſenſum hæc verba, *poteſt*, *& non poteſt*; ideoque in aliquo ſenſu dici poſſe aſſerit, quod homo cum gratia, quæ inferior eſt cupiditate, poſſit non peccare, & quod cum gratia, quæ ſuperior eſt, poſſit non operari bonum.

II.

Antequam tamen hujus æquivocationis fallaciam detegere aggrediamur, alteram audire ne pigeat F. Bellelli cavillationem, quam cæteris præire voluit, & quam Lectoris ſui oculis præpoſuit, ea fortaſſe ſpe ut nebuloſam quandam ipſis caliginem offunderet.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 1.

Tametſi, inquit, *gratia quibuſdam per ſe efficax deſit, quæ dicitur actionis ſeu applicationis virtutis ad opus, nulli tamen, urgente lege, deeſt gratia parva & excitans, quæ eſt gratia vere ſufficiens. Orandi enim adjutorio, dum lex urget, nemo privatur. Qui autem orare poteſt, gratia profecto virtutis, poſſibilitatis & poteſtatis præditus eſt*.

In Bellellino igitur ſyſtemate, dum lex urget, nemo privatur orandi adjutorio: inde tamen non ſequitur quod urgentem legem homo poſſit adimplere: nam cum nulla fieri poſſit actio, niſi ex prævia & indeliberata delectatione, non minus illa gradibus ſuperior requiritur ad orandum, quam ad operandum. Si ergo quando orare oportet, contingat eſſe in homine delectationem terrenam cæleſti ſuperiorem, & ab orando retrahentem, eo ipſo oratio ipſi impoſſibilis evadit; ergo non poterit orare, neque oratione impetrare gratiam actionis, nec conſequenter poterit legem adimplere. Perperam ergo addit F. Bellelli quod nulli deſit adjutorium ſeu gratia orandi, cum per gratiam orandi intelligat gratiam illam, quæ quidem ad orationem excitat, ſed quæ, cum gradibus inferior ſit, cupiditatem oppoſitam vincere non poteſt: nec ex illa gratia parva & excitante quam admittit magis colligere poteſt orandi potentiam quam potentiam operandi. *Nulli deeſt*, inquit, *urgente lege, gratia parva & excitans*; ſed cum tali gratia parva, in concurſu cupiditatis oppoſitæ gradibus ſuperioris, homo non poteſt bonum operari; ergo neque in eodem caſu hominem orare poſſe fateatur neceſſe eſt.

III.

Poſt præfatam Fratris Bellelli reſponſionem, per quam ſane alio transfertur, ſed non ſolvitur difficultas, varios qui his verbis, *homo poteſt*, *homo non poteſt*, ſenſus affingi poſſunt, exponere aggreditur. Verum quia Auguſtinus gratiæ œconomiam explicans utitur aliquando viſivæ potentiæ exemplo, tamquam ad quæſtionem præſentem elucidandam idoneo; ut hoc idem exemplum ad rem ſuam illuſtrandam adduceret, poſt tantum virum, Auguſtinum ſcilicet, F. Bellelli ſummo honori ac gloriæ ſibi adfuturum putavit. Sed quamvis in eo adducendo non erraverit, erravit profecto, cum illud ad ſuum ſyſtema accommodare tentavit; quod confidimus nos brevi demonſtraturos: ſed antea pauca dicenda ſunt de illo potentiæ viſivæ exemplo, quibus enucleatis facilior patebit aditus ad ea quæ de gratiæ œconomia dicturi ſumus.

IV.

Bellel. ibid.

Juxta Fratrem Bellelli, *ſunt oculi neceſſarii ad videndum, eſt neceſſarium lumen, neceſſaria eſt inſuper oculorum aperitio. Oculi neceſſarii ſunt ut potentia, ſeu viſiva virtus; lumen eſt adjutorium virtutis: aperitio vero oculorum tamquam conditio quæ potentiam illuminatam ad videndi actionem applicat*.

Huic Theologo libenter aſſentimur; ea enim quæ ad videndum aſſignat, nimirum oculi, lumen, & oculorum aperitio, ſunt quidem ad videndum neceſſaria; ſed hinc non ſequitur, quod iis in verbis, *homo poteſt videre*, *homo non poteſt videre*, aliqua lateat æquivocatio. Nam quando de homine oculos habente dicitur quod non poſſit videre abſque lumine & abſque oculorum aperitione, propoſitio hæc per ſe patet, quia ſcilicet homo lumine deſtitutus, aut clauſis oculis, nullatenus videre poteſt. Vera quoque eſt alia propoſitio, qua ſimpliciter aſſeritur quod homo ſanos habens oculos videre poteſt, quia tunc non affirmatur quod abſque lumine & oculorum aperitione videre poſſit; ſed uſu communi ſubintelligitur hæc conditio, modo adſint cætera ad videndum neceſſaria. Veræ itaque ſunt duæ iſtæ propoſitiones. *Homo oculos habens videre poteſt*; *& homo oculos habens videre non poteſt abſque lumine & abſque oculorum aperitione*; quia ſcilicet cum aſſeritur de homine oculos habente, quod ſine lumine & oculorum aperitione videre non poteſt, propoſitio excludit conditiones ita ad videndum neceſſarias, ut ſine illis impoſſibile ſemper futurum ſit homini ut videat, & ideo vera eſt propoſitio quæ negat hominem tunc poſſe. Quando vero dicitur ſimpliciter quod homo oculos habens poteſt videre, juxta communem uſum ſemper hæc conditio ſubauditur, modo adſint cætera ad videndum neceſſaria, nempe lumen atque oculorum aperitio: & vera quoque eſt propoſitio affirmans hominem tunc poſſe.

Cæterum conditiones, quas potentiæ viſivæ neceſſarias diximus ad videndum, aliæ ſunt ſub hominis poteſtate, aliæ vero ex ipſius nutu nullatenus dependent. Sic v. g. aperitio oculorum, ſi ſani ſint, pendet ex libero hominis arbitrio: poteſt enim homo, prout libuerit, oculos aperire vel non aperire: ſi vero ſint gravati, clauſæque palpebræ ob aliquam infirmitatem, tunc ſane oculorum aperitio a libera hominis voluntate eſt prorſus independens.

V.

His ita ſuppoſitis illuſtrari poteſt gratiæ œconomia exemplo oculorum: hanc enim comparationem exemplo etiam adducit ipſemet Auguſtinus. *Sicut enim*, inquit S. Doctor, *oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere*. Hic Auguſtinus comparationem inſtituit hominem juſtificatum inter & oculum corporis pleniſſime ſanum, & gratiam actualem qua indiget homo ad quodlibet opus bonum ſalutare inter & candorem lucis: unde colligit quod, ſicut non poteſt oculus pleniſſime ſanus abſque lucis candore cernere, ita non poſſit homo, etiam perfectiſſime juſtificatus, ſalutariter operari, niſi gratia divina adjuvetur.

Aug. lib. de nat. & grat. c. 26.

Longius progreditur F. Bellelli, & eadem comparatione utendo præter iſtas duas conditiones ad videndum neceſſarias, quas aſſignat Auguſtinus, tertiam requirit Theologus noſter, cui comparat gratiam per ſe efficacem. *Sicut ergo*, ait, *numeravimus tria neceſſaria ad videndum, oculos, lumen, oculorumque aperitionem; ſic tria neceſſaria ad pie vivendum numeranda ſunt, libera poteſtas, adjutorium ſufficiens poteſtatis, adjutoriumque efficax applicativum poteſtatis ad actionem*. Eſto quidem neceſſarius ſit tertiæ illius conditionis uſus, neceſſaria ſit nempe gratia per ſe efficax applicativa poteſtatis ad actionem: in hoc enim libenter aſſentiuntur Thomiſtæ omnes; ſed ab illis & ab omnibus Orthodoxis diſcrepat, 1. in eo quod adjutorium ſufficiens poteſtatis, ſeu gratia illa parva cupiditate minor, quam admittit & quam vocat ſufficientem, ſit vere inſufficiens, & non conferat veram poteſtatem agendi bonum. 2. in eo quod doceat gratiæ illi quæ cupiditate major eſt reſiſti non poſſe. Hæc duo duobus ſequentibus paragraphis, ea qua fieri poterit brevitate, perpendemus.

§. I.

Gratia gradibus minor cupiditate quam admittit F. Bellelli veram non confert poteſtatem operandi bonum.

I.

Error iſte, quem prænuntiat paragraphi iſtius titulus, ſatis dilucide ſtatuitur a Fratre Bellelli, dum præter gratiam per ſe efficacem alias eſſe aſſerit Jeſu-Chriſti gratias, ſed parvas & invalidas. *Ultra eam*, inquit, (gratiam ſcilicet efficacem) *aſſerendæ etiam ſunt Jeſu-Chriſti gratiæ parvæ & invalidæ, quibus humana obſtinatio reſiſtit*. Eas quoque gratias parvas & invalidas appellat loco ſupra laudato: ſi invalidæ, ergo cum illis operari bonum homo nullatenus poteſt; ergo gratiæ illæ non veram conferunt agendi potentiam ad opus bonum exercendum.

Bellelli de modo repar. tom. 2. in Propoſ. 14. Queſnel. p. 45. Vide ſupra art. 1. n. 3.

II.

Præterea vult F. Bellelli quod homo gratia illa parva & invalida inſtructus non magis poſſit agere bonumque operari, quam ille, cui ob infirmitatem aliquam clauſæ ſunt oculorum genæ, poſſit videre. Adhibet enim hanc ſimilitudinem, quam ad rem ſuam explicandam aptiſſimam putat. *Itaque*, inquit, *ob aliquam infirmitatem clauſæ ſint oculorum genæ: tunc homo oculorum plane integer ſufficientique lumine præditus videre non poteſt ..... Eſt autem oculorum hæc ſimilitudo ad rem noſtram explicandam aptiſſima:* atqui ille, cujus ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, non habet veram videndi potentiam; ergo neque veram habet potentiam bonum operandi ille in quo reperitur gratia cupiditate inferior. Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 1.

Verum quidem eſt quod fateatur iſte Theologus illum, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, in alio ſenſu & in alio reſpectu poſſe videre, quia non eſt cæcus, & quia non eſt in tenebris, ſed in lumine. Sed quamvis nec cæcus, nec in tenebris ſit, non magis videre poteſt, durante ac tenaciter perſeverante eadem infirmitate quæ clauſos invincibiliter detinet oculos, quam poſſit homo ſurdus audire, vel tibiis fractus recte gradiri; quibus exemplis utitur Janſenius: fatebitur autem F. Bellelli cum Janſenio, quod homo ſurdus audire non poſſit, nec tibiis fractus ambulare; ergo neque etiam eum, cui ineluctabilis neceſſitas oculos obſtruit, poſſe ullatenus videre fateatur neceſſe eſt. Nunc vero cum potentia bonum operandi, quam dat gratia parva, ſimilis ſit potentiæ videndi, quam habet ille, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, hinc ſequitur quod cum homo, qui ex infirmitate clauſos habet oculos, nullatenus poſſit videre; ita nec cum gratia parva eo tempore, quo ardentiori concupiſcentia premitur, poſſe bonum operari fateatur quoque neceſſe eſt.

III.

Hic tamen hæret in bivio F. Bellelli, nec audet aſſerere, illum, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, veram habere videndi potentiam; ſed ait ſolummodo eum generali videndi impotentia non laborare. *Quis autem*, inquit, *eum ſic dicat generali videndi impotentia laborare?* Et ſibi ſemper conſtans hanc doctrinam ſuam ibidem confirmat, dum œconomiam gratiæ ſuſcipit exponendam. *Quemadmodum*, inquit, *ex defectu ſolius aperitionis oculorum nullo jure generalis & indefinita ad videndum impotentia colligitur, nec vere dicitur, homo clauſis oculis indefinite videre non poteſt; ita ex ſolius adjutorii per ſe efficacis defectu generalis impotentia ad pie operandum infertur perperam.* Verum quidem eſt quod ſi illa oculorum aperitio ita eſſet in hominis poteſtate, ut vere poſſet oculos aperire vel non aperire, tunc ex defectu ſolius aperitionis oculorum, ex illo, inquam, defectu voluntario ac plane libero male colligeretur generalis & indefinita ad videndum impotentia; ſed quia defectus ille aperitionis oculorum ſupponitur oriri ex aliqua ineluctabili infirmitate, quæ actu ſanari non poteſt, & quæ clauſos invincibiliter detinet oculos, ex iſto defectu omni quidem jure colligitur vera ad videndum impotentia. Cum ergo F. Bellelli comparet hominem gratia efficaci deſtitutum illi, cujus ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, profecto in eo agnoſci non poteſt vera pie operandi potentia. Bellel. ibid. Bellel. ibid.

IV.

Nihil igitur novi admittit F. Bellelli, quod jam non admiſerit Magiſter ejus Janſenius. Docuit enim Yprenſis Antiſtes ante Fratrem Bellelli, quod homo, cui deeſt gratia per ſe efficax, & conſequenter cui adeſt ſolummodo gratia gradibus inferior cupiditate, non poſſit bene operari: additque ſine delectatione ſuperiori, *tam eſſe impoſſibile voluntati ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur*: quæ comparationes eo unice tendunt ut abſente gratia gradibus ſuperiori excludatur a quocumque vera bene operandi potentia. Huic doctrinæ ſuffragatur F. Bellelli, dum contendit, ut jam vidimus, hominem ſine gratia per ſe efficaci non magis poſſe pie operari, quam videre poſſit ille, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ: nec inter utriuſque doctrinam ullum aliud diſcrimen aſſignari poſſe videtur, niſi quod F. Bellelli verba diverſa adhibeat, licet eundem retineat ſenſum. Janſen. lib. 2. de grat. Chr. Sal. cap. 1.

V.

Cæterum quamvis Janſenius aſſerat hominem, cui deeſt gratia per ſe efficax, non poſſe bonum operari, docet tamen eum in aliquo ſenſu, & ſub vario reſpectu illud poſſe, diſtinguendo ſcilicet, ut jam vidimus in priori hujus Operis parte, diverſum potentiæ genus, varioſque ejuſdem potentiæ gradus: non ergo ab eo diſſentit F. Bellelli, dum fatetur hominem gratia per ſe efficaci deſtitutum non laborare generali, indefinita & omnimoda pie operandi impotentia, ſed eum in aliquo ſenſu poſſe bonum operari. Vide ſupra art. 2. n. 5. pag. 10.

VI.

Præterea nullam aliam videtur F. Bellelli admiſiſſe gratiam, quæ veram conferat operandi potentiam, præter illam quæ per ſe efficax eſt, quaſi illa ſola ſit quæ infirmitati per peccatum contractæ mederi poſſit. *Gratia efficax Salvatoris*, inquit, *a nobis ..... ſtatuitur dumtaxat ut infirmitati per peccatum relictæ ſuccurrat; ſcilicet ex Adæ peccato concupiſcentia nata eſt, quæ nos miſeros ad peccatum inclinat, ad illecebras trahit, ad malum compellit, urgetque, & ineluctabili pondere voluntates noſtras ſibi ipſis relictas ſub Dæmonis poteſtate devincit. Hujuſmodi malo in animarum perniciem graſſanti ut occurreret ac mederetur clementiſſimus Deus per merita unigeniti Filii ſui ..... talem gratiam nobis conceſſit, quæ efficaciſſima nos virtute contra rebellem concupiſcentiam armaret, ut iſta trahente voluntates de bono ad malum, illa fortius eaſdem indeclinabiliter & inſuperabiliter de malo ad bonum duceret.* In hoc ſane loco plane reviviſcit Janſenii principium. Docet enim Janſenius, ac pro principio tradit, ut jam vidimus, quod poſt Adæ peccatum ita per concupiſcentiam ad malum impellamur, ut niſi accedat gratia fortior, voluntas hominis per peccatum multum depreſſa a peccato nullatenus poſſit abſtinere. Hoc idem docet F. Bellelli, dum loco ſuperius citato ait, concupiſcentiam, quæ nos miſeros ad peccatum inclinat, ad illecebras trahit, ad malum impellit urgetque, ineluctabili pondere voluntates noſtras ſibi ipſis relictas ſub Dæmonis poteſtate devincire; nec clementiſſimum Deum huic malo occurrere ac mederi, niſi talem gratiam concedendo, quæ efficaciſſima nos virtute contra rebellem concupiſcentiam armat, ut dum iſta trahit voluntates de bono ad malum, illa fortius eaſdem indeclinabiliter & inſuperabiliter de malo ad bonum ducat. Quid expreſſius, quid tandem doctrinæ Janſenii conformius proferri poteſt? Hic tamen obiter advertemus quod e naturæ lapſæ ſtatu videatur excludere, & reipſa excludat quamcumque gratiam præter illam quæ eſt a ſe ipſa efficax. *Gratia efficax Salvatoris*, inquit loco jam citato, *a nobis ſtatuitur dumtaxat ut infirmitati per peccatum relictæ ſuccurrat.* Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 2. cap. 32.

VII.

Neque reponas Fratrem Bellelli admiſiſſe gratias ſufficientes. *Tria*, inquit, *neceſſaria ad pie vivendum numeranda ſunt, libera poteſtas, adjutorium ſufficiens poteſtatis, adjutoriumque efficax applicativum poteſtatis ad actionem.* Ergo, inquies, vere agnoſcit gratiam ſufficientem, qua voluntas vere adjuvetur ut poſſit.

Reſpondetur enim ſalvum adhuc & integrum, ſub his verbis in ſpeciem Catholicis, perſeverare poſſe errorem Janſenianum: nam dum cohærenter ad ſua principia infert F. Bellelli gratiam parvam eſſe invalidam, eamque cupiditati actu gradibus ſuperiori ſemper neceſſario cedere: dum docet hominem gratia efficaci deſtitutum non magis poſſe bene operari, quam ille, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſint oculorum genæ, poſſit videre: dum denique aſſerit ſolam gratiam per ſe efficacem mederi poſſe infirmitati per peccatum contractæ, profecto adjutorium illud ſufficiens poteſtatis evaneſcit omnino, nec alio prorſus conſilio videtur illud a Fratre Bellelli fuiſſe admiſſum, quam ut imperitis fucum faceret, & ut, ſi poſſet, Janſenii cenſuram declinaret.

VIII.

Conſtat ergo ex hactenus dictis hominem non poſſe in Bellellino ſyſtemate bonum operari, niſi per gratiam per ſe efficacem, ac viribus ſuperiorem, & proinde gratiam gradibus inferiorem cupiditate veram non conferre pie agendi potentiam. Videamus nunc utrum in eodem ſyſtemate poſſit voluntas reſiſtere gratiæ quæ gradibus cupiditatem ſuperat.

§. II.

F. Bellelli docet voluntatem reſiſtere non poſſe gratiæ quæ gradibus cupiditatem ſuperat.

I.

DOcet Concilium Tridentinum ſeſſion. 6. cap. 5. quod tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem homo poteſt inſpirationem illam abjicere; & Can. 4. definit liberum hominis arbitrium

trium a Deo motum & excitatum posse dissentire, si velit: unde concluditur adversus Lutherum & Calvinum, quorum doctrina isto Canone proscribitur, hominem posse cuicumque gratiæ dissentire, non solum sufficienti, sed etiam efficaci: unde etiam ulterius colligi potest doctrinam Fratris Bellelli & Jansenii, quæ eadem est, licet aliquando verbis differant, Tridentino adversari. Vult enim Theologus ille, ut videre est loco superius citato, quod Deus infirmitati per peccatum relictæ non aliter succurrat, quam per gratiam quæ efficacissima virtute sua voluntates nostras indeclinabiliter & insuperabiliter de malo ad bonum ducit, & ut gratiam suam *irresistibilem*, ut loquuntur Theologi, statuat, contendit verba jam laudata Concilii Tridentini non de gratia in genere, sed de sola gratia sufficienti intelligenda esse, atque ita spreto Tridentino decreto, hominis arbitrium gratiæ efficaci non posse resistere impudenter asserit. *Dicimus*, inquit, *id a Tridentina Synodo definitum fuisse, quod liberum arbitrium a Deo motum & excitatum vocationi interiori sufficienti, quæ dat posse, valeat resistere, si velit, quam quidem gratiam, si vult abjicere, etiam potest, imo & interdum abjicit.* Et paulo post. *Arbitrium posse resistere gratiæ sufficienti profecto sanxit* (Concilium Tridentinum) *Augustinus vero non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili atque insuperabili, quæ dat velle & perficere, arbitrium minime posse resistere scripsit.* Indicet F. Bellelli quo loco scripsit Augustinus efficacem gratiam talem esse, cui arbitrium minime possit resistere. Id esse insigniter falsum, si esset his locus, probarent innumera fere Augustini testimonia. Nec ignoramus hanc esse Novatorum consuetudinem, ut sibi Augustinum vindicent, quamvis Sanctus Doctor illis aperte contradicat. Non minus falsum quoque est a Tridentina Synodo fuisse tantum definitum liberum arbitrium posse resistere soli gratiæ sufficienti. Loco enim citato proscripsit Tridentina Synodus gratiam necessitantem Calvini, quæ haud dubie efficax erat, cum ad agendum necessitaret. Hanc tamen doctrinam procul repellit ac damnat, ex eo quod admitteret gratiam, cui liberum hominis arbitrium non poterat dissentire; ergo non sanxit tantum liberum arbitrium posse resistere soli gratiæ sufficienti; sed præscindendo a gratia, sive efficaci, sive sufficienti, definit quod gratiam, quæ datur, quæcumque illa sit, hanc possit homo abjicere; & quod liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, sive moveatur & excitetur per gratiam efficacem, sive per pure sufficientem, possit illi dissentire, si velit. Qua ergo fronte potuit F. Bellelli asserere gratiam sufficientem, ex mente Tridentini & Augustini, solam esse cui possit liberum arbitrium resistere?

Bellel. de modo repar. tom. 1. lib. 2. cap. 16.

II.

Ut tamen a proposito non discedat, & ut incautos decipiat, post citata superius verba sic pergit. *Thomistica tamen distinctio sensus compositi & sensus divisi hujusmodi difficultatibus complanandis aptissima præ manibus est semper habenda.*

Verum quam abusive hac Thomistarum distinctione utantur F. Bellelli & alii Jansenistæ priusquam demonstremus, quid per sensum compositum & per sensum divisum intelligant Thomistæ, exponere non parvi interest.

Franciscus Sylvius S. Theologiæ Doctor & Professor, atque Universitatis Duacenæ Vicecancellarius, inter celeberrimos Thomistas jure merito annumerandus, sic exponit hanc sensus compositi & divisi distinctionem. *Sensus compositus*, inquit, *est quo duæ formæ per utrumque extremum significatæ simul componuntur in eodem subjecto. Divisus vero quando non simul componuntur in eodem, sed cum una forma intelligitur esse potentia ad alteram.*

Sylvius in 1. 2. quæst. 10. art. 4.

Hæc autem definitio, pluribus forsan captu difficilis, per varia quæ addit exempla clarescit, ac omnino dilucidatur; *& propterea*, ait, *sicut hujus propositionis, ambulans potest quiescere, sensus compositus est, fieri potest quod ambulans simul ambulet & quiescat: divisus vero non hic, fieri potest quod ambulans relicta ambulatione quiescat, sed iste: ambulans, etiam tunc, cum est ambulans, potest quiescere, hoc est, facultatem habet ad quiescendum; ita istius assertionis, voluntas a Deo mota potest non agere, sensus compositus est, fieri posse quod voluntas a Deo moveatur ad agendum, & tamen non agat: divisus autem, voluntas tunc, cum a Deo movetur ad agendum, habet potentiam seu facultatem ad non agendum. Et sicut prior propositio falsa est in sensu composito, sed vera in divisо, ita etiam posterior.* Hanc sensus compositi & sensus divisi distinctionem fusiori stylo dilucidat Alvarez, de auxil. disput. 94.

III.

Et consequenter ajunt Thomistæ hominem gratiæ non posse resistere in sensu composito; posse tamen in sensu divisо. Non potest resistere in sensu composito, quia hæc duo simul componi non possunt, *gratia efficax, & actualis resistentia*: potest tamen resistere in sensu divisо, quia simul esse possunt, *gratia efficax & potentia resistendi*, agnoscuntque veram resistendi potentiam remanere cum qualibet motione gratiæ per se efficacis, quia Deus ratione omnipotentiæ suæ movet efficaciter causas secundas, non solum ad agendum, sed etiam ad agendum convenienter naturæ earum, videlicet ita movet efficaciter causas liberas, ut libere se determinent ad agendum, motionique divinæ revera possint consentire, vel non consentire. Sic ratiocinatur Sylvius. *Neque his obstat*, inquit, *quod Deus voluntatem moveat efficaciter; ita enim efficaciter movet unamquamque causam, ut eam movendo, non solum faciat eam agere, sed etiam faciat eam agere convenienter suæ naturæ. Cum ergo motus humanæ naturæ seu voluntati conveniens sit, quod libere agat, Deus eam sic efficaciter movet, ut faciat eam libere agere.* Deinde refert idem Auctor in confirmationem suæ sententiæ quædam D. Thomæ testimonia, 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. & 1. par. q. 19. art. 8. & q. 22. art. 4.

Sylvius ibid.

Et non solum Thomistæ, sed etiam Theologi omnes Orthodoxi diffiteri non possunt quin gratia efficax ex omnipotentissima Dei voluntate habeat, ut voluntatem, libere quidem, sed invicte & infallibiliter moveat ad bonum, ac proinde confiteri debent quod voluntas humana, etsi non possit resistere efficaci gratiæ in sensu composito, ita ut simul esse possint gratia efficax & resistentia, potest tamen resistere in sensu divisо, quia stat cum gratia efficaci vera potentia dissentiendi.

IV.

Hanc adhibere distinctionem, sensus scilicet compositi & divisi, nullo pacto potest F. Bellelli, & alienum jus usurparet, si eam suo systemati accommodare vellet: nam gratia illa efficax quam admittit, seu delectatio cupiditate oppositа gradibus superior, potentiam simul & actum confert, nec sine illa, non tantum actio non fit, sed nec fieri potest; unde sub imperio gratiæ ab opere bono exercendo abstinere nullatenus potest voluntas. Cum enim tunc delectatio boni magis delectet quam delectatio mali, juxta principia a F. Bellelli admissa, secundum hanc delectationem majorem operari necesse est. Quando igitur dicit hominem resistere posse gratiæ efficaci in sensu divisо, id est, esse in homine, & gratiam efficacem, & simul potentiam illi gratiæ resistendi, jocatur profecto; nam nullam veram agnoscit potentiam, sed loquitur tantum de potentia illa chimerica, quam comparat potentiæ videndi, quæ in eo est cujus ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ, & quam veram esse impotentiam supra demonstravimus. Nunquam ergo serio dicere potuit, quod homo gratiæ efficaci resistere possit in sensu divisо.

V.

Hac eadem usitata in Scholis Thomisticis distinctione sensus compositi & divisi ante Fratrem Bellelli abusus fuerat Jansenius, nec illo effugio Romanæ censuræ se subducere potuit; nec pariter eadem via illam declinabit F. Bellelli. *Dicimus igitur*, inquit Jansenius, *liberum arbitrium quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum, non tantum non facere, sed etiam malum. Verum est enim istud, non quidem in sensu composito, ut vulgo dici solet, sed in sensu divisо.* Damnatus est tamen Jansenius, quia vera non est ea, quam in homine gratia efficaci prævento agnoscit, potentia operandi malum: damnari ergo æque meretur F. Bellelli, qui nec veram admittit potentiam peccandi in eo, cui collata est gratia gradibus superior cupiditate, cum non aliter illum posse peccare velit, quam possit videre is, cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ.

Jansen. lib. 8. de grat. Sal. Salvat. cap. 20.

VI.

Quia tamen F. Bellelli in erroris sui patrocinium auctoritatem S. Augustini advocare non erubuit; *Augustinus vero*, inquit, *non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, atque insuperabili, quæ dat velle & perficere, arbitrium minime posse resistere scripsit:* ideo necesse est ostendere quantum discrepet doctrina Theologi nostri ab ea quam Sanctus Doctor adversus hæreticos validissime propugnavit. Ut autem propositum finem assequamur, tria nobis probanda incumbunt, 1. Esse quandam impotentiam conditionalem & consequentem, quæ non est vera & proprie dicta impotentia. 2. De hac impotentia improprie dicta locutum fuisse S. Augustinum. 3. De ea tamen non intelligi posse illa quæ a Fratre Bellelli proferuntur.

Du-

Duplex itaque distingui potest impotentia, una absoluta & antecedens, altera conditionata seu consequens. Impotentia absoluta & antecedens ea est quæ talis est absolute, nulla scilicet præsupposita conditione, oriturque ex causa vere necessitante. Sic impotentia peccandi in Beatis est absoluta & antecedens, quia nulla præsupposita conditione necessitantur ad amandum Deum, & consequenter ad non peccandum. Impotentia autem conditionata seu consequens ea est quæ oritur, non ex causa necessitante, sed ex præsuppositia existentia alicujus effectus a libera causa libere procedentis. Hæc distinctio, ut planius intelligatur, nonnullis est illustranda exemplis.

Dicitur v. g. de homine sedente, quod si sedet, ambulare non possit; quia etsi revera possit, prout libuerit, sedere vel non sedere, ambulare vel non ambulare, præsuppositia tamen existentia sessionis vere dicitur quod homo sedens, quamdiu sedet, ambulare non potest. Illa autem ambulandi impotentia non est vera & proprie dicta impotentia, quia revera homo sedens poterat pro arbitrio suo sedere vel non sedere, ambulare vel non ambulare: unde eo in casu illa sessio fluit ex exercitio libertatis, & in aliquo sensu libertatem perficit, nam ideo sedet homo ille quia sedere voluit, cum potuisset non sedere, si non sedere voluisset.

Similiter posito quod Deus præviderit Antichristum libere peccaturum, vere dicitur quod Antichristus non poterit non peccare, & impotentia illa erit solummodo conditionata & consequens, quia hæc impotentia supponit præscientiam Dei, quæ nullam imponit causis liberis necessitatem, & ipsa quoque Dei præscientia supponit futuram existentiam peccati a causa libera libere committendi.

Eodem fere modo de voluntate Dei absoluta ratiocinari possumus, ac de ejus præscientia, & dicere quod si Deus voluntate absoluta velle supponatur Petrum usque ad finem in justitia perseveraturum, Petrus non poterit non perseverare, quia Deus, cum sit omnipotens, in thesauris sapientiæ & omnipotentiæ suæ habet infinita media, quibus potest Petrum reddere perseverantem, ita ut certo, libere tamen, sit perseveraturus. Hæc autem impotentia est solummodo conditionata & consequens, quia supponit in Deo voluntatem absolutam perseverantiæ Petri, quæ voluntas certo operatura est liberam Petri in justitia perseverantiam.

Cum autem gratia efficax sit medium illud quo Deus facit ut perseverantes simus, sitque effectus voluntatis absolutæ Dei, quia scilicet Deus vult absolute Electorum suorum perseverantiam, dicitur quoque quod ille, cui concessa est gratia efficax ad operandum bonum, non potest illud non operari. Illa tamen impotentia non est antecedens & absoluta, sed solummodo conditionata & consequens, quia supponit gratiam esse efficacem, & quia ea existente & auxiliante libere bonum sumus operaturi. Illa autem impotentia non est vera & proprie dicta impotentia. Sicut enim in eo qui libere sedet non est vera impotentia ambulandi, ita nec in Antichristo, cujus Deus prævidit peccatum futurum, vera est impotentia non peccandi, nec in Prædestinatis, quorum Deus voluit voluntate absoluta perseverantiam in justitia, vera est impotentia ab ea deficiendi; nec tandem in eo, cui collata est gratia efficax ad operandum bonum, vera est impotentia illud non operandi.

Cum itaque dicatur de gratia efficaci, qua Deus facit ut in ejus præceptis ambulemus, (sive illa sit per se efficax, sive non, nam ab agitandis opinionibus Theologicis consulto abstinemus) cum itaque, inquam, de gratia efficaci dicitur quod est invincibilis, insuperabilis, indeclinabilis, quod vinci non potest, quod illi non potest resisti, hæc omnia intelligi debent de impotentia consequenti & conditionata, quæ non est vera impotentia, supponit enim existentiam futuram actus liberi, nec aliter vera est propositio affirmans talem impotentiam, quam præsuppositia futura existentia actus liberi.

VII.

Quod de illa impotentia consequenti & conditionata, quæ non est vera & proprie dicta impotentia, locutus sit Augustinus in locis a F. Bellelli laudatis & excerptis ex lib. de corrept. & grat. c. 12. & 14. manifestum est; nam ibi S. Doctor ex instituto disputat de dono perseverantiæ hominis lapsi, docetque donum illud, quo Deus absoluta voluntate vult electorum suorum æternam salutem, iisque consequenter præbet gratias efficaces ad perseverandum, non posse effectu suo frustrari. *Subventum est igitur*, inquit Augustinus, *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.* Et cap. 14. *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt facit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.* Porro impotentia illa, qua fit ut non possint non perseverare illi, quos Deus absolute vult perseveraturos, quibusque consequenter præbet gratias efficaces ad perseverandum, evidenter supponit liberam fore in electis divinæ gratiæ adjutorio cooperationem, ac proinde impotentia illa, de qua Augustinus, est impotentia consequens & conditionata, non autem antecedens & absoluta.

S. Aug. de corrept. & grat. cap. 12.

VIII.

Quando autem F. Bellelli ait gratiam illam, quæ gradibus superat cupiditatem, esse victricem, indeclinabilem, insuperabilem, eique arbitrium minime posse resistere, illud affirmat independenter ab omni alia suppositione: non enim supponit illud quod supponunt Augustinus & alii Catholici, occultam videlicet Dei in cordibus hominum, absque ulla libertatis læsione, operationem, sed e contra gratiæ tribuit esse irresistibilem, indeclinabilem & insuperabilem, ea tantummodo ratione, quia gradibus superior est cupiditate: ait enim, ut jam adnotavimus, quod *si fortior est*, (gratia) *vincit, facitque invincibiliter ut libera facultas adjuta suo nutu concupiscentiæ delectationibus resistat.* Illa ergo impotentia resistendi gratiæ efficaci, quam admittit iste Theologus, est impotentia absoluta & antecedens, ac proinde vera atque proprie dicta impotentia.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 27.

ARTICULUS III.

De legitimo sensu hujus vocabuli, Necesse est.

I.

Quemadmodum F. Bellelli asserit voluntatem resistere non posse, sive gratiæ, sive cupiditati, secundum quod una alteram gradibus superat, ita quoque contendit necesse esse ut voluntas consentiat illi e duabus delectationibus indeliberatis, quæ est gradibus superior altera. Utrumque docet Theologus iste, scilicet voluntatem resistere non posse illi delectationi indeliberatæ quæ gradibus superior est altera, & necesse esse ut voluntas illi consentiat: pugnantia enim loqueretur, si unum asseveraret, & alterum negaret; cum idem omnino significent hæ propositiones; *homo non potest non agere*, & *necesse est ut homo agat.*

Insuper quemadmodum F. Bellelli ad eludendas Ecclesiæ definitiones contendit illas voces, *potest*, *non potest*, esse ambiguas atque æquivocas, ut dictum est supra in articulo præcedenti, similiter etiam ut aliquatenus imminuat horrorem quem auribus Christianis incutere valet hæc doctrina, de gratia scilicet & cupiditate voluntatem humanam alternatim necessitantibus, varias, easque plurimas affert Scholasticas distinctiones, quarum, si non firmitate, saltem numero obruantur incauti Lectores.

II.

Gratia per se efficax, inquit, *non absolutam & amplam necessitatem arbitrio imponit, sed diminutam admodum restrictamque: non enim est illius necessitas antecedens, sed illationis & consequens: non est necessitas actus primi, sed actus secundi: non est necessitas essentialis, sed accidentalis: non est necessitas sensus divisi, sed sensus compositi: non est necessitas cuilibet indiscriminatim obtemperandi, sed per se efficaci tantum.* Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 2. cap. 20.

Et alio in loco, post allatum Sancti Augustini hoc effatum, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, (quod alibi diximus & ostendimus nullatenus favere Jansenio, & consequenter nec Bellelliano systemati) hæc addit Theologus noster. *Quoniam scilicet facta suppositione, quod virtus, tametsi indifferens, operi ac actioni applicetur, agat tunc operaturque necesse est, necessitate tamen consequenti & illationis. Quis enim deneget? Non est igitur hæc necessitas activæ virtutis, seu liberæ potestatis, non est actus primi, non est antecedens, sed est necessitas consequens, necessitas suppositionis, necessitas applicationis, necessitas actus secundi, quæ etiam a S. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3. necessitas infallibilitatis & certitudinis, hoc est, certæ & infallibilis illationis nuncupatur, juxta doctrinam S. P. Augustini, quam tradit de Sanctorum præde-* Bellel. ibid. lib. 3. cap. 6.

prædeſtinatione, qua certiſſime liberantur quicumque liberantur. Hujuſmodi vero conſequens neceſſitas applicationiſque determinatio, quæ dici conſuevit ſenſus compoſiti, non diviſi, tametſi ſuſpenſionem auferat, indifferentiam tamen activam ſervat illæſam.

III.

Harum Scholaſticarum diſtinctionum quædam ſunt apud Theologos Orthodoxos, & præſertim apud Thomiſtas, valde uſitatæ; aliæ vero a Fratre Bellelli videntur excogitatæ, ut ſuper hac jam ſatis intricata quæſtione denſiores adhuc tenebras magis ac magis offundat. Quantum autem inania ſint ac inepta Theologi iſtius diverticula, nunc nobis probandum incumbit: quod ut aſſequamur in duobus ſequentibus paragraphis demonſtrabimus 1. Scholaſticas Theologorum Orthodoxorum diſtinctiones nullatenus congruere aut aptari poſſe ſyſtemati Bellelliano. 2. Novis quas ipſe F. Bellelli excogitaſſe videtur diſtinctionibus illum nullatenus a ſyſtemate Janſeniano recedere, imo illius ſyſtematis ſe aſſertorem atque protectorem profiteri.

§. I.

Scholaſticæ Theologorum Orthodoxorum diſtinctiones ſyſtemati Bellelliano nullatenus congruunt aut aptari poſſunt.

IN locis, quæ ex libro Fratris Bellelli excerpimus atque modo citavimus, quaſdam ipſe refert diſtinctiones apud Theologos Orthodoxos, & præſertim apud Thomiſtas, valde uſitatas. Neceſſitas, inquiunt, quam importat gratia efficax eſt neceſſitas hypothetica, ſeu neceſſitas ex ſuppoſitione, non autem neceſſitas abſoluta: neceſſitas conſequens, non antecedens: neceſſitas ſenſus compoſiti, non diviſi: neceſſitas illationis, infallibilitatis, certitudinis, ſeu conſequentiæ, non autem neceſſitas conſequentis. Hæc Orthodoxe loquuntur Theologi: Hæc & loquitur F. Bellelli, quæ tamen apud ipſum verum ac Catholicum ſenſum ferre non poſſunt. Quod ut oſtendamus, ſingulos hos eloquendi modos percurrere non pigebit.

I.

1. Neceſſitas ex ſuppoſitione, ſeu neceſſitas hypothetica illa eſt quæ ſupponit effectum libere futurum. Manifeſtum eſt autem quod hæc neceſſitas non lædat liberum hominis arbitrium, cum e contra illud ſupponat. Sic v. g. præſcientia, qua Deus prævidit Antichriſtum libere peccaturum, non impedit quin Antichriſtus ſit libere peccaturus, quamvis ſuppoſita divina præſcientia neceſſe ſit Antichriſtum peccare, neceſſe, inquam, neceſſitate ex ſuppoſitione, neceſſitate hypothetica, non abſoluta. Similiter ſuppoſito Dei decreto, quo abſoluta voluntate voluit Petri perſeverantiam, neceſſe eſt Petrum perſeverare, etſi libere ſit perſeveraturus: & hæc certiſſima ſunt, non ſolum in ſyſtemate Congruiſtarum, ut ſatis per ſe patet, ſed etiam in ſyſtemate Thomiſtarum; *Neceſſitas futuri conſenſus*, inquit Alvarez, *quæ deſumitur ex antecedente decreto voluntatis divinæ, non eſt neceſſitas abſoluta, ſed conditionalis, & ſecundum quid, ut ſupra dictum eſt; unde actus noſtri liberi arbitrii, qui neceſſario ſequuntur ex hujuſmodi ſuppoſitione, non ſunt ſimpliciter neceſſarii, ſed liberi.*

Alvarez de auxil. diſp. 22. n. 40.

Alvarez ib. n. 39.

Hujus ſententiæ ſuæ iſtam affert rationem idem Alvarez, nempe quia *ſolus Deus propter ſuam infinitatem & omnipotentiam, quia eſt auctor voluntatis creatæ, poteſt illam immutare conformiter ad ſuam naturam, & movere efficaciter atque applicare ad producendum actum in particulari, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum modum libertatis.*

S. Thomas 1. part. q. 19. art. 8.

His conſentanea ſcribit S. Thomas, quod *cum voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem*, addit, *quædam fieri Deus neceſſario, quædam contingenter.* Idque confirmari poteſt ex his quæ docet idem Sanctus Doctor ibid. ad 2. & quæſt. 22. art. 4. & quæſt. 83. art. 1. ad 3. ac rurſum 1. 2. quæſt. 10. art. 4.

Ex quibus inferunt Thomiſtæ quod Deus præmovendo & prædeterminando humanas voluntates ſecundum modum naturæ illarum congruentem, ita illas præmoveat ac prædeterminet, ut tamen libere ſe ipſas determinent ad agendum, & ita agant ut poſſint agere, vel non agere, atque quod neceſſitas illa, quæ oritur ex præmotione, & prædeterminatione Dei, ſicut & illa, quæ oritur ex præſcientia ipſius, ſupponat effectum libere futurum, ſitque proinde ſolum neceſſitas ex ſuppoſitione, neceſſitas hypothetica, non autem neceſſitas abſoluta.

II.

Neceſſitatem autem hypotheticam in ſenſu Thomiſtico ſic intellectam revera non admittit F. Bellelli, licet illam admittere ſimulet. Repetit enim efficaciam gratiæ, non ex omnipotenti & abſoluta Dei voluntate qua Deus ipſe, abſque ulla liberi arbitrii læſione, ita præmovet & prædeterminat actiones hominum, ut vere poſſint ſemper agere vel non agere; ſed illam efficaciam repetit ex ſuperioritate graduum ipſiuſmet delectationis cæleſtis, quæ graduum ſuperioritas ſecum non involvit liberam effectus futuritionem, quam involvit præmotio aut prædeterminatio divina; ſed ſecum importat actum antecedenter ac neceſſario futurum, & ſimul negationem potentiæ veræ & proprie dictæ ad actum oppoſitum. Illa ergo neceſſitas quæ oritur ex graduum ſuperioritate in delectatione cæleſti non eſt neceſſitas ullatenus hypothetica, ſed vera & abſoluta neceſſitas.

III.

2. Addit F. Bellelli neceſſitatem illam non eſſe antecedentem, ſed conſequentem; qua diſtinctione utuntur etiam Theologi Orthodoxi, ſed in ſenſu longe diverſo. Ajunt Catholici quod neceſſitas illa quæ oritur ex decreto Dei abſoluto, quo ipſe vult v. g. Petri perſeverantiam in operibus bonis, eſt ſolum conſequens, non quod conſequatur Petri perſeverantiam, ſed quia conſequitur decretum divinum, quo ſtatuitur Petri perſeverantia libere futura. Neceſſitas autem antecedens illa eſt quæ non ſupponit Dei decretum abſolutum de futuritione actus alicujus liberi. Et ſic hæc diſtinctio in neceſſitatem antecedentem & conſequentem coincidit cum prima quæ eſt in neceſſitatem hypotheticam & abſolutam. *Neceſſitas ex ſuppoſitione voluntatis divinæ*, inquit Alvarez, *non eſt neceſſitas antecedens, ſed potius conſequens cauſam rei. Licet enim antecedat cauſam ſecundam, quæ eſt voluntas creata, non tamen antecedit cauſam primam ſimpliciter, ſcilicet voluntatem divinam, quæ magis influit in effectum quam cauſa ſecunda, & attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Alvarez de aux. diſp. 22. n. 41.

IV.

Porro neceſſitas quam admittit F. Bellelli, cum non ſupponat futurum uſum liberi arbitrii, v. g. perſeverantiam Petri libere futuram, imo ſupponit & conſequitur ſolummodo Dei decretum de concedenda gratia quæ gradibus ſuperet cupiditatem, ac proinde quæ pro graduum ſuperioritate ſit invincibilis, hæc neceſſitas, inquam, eſt neceſſitas in ſenſu Theologorum Orthodoxorum antecedens, ideoque vera & proprie dicta neceſſitas.

Quid ergo intelligit Theologus iſte nomine neceſſitatis antecedentis & conſequentis? *Neceſſitas antecedens ea eſt*, inquit, *quæ in eſſentia ipſa humanæ voluntatis collocatur: conſequens vero quæ poſt inflicta per peccatum vulnera in accidentali forma eidem accedente ſtatuitur.* Itaque juxta F. Bellelli, quamvis voluntas non poſſit diſſentire, neque gratiæ, neque cupiditati, ſecundum quod alterutra gradibus ſuperat alteram, ac neceſſe ſit ut voluntas conſentiat majori & fortiori delectationi, neceſſitas tamen illa obſequendi gratiæ dici debet ſolummodo conſequens. Quare? Quia etſi antecedat voluntatis conſenſum, ſubſequitur tamen, tum peccatum primi parentis, tum divinæ gratiæ adjutorium. Sic enim ipſemet mentem ſuam aperit immediate poſt verba modo allata. *Quo quidem ſenſu*, ait, *bene ſibi invicem congruunt ut gratiæ per ſe efficacis accidentalis neceſſitas conſenſum, quem efficit, antecedat, ſimulque conſequens neceſſitas dicatur, hoc eſt, conſequenter per peccatum, & per victricis gratiæ adjutorium inducta.* Ergone neceſſitas obſequendi delectationi gradibus ſuperiori erit minus vera neceſſitas, quia orta eſt ex Adami peccato? Nec in ipſo Janſenio reperies ulla verba, quibus clarius atque expreſſius ſignificaverit neceſſitatem illam, qua in ſtatu naturæ lapſæ adſtringitur humana voluntas obſequendi gratiæ vel cupiditati, ſecundum quod una gradibus ſuperat alteram, illam, inquam, neceſſitatem a peccato non excuſare peccatores, quia ſcilicet primum peccatum fuit ab Adamo libere commiſſum.

Bellel. de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 39.

Congruenter huic doctrinæ gratiam Adamo conceſſam,

ceſſam, quam vocat gratiam Conditoris, diſtinguit a gratia Redemptoris; quia *gratia Conditoris*, inquit, *datur ex lege providentiæ, qua tenetur ſufficientia adjutoria Creaturæ ſuæ tribuere, ut poſſit, quæ debet, divina præcepta ſervare, alioquin juſtam poſſet de peccato proferre excuſationem, & dicere per Deum abeſt*. Ex quo diſcrimine inter gratiam Conditoris & gratiam Redemptoris allato colligere licet Deum ex lege Providentiæ non teneri homini in ſtatu naturæ lapſæ ſufficientia adjutoria tribuere, ut poſſit, quæ debet, divina præcepta ſervare, nec ſi deſint, hominem poſſe ullam de peccato proferre excuſationem. Verum etſi indignus ſit gratia divina, eaque poſſit illi juſte denegari, ſi tamen illi denegaretur gratia, qua poſſit divina ſervare mandata, a Deo juſto nulla pro illorum tranſgreſſione pœna poſſet plecti. Janſenius tamen contendit homines in ſtatu naturæ lapſæ nullam obtendere poſſe excuſationem, ſi tranſgrediantur mandata, etſi ea ſint illis impoſſibilia. Idemque docet F. Bellelli. Poſtquam enim aſſeruit *Deum condidiſſe hominem cum ſufficientiſſimo gratiæ adjutorio ut ſua poſſet ſervare mandata*, addit quod *ſi eidem*, (poſt Adami peccatum) *gratia denegetur, nullo pacto ſe poteſt excuſare*.

Bellelli de ſtatu Creat. ration. lib. 3. cap. 19.

Bell. ibid.

Sed ut ad rem redeamus, manifeſtum eſt quod F. Bellelli hæc vocabula, *neceſſitas antecedens*, & *neceſſitas conſequens*, non ſolum aliter intelligat quam Theologi Orthodoxi, ſed etiam quod eis tribuat ſenſum hæreſi Janſenianæ perfecte conſentaneum.

V.

3. Quod ſpectat diſtinctionem ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi, de ea jam egimus in articulo præcedenti; & quia idem ſignificant hæ duæ propoſitiones: *Homo non poteſt diſſentire gratiæ gradibus ſuperiori: Homo neceſſe eſt ut conſentiat gratiæ gradibus ſuperiori*; ideo cum in articulo præcedenti demonſtraverimus veram eſſe, juxta F. Bellelli, in homine gratia ſuperiore inſtructo diſſentiendi impotentiam, probatum remanet, etiam in illo eſſe veram neceſſitatem conſentiendi.

Præterea diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diviſi nullatenus favere Fratri Bellelli evidenter patet ex eo quod nullatenus illi faveat diſtinctio, ſive neceſſitatis antecedentis & conſequentis, ſive neceſſitatis eſſentialis & accidentalis, de qua mox dicemus, & tres illas diſtinctiones idem ſignificare aſſerat idem Theologus. *Quia accidentalis neceſſitas*, inquit, *ab eſſentiali pertinente ad voluntatis naturam, quæ oritur ex objecto, contradiſtinguitur, vocaturque a nobis neceſſitas conſequens, ideo optimo jure conſenſum ex libertate & gratia ortum neceſſitate* conſequenti non antecedenti *neceſſarium aſſerimus*. Et infra. *Liber enim eſt*, ait (ſcilicet conſenſus) *eſſentialiter & abſolute; determinatur vero dumtaxat accidentali & conſequenti voluntate, quæ ipſiſſima diſtinctio eſt ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi*.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 39.

Non perpendimus hic quid in ſe contineat vitii hæc F. Bellelli doctrina, de ea enim agetur inferius; ſufficiat autem obſervare eum in eodem uſurpare ſenſu has voces, neceſſitas conſequens, accidentalis, & in ſenſu diviſo, ſicut & iſtas, neceſſitas antecedens, eſſentialis, & in ſenſu compoſito, ideoque ſatis eſt unam impugnare, ut aliæ quoque cenſeantur impugnatæ.

VI.

Verum etſi ſupponeremus Fratrem Bellelli intelligere hanc diſtinctionem ſenſus compoſiti, & ſenſus diviſi, ſicuti hanc intelligunt Thomiſtæ, non ideo erroris notam a ſe amoveret, quamdiu in voluntate veram potentiam diſſentiendi delectationi prædominanti non agnoſcet. Aſſentietur quidem Alvarezio aſſerenti quod *quando S. Thomas vel ejus diſcipuli dicunt liberum hominis arbitrium motum a Deo auxilio efficaci non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire aut non operari, nihil aliud ſignificatur quam motionem illam efficacem & actualem diſſenſum non poſſe ſimul poni in eodem arbitrio*. Aſſentietur quoque eidem Theologo & cæteris Thomiſtis docentibus liberum arbitrium poſſe auxilio efficaci diſſentire in ſenſu diviſo, quia cum illo auxilio ſtat potentia diſſentiendi, etſi cum eo componi non poſſit actualis diſſenſus; iis, inquam, aſſentietur F. Bellelli, fatebiturque liberum arbitrium gratiæ efficaci in ſenſu diviſo poſſe diſſentire, (quod & fatetur ipſemet Janſenius, ut dictum eſt in articulo præcedenti) modo ipſi liceat adjicere potentiam illam diſſentiendi non aliam eſſe quam eam qua præditus eſt homo, cui *ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ*. Hanc enim Theologus noſter affert comparationem. Nec aliter opinari poteſt, cum aſſerat tamquam ſyſtematis ſui ac Janſeniani præcipuum caput, voluntatem humanam non poſſe repellere delectationem prædominantem, ſive charitas illa ſit, ſive cupiditas.

Alvarez de auxil. diſp. 94. n. 2.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 1.

VII.

4. Neceſſitas illationis & infallibilitatis, quam cum Theologis Orthodoxis admittit F. Bellelli, quamque alii vocant neceſſitatem conſequentiæ, eadem eſt omnino cum illa, quam nuncupant neceſſitatem in ſenſu compoſito, de qua modo diximus quod non lædat libertatem. Cum enim dicitur quod voluntas non poſſit reſiſtere in ſenſu compoſito gratiæ efficaci, hoc unum ſignificatur, ſcilicet quod hæc duo ſimul componi non poſſunt, nempe gratia efficax ex una parte, & actualis diſſenſus ex altera. Similiter cum inquiunt Theologi neceſſe eſſe neceſſitate illationis, ſeu conſequentiæ ut voluntas conſentiat gratiæ efficaci, hoc unum intelligi volunt quod legitima ſit & certa hæc conſequentia. Homo gratia efficaci eſt inſtructus; ergo huic gratiæ conſenſum præbebit. Verum addunt Orthodoxi, illud non eſſe neceſſe neceſſitate conſequentis, quia homo libere, non neceſſario conſenſum præſtat gratiæ cuilibet, quantumvis illa efficax ſupponatur; quod non aſſerit F. Bellelli in locis jam ſuperius allatis. Sed etſi fateretur conſenſum, quem voluntas præbet gratiæ efficaci, non eſſe neceſſarium neceſſitate conſequentis, illud dicere non poſſet, niſi in ſenſu Janſeniano, cum, ut ſæpius obſervavimus, contendat cum Janſenio voluntatem diſſentire non poſſe, & neceſſe eſſe ut conſentiat delectationi, quæ actu gradibus ſuperat alteram, ac proinde gratiæ, ſi ſit gradibus ſuperior cupiditate.

VIII.

Ex his colligere eſt has omnes diſtinctiones eundem habere ſenſum, quem ipſis tribuunt Theologi Orthodoxi: neceſſitas hypothetica ſeu ex ſuppoſitione, & neceſſitas abſoluta: neceſſitas conſequens, & neceſſitas antecedens: neceſſitas in ſenſu compoſito, & neceſſitas in ſenſu diviſo: neceſſitas conſequentiæ & illationis, quam etiam vocant neceſſitatem certitudinis atque infallibilitatis, & neceſſitas conſequentis. Conſuli poteſt, ſi lubet, Alvarez, qui has omnes affert & exponit diſtinctiones diſp. 25. de auxil. divinæ grat. Licet quoque colligere, his omnibus loquendi modis Orthodoxos nihil aliud velle intelligi, quam quod, licet ſuppoſito gratiæ efficacis influxu, neceſſe ſit ut voluntas conſentiat. Hoc autem fateri non poteſt F. Bellelli, qui renovat ſyſtema Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis & pro graduum ſuperioritate invincibilibus, ac conſequenter docet voluntatem non poſſe diſſentire delectationi illi quæ gradibus alteram ſuperat, ſive gratia ſit, ſive cupiditas, imo neceſſe eſt ut illi conſentiat.

Supereſt nunc inquirendum quid ſibi velit F. Bellelli quibuſdam aliis diſtinctionibus, quas a Theologis Orthodoxis non videtur eſſe mutuatus.

§. II.

De aliis diſtinctionibus a Fratre Bellelli uſurpatis.

JUxta Fratrem Bellelli, gratia efficax non amplam neceſſitatem arbitrio imponit, ſed diminutam reſtrictamque: hæc neceſſitas non eſt neceſſitas cuilibet indiſcriminatim obtemperandi, ſed per ſe efficaci tantum: non eſt neceſſitas actus primi, activæ virtutis ſeu liberæ poteſtatis, ſed eſt neceſſitas actus ſecundi, neceſſitas applicationis: non eſt neceſſitas eſſentialis, ſed accidentalis. Verum his omnibus diſtinctionibus errorem gratiæ revera neceſſitantis non ejurat F. Bellelli: ſingulas percurramus.

I.

1. Quid ſibi velit F. Bellelli, dum neceſſitatem, quam gratia efficax imponit, contendit eſſe non amplam ſed diminutam ſeu reſtrictam, non facile quidem captu eſt: ſed quicumque ſit ille ſenſus, quem ſub his verbis obtegendum cenſuit, certiſſimum eſt illam neceſſitatem, cum ſit vera & proprie dicta neceſſitas, liberum deſtruere arbitrium: non enim hypothetica & improprie dicta cenſeri poteſt illa neceſſitas quæ oritur ex graduum ſuperioritate, ita ut neceſſe ſit voluntatem conſentire illi delectationi indeliberatæ, ſive gratiæ, ſive cupiditatis, quæ actu fortior eſt altera, eamque gradibus ſuperat.

II.

2. Hæc neceſſitas, inquit F. Bellelli, non eſt neceſſitas cuilibet indiſcriminatim obtemperandi, ſed per ſe efficaci tantum. Verum cum error de quo arguitur F. Bellelli ſit quod voluntas neceſſitatur ad obtemperandum gratiæ gradibus ſuperiori, quam vult eſſe ideo per ſe efficacem, quia gradibus ſuperat cupiditatem, tantum abeſt ut hac reſponſione errorem ſuum ejuret, ut e contra illum de novo confirmet. Juxta illum, neceſſitatur quidem voluntas ad conſentiendum gratiæ gradibus ſuperiori, ſed non æque neceſſitatur ad obſequendum alteri cuilibet rei, v. g. variis ſtellarum conſtellationibus. Innoxiuſque erit F. Bellelli, Janſenianam hæreſim pertinaciter aſſerendo, modo alia antiquorum Hæreticorum non amplectatur deliria?

III.

3. F. Bellelli hanc neceſſitatem ait non eſſe neceſſitatem actus primi, neceſſitatem activæ virtutis ſeu liberæ poteſtatis, ſed neceſſitatem ſolum actus ſecundi, neceſſitatem applicationis. Hæ elocutiones Theologo noſtro peculiares unice videntur adinventæ ad offundendam lectorum oculis caliginem. Verum quidem eſt quod juxta Thomiſtas, gratia ſe ipſa efficax ſe teneat ex parte actus ſecundi, non autem ex parte actus primi: quod activa virtus, ſeu libera potentia per gratiam ſufficientem ſit completa, proxima & expedita, quodque gratia per ſe efficax ſolummodo potentiam illam per gratiam ſufficientem jam vere completam applicet ad actu agendum, efficiendo ſcilicet, ut voluntas nullo novo ex parte actus primi roborata ſubſidio ab actu primo exeat libere in actum ſecundum. (Videri poteſt Epiſtola prima F. Ignatii Hyacinthi de Graveſon Dominicani in tom. Epiſtolarum pag. 13. & ſeq.) Sed nec Thomiſtæ, nec ullus unquam Theologus Orthodoxus, ut liberum hominis arbitrium ſalvum ſervet & incolume, his uſi ſunt eloquendi rationibus, quod neceſſitas voluntatis obſequendi efficaci gratiæ ſit neceſſitas actus ſecundi, non autem actus primi, imo cum expreſſe doceant omnes voluntatem non neceſſitari ad actum ſecundum, ſeu actum ſecundum non ex aliqua neceſſitate proficiſci, ſed ex mera & integra libertate prodire, manifeſte ſequitur quod omnino rejiciant tamquam hæreticas has hactenus inauditas propoſitiones: Neceſſitas obſequendi gratiæ efficaci eſt neceſſitas actus ſecundi, eſt neceſſitas applicationis.

IV.

Aſſerit denique F. Bellelli hanc neceſſitatem eſſe neceſſitatem accidentalem, non eſſentialem. Sed ex hoc ultimo effugio, non magis quam ex cæteris aliis, nihil ad ſui cauſam præſidii eruere poteſt. Quamvis enim neceſſitas in qua reperitur voluntas obſequendi gratiæ gradibus ſuperiori non pertineat ad eſſentiam voluntatis, quamvis illa neceſſitas ſit ei accidentalis & adventitia, ſi ſit vera & proprie dicta neceſſitas, ſicuti ex antedictis conſtat illam eſſe talem, certum eſt hac neceſſitate perimi liberum hominis arbitrium. Verum de hoc fuſius adhuc acturi ſumus articulo ſequenti, in quo notionem & eſſentiam liberi arbitrii a F. Bellelli traditam expendemus.

ARTICULUS IV.

De notitia & eſſentia liberi arbitrii a F. Bellelli tradita.

QUid ſentiat F. Bellelli de notitia & eſſentia liberi arbitrii aperire aggreditur in priori opere ſuo, quod eſt *de ſtatu creaturæ rationalis ante peccatum*, occaſione diſſertationis quam inſtituit de Deo præmovente & prædeterminante cauſas ſecundas ad agendum.

I.

Bellelli de ſtatu Creat. ration. lib. 2. cap. 22.

Docet autem 1. Deum, non ſolum concurrere immediate ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, ſed etiam eas præmovere, duplicemque diſtinguit præmotionem: unam cujus virtus eſt indifferens & verſatilis quam ſimpliciter præmotionem nuncupat: alteram cujus virtus non eſt indifferens & verſatilis, ſed determinata ad aliquem effectum in particulari, & dicitur prædeterminatio.

Bellel. ibid. cap. 24.

2. Duplicis generis cauſas creatas diſtinguit cum omnibus Theologis atque Philoſophis. Aliæ enim ſunt neceſſariæ: aliæ liberæ. Liberas definit eas quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſunt pro libito agere & non agere: neceſſarias vero, quæ poſitis omnibus ad motum requiſitis determinato inſtinctu operantur aut moventur; nonnullaque exempla adducit lapidis deſcendentis, exurentis ignis, lucentis ſolis, &c. Qua diſtinctione præſuppoſita contendit in liberis cauſis generalem Dei Providentiam eſſe verſatilem & indifferentem, non prædeterminativam: in neceſſariis e contra una ſimul præmotionem eſſe & prædeterminationem. *Creaturæ neceſſario operantis*, inquit, *eſſentialis dependentia & ſupremum Dei dominium ſimul expoſcunt oſtenduntque ita a Deo generali motore eandem moveri, ut ad actus ſingulos prædeterminetur*. De cauſis autem liberis aliter ratiocinatur: ait enim *in liberis & ſuo nutu operantibus divinam Dei præmotionem in actu primo ad opus quodlibet prærequiſito verſatilem & indifferentem eſſe ſtatuendam*; atque omnino repugnare, *ſi una eademque facultas ſimul eſſentialiter indifferens, & eſſentialiter ad unum determinata ex parte actus primi liberi conſtituatur*: additque, *rationales & liberas voluntates, dum ſunt in via, ita expeditas ad volendum nolendumve a rerum omnium conditore formatas, ut hæc eſſentia, hæc earumdem liberi arbitrii quidditas, conceptus, idea & definitio cenſenda ſit poteſtas indifferens ad actum & oppoſitum ejus*. Bellel. ibid. Bellel. ibid. cap. 25.

Hinc evidenter ſequitur prædeterminatione phyſica Thomiſtarum omnino perimi libertatem, quod & ipſe expreſſis verbis affirmat. *Porro phyſica prædeterminatio*, inquit, *ſive qualitas ſit, ſive quæcumque alia virtus, eſſentialiter eſt ad unum determinata, non enim fingi, niſi abſurdiſſime, poteſt prædeterminatio indifferens. Igitur*, pergit idem Theologus, *eſſentia creatæ libertatis ex capite dependentiæ eſſentialis phyſicam prædeterminationem excludit, tanquam in ipſius interitum citato curſu properantem*. Bellel. ibid.

II.

Hanc adverſus prædeterminationis phyſicæ aſſertores illatam calumniam haud difficulter repellunt Thomiſtæ. Aſſerunt enim Deum, utpote omnipotentem, prædeterminare creaturas liberas congruenter naturæ illarum, ita ut ſcilicet ſe ipſas ſimul determinent libere ad agendum. Verum quoniam opiniones in Scholis in utramque partem diſputatas, nec tueri, nec impugnare intendimus, ideo ad redarguenda ea, quæ in Scriptis Fratris Bellelli fidei adverſantur, jure merito properamus.

III.

Porro ex ejus principiis modo expoſitis recte colligitur liberum hominis arbitrium conciliari non poſſe cum motione gratiæ per ſe efficacis, qualis ab illo admittitur. Docet enim ex una parte, ut jam vidimus, quod prædeterminatio phyſica Thomiſtarum libertatem evertat; & ex altera contendit gratiam efficacem phyſice prædeterminare voluntatem; unde conſequi videtur, quod gratia per ſe efficax in ejus doctrina evertat libertatem.

Quamvis enim cenſeat cauſas liberas, ut ſalva ſit earum libertas, non prædeterminari phyſice ad agendum, ſed tantum præmoveri præmotione verſatili & indifferenti, adjicit tamen, quod Deus interdum, nulla eſſentia id exigente, ſed ex mero placito, creaturas rationales ad aliquod opus phyſice prædeterminet, & conſequenter aſſerit gratiam efficacem in ſtatu naturæ lapſæ phyſice prædeterminare voluntatem. Quomodo ergo concipi poteſt quod gratia per ſe efficax phyſice prædeterminet voluntatem, nullumque libertati damnum inferat, ſi prædeterminatio phyſica Thomiſtarum libertatem interimat? Bellel. ibid. cap. 29.

IV.

Verum non deſunt illi effugia, quibus ſuam ſententiam ab hac hæreſeos nota liberare contendat; duplicem enim diſtinguit prædeterminationem: alteram quam exigunt Thomiſtæ propter creaturæ dependentiam & ſupremum Dei in cauſas ſecundas dominium; & de hac aſſerit, ut jam dictum eſt, quod libertatem perimat: alteram autem, cujus neceſſitas ad bonum operandum colligitur ex infirmitate per peccatum relicta; & iſtam contendit nullum libertati damnum inferre. *Hanc libertatem indifferentiæ*, inquit, *omnino ſubvertit prædeterminatio phyſica generalis motoris deſcendens neceſſario ex capite ſupremi dominii & dependentiæ eſſentialis .... E contra vero gratia efficax Salvatoris ex capite dependentiæ eſſentialis neceſſariæ a nobis nullo pacto ſtatuitur, ſed dumtaxat ut infirmitati per peccatum relictæ ſuccurrat*. Bellel. ibid.

Sed gratia efficax, qualis aſſeritur a Fratre Bellelli, non minus dici poteſt everſiva libertatis in operibus bonis,

bonis, quam prædeterminatio physica in cæteris omnibus humanis actionibus. Libertas enim causarum secundarum, juxta Theologum nostrum, in eo consistit, ut jam diximus, quod voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, possit pro libito agere & non agere. Porro voluntas physice prædeterminata ad aliquod bonum opus per gratiam efficacem, non minus est impotens ad dissentiendum, quam cum prædeterminata supponitur a Deo ad aliquem actum ordinis pure naturalis. Ergo si prædeterminatio physica generalis motoris subvertit libertatem, ut contendit F. Bellelli, illam quoque subvertet gratia efficax, qualis ab illo admittitur, physice scilicet prædeterminans voluntatem.

V.

Reponit Theologus noster illud intercedere discrimen inter prædeterminationem quæ exigitur propter dependentiam creaturæ, & illam cujus necessitas oritur ex infirmitate per peccatum relicta, quod illa sit voluntati essentialis, ista vero ipsi accidentalis & adventitia.

Verum vana est & futilis admodum hæc cavillatio. Cum enim admittat F. Bellelli in voluntate veram & proprie dictam necessitatem assentiendi delectationi illi, quæ actu gradibus superat alteram, non minus dici potest illa necessitas vera & proprie dicta necessitas, licet supponatur accidentaria & adventitia, quam si esset voluntati essentialis, nec concipitur voluntas sub necessitate accidentali ad actum operandum, a quo nullatenus potest abstinere, magis libera ac expedita, quam sub necessitate essentiali; utraque enim adversatur libero arbitrio, cui necessario competit, juxta definitionem causæ liberæ ab ipso traditam, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit pro libito agere & non agere; ergo prædeterminatio physica, quæ descendit ex capite supremi dominii & dependentiæ essentialis, si subvertat omnino libertatem indifferentiæ, ut contendit F. Bellelli, nec minus eandem libertatem subvertet prædeterminatio illa quæ datur, nulla essentia exigente, sed ex mero Dei placito; cum utraque eosdem præstet effectus, id est, ad unum necessario prædeterminet; ergo in ipsius systemate salva esse non poterit humana libertas.

VI.

De notione & essentia libertatis fusius differit F. Bellelli in posteriori opere suo, quod inscriptum est, *de modo reparationis humanæ naturæ post lapsum:* & quamvis, tum in isto, tum in priori, damnare se simulet tertiam Jansenii propositionem his conceptam verbis: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione;* nihilominus doctrinam in hac propositione damnatam renovat. Plures enim recensens conditiones ad libertatem indifferentiæ requisitas, de sola immunitate a violentia & coactione loquitur: de immunitate autem a simplici necessitate, ne ullum quidem verbum.

Quinque igitur requisita esse docet ad constituendam indifferentiæ libertatem. 1. *In actu primo potestatis, Deus*, inquit, *concursum generalem paratum exhibet, ut in actionem seu actum secundum volendi aut nolendi queat exire.* (Libera facultas.) Prima hæc conditio nullam exhibet peculiarem difficultatem, quia, licet aliter sentiat Schola Thomistica, huic suffragantur alii Theologi.

2. Requirit Theologus noster *objecti boni malive notitiam, quoniam in incognitum*, inquit, *voluntas ferri non potest*. De hac quoque conditione nullum potest esse dubium.

3. Exigit *ut objectum quod percipitur sub pura ratione boni, vel sub pura ratione mali haud appareat*. Unde sequitur Beatos non esse liberos ad amandum vel non amandum Deum, quia illum intuitive vident sub pura ratione boni, nec esse liberos ad peccandum vel non peccandum, quia peccatum apprehendunt sub pura ratione mali. Hæc tertia conditio admittitur quoque a Theologis.

4. Exigit quoque, *ut voluntas a coactione & violentia immunis sit*. Notandum inprimis, quod hic F. Bellelli de immunitate a simplici necessitate altum habeat silentium. Verum de hoc paulo inferius.

5. Exigit demum quod attinet ad salutis opera, *ut sufficienti gratia, seu virtute, per quam eadem agere possit, fulciatur.*

De hac ultima conditione conveniunt omnes Theologi Orthodoxi: verum arguitur ab illis F. Bellelli, eo quod pro quarta conditione solum requirat immunitatem a coactione & violentia, cum debuisset etiam exigere immunitatem a necessitate. Definiit enim Summus Pontifex Innocentius X. adversus tertiam Jansenii propositionem, quod ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficiat libertas a coactione, sed requiratur insuper libertas a necessitate.

VII.

Dicet forsitan F. Bellelli, se pro tertia conditione exegisse, quod objectum quod percipitur non appareat sub pura ratione boni, vel sub pura ratione mali, ac proinde quod voluntas libera sit a quadam necessitate, scilicet ab illa necessitate quæ oritur ex parte objecti.

Verum quid Fratri Bellelli ad salvandum liberum hominis arbitrium prodest fateri voluntatem in statu naturæ lapsæ esse immunem ab illa necessitate, quæ oritur ex objecto, si simul asserat eam ex alio capite necessitari ad obtemperandum delectationi prædominanti, sive gratiæ, sive cupiditati? Voluntas enim necessitari potest ad aliquid agendum, non solum ex objecto, scilicet quando objectum quod percipitur apparet voluntati sub pura ratione boni, vel sub pura ratione mali, sed etiam ex alio capite necessitari potest, nimirum quotiescunque objectum, quamvis non proponatur sub pura ratione boni, vel sub pura ratione mali, ita tamen voluntati proponitur ut illa non possit dissentire. Sic in systemate Jansenio & Bellellino voluntas dissentire non potest delectationi illi, quæ gradibus alteram superat, atque ideo quamvis objectum quod proponitur non appareat illi sub pura ratione boni, vel pura ratione mali, necessitatur tamen ad consentiendum.

Non ergo effugere potest F. Bellelli anathema ab Innocentio X. pronuntiatum in eos qui cum Jansenio asserere non verentur, quod ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiratur libertas a necessitate, sed sufficiat libertas a coactione. Etsi enim fateatur iste Theologus requiri libertatem ab ea necessitate quæ oritur ex objecto, non tamen fatetur æque requiri libertatem ab ea necessitate, quæ ex alio capite oriri potest. Porro Summus Pontifex damnando tertiam Jansenii propositionem, definiit ad merendum & demerendum requiri, non solum libertatem ab illa necessitate quæ oritur ex objecto, sed etiam libertatem a quacumque necessitate, modo vera sit & proprie dicta necessitas; propositio enim Jansenii est universalis, nec restringitur ad illam necessitatem quæ oritur ex objecto, sed loquitur de quacumque vera & proprie dicta necessitate. Ergo ut profiteamur dogma a Summo Pontifice definitum, confiteri debemus quod ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiratur libertas a quacumque vera & proprie dicta necessitate, sive necessitas illa ex objecto, sive ex alio capite oriatur: hoc tamen non confitetur F. Bellelli, imo contrarium asserit, dum ad libertatem indifferentiæ requirit solum ut voluntas sit immunis a coactione & violentia, aut saltem ab illa necessitate quæ oritur ex objecto.

VIII.

Ex his patet Fratrem Bellelli docuisse voluntatem humanam sub motione gratiæ efficacis liberam esse libertate ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requisita hoc ipso quod immunis est a coactione & violentia, aut hoc ipso quod non rapitur ab objecto ipsi sub ratione puri boni, aut sub pura ratione mali proposito. Id sane libertatis genus nunquam rejecit Jansenius; requirit enim simul cum Fratre Bellelli omnem a coactione immunitatem, ita ut voluntas invita ac coacta nunquam agat. Contendit tantum libertatem hujus status conciliari posse cum simplici necessitate, seu cum voluntatis ad unum determinatione, quæ a virtute delectationis superioris ineluctabiliter prævenientis, & invincibiliter determinantis proficiscatur. Sed idem cum Jansenio contendit F. Bellelli, ut satis supra probatum est, ergo a Jansenio non recedit F. Bellelli, & eum ab errore tertiæ propositionis excusatum habere nemo potest.

IX.

Miras tamen more suo solito adhibet artes, ut errorem suum sub velamine verborum in speciem Catholicorum obtegat. *Adjutorium autem se ipso efficax*, inquit, *cujus ope lapsum hominem ad singulos actus pios indigere libro superiori probavimus, non ad potestatem, seu virtutem actus primi, sed ad secundum, seu opus ipsum pertinet. Est namque applicatio potestatis ad actionem, qua Deus ipse humanum arbitrium adjutorio possibilitatis instructum ac roboratum ut possit, ad effectum piæ operationis conjungit.* Bellel. ibid. cap. 6.

Orthodoxa plane est hæc gratiæ per se efficacis cum liber-

libertate indifferentiæ conciliato, ſi gratia efficax revera dicatur pertinere, ut ajunt Thomiſtæ, non ad poteſtatem, ſeu virtutem actus primi, ſed ad actum ſecundum, ſeu ad opus ipſum. Sed ſibi ipſi contradicit F. Bellelli, dum ex una parte gratiam gradibus inferiorem vocat parvam & invalidam, comparatque horminem illa gratia inſtructum homini illi, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, ac proinde qui videre non poteſt: & ex altera parte contendit gratiam gradibus ſuperiorem pertinere ad actum ſecundum, non ad actum primum: illud enim pertinere dicitur dumtaxat ad actum ſecundum, ſine quo voluntas vere poteſt agere: unde cum in ſyſtemate Bellellino voluntas vere non poſsit agere cum gratia gradibus inferiori, idque ſolummodo poſsit cum gratia prædominante, evidenter ſequitur quod, juxta Theologum illum, gratia gradibus ſuperior conferat potentiam agendi, atque ideo non ſolum pertineat ad actum ſecundum, ſed etiam ad actum primum.

X.

Quæret fortaſſe aliquis, quid ergo ſibi velle poſsit F. Bellelli, dum gratiam gradibus ſuperiorem, ſeu gratiam per ſe efficacem ait pertinere ad actum ſecundum, non ad primum, hoc eſt, gratiam per ſe efficacem ſupponere in voluntate, non conferre potentiam operandi? Reſpondeo nihil aliud velle Theologum illum, quam quod liberum arbitrium, cum ſit eſſentialiter *poteſtas indifferens ad actum & oppoſitum ejus*, non amittat hanc ſuam eſſentiam, quamvis voluntas a delectatione gradibus ſuperiori ita determinetur ad agendum, ut non poſsit non agere, quia hæc neceſsitas obſequendi prædominanti delectationi non impedit quominus voluntas ex natura ſua ſemper ad utrumque flexibilis ad oppoſitum actum revera flecteretur, ſi adeſſet actu prædominans oppoſita delectatio.

Vide ſupra n. 1.

XI.

Quod autem hæc ſit ſententia Fratris Bellelli patet, tum ex locis jam allatis, tum ex variis ſolutionibus quibus adverſariorum objecta diluere tentat.

Ad. 1. reſpondet quod *non quælibet determinatio antecedens libertatis indifferentiæ in myſterio prædeſtinationis everſiva eſt, ſi dicatur quod determinatio eſt accidentalis in adjutorio, & indifferentia eſſentialis in arbitrio*. Et poſtea. *Tametſi utraque pium actum antecedat, indifferentia, & efficacis per ſe gratiæ determinatio, componi optime poterunt, quia una eſt eſſentialis arbitrio ſecundum ſe ſpectato, ſeu, ut dici ſolet, in ſenſu diviſo: alia vero accidentalis eſt, utque dici ſolet, pertinet ad ſenſum compoſitum.*

Bellel. ibid. lib. 4. cap. 39.

Itaque juxta Fratrem Bellelli, gratia per ſe efficax non eſt libertatis indifferentiæ everſiva, quia neceſsitas quam imponit voluntati non deſtruit eſſentiam liberi arbitrii ſecundum ſe ſpectati. Sed neceſsitas illa obſequendi delectationi gradibus ſuperiori, etſi ſit ſolum accidentalis, eſt tamen, ut jam diximus, vera & proprie dicta neceſsitas, ideoque, quidquid in contrarium garriat F. Bellelli, libertatis indifferentiæ everſiva.

Notandum hic obiter quam longe diverſa ſit Fratris Bellelli expoſitio ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi, ab ea quam communiter tradunt Thomiſtæ; ac proinde quam falſo hanc Thomiſticam diſtinctionem in ſui patrocinium advocare tentaverit.

Vide ſupra art. 2. §. 2. n. 2. & art. 3. §. 1. n. 5.

Ad 2. ait quod ſicut *in eundem conſenſum* (ad gratiam per ſe efficacem) *antecedentia principia duo concurrunt, quorum alterum indifferens eſt, alterum neceſſarium, ita ex iis ſequens conſenſus relate ad eſſentialem arbitrii indifferentiam, appellatur eſſentialiter liber: relate vere ad accidentalem determinationem gratiæ, accidentaliter neceſſarius dicitur.*

Hic F. Bellelli conceptis verbis fatetur conſenſum voluntatis relate ad gratiam per ſe efficacem eſſe neceſſarium, & dumtaxat liberum appellari, quia liberum arbitrium, quamvis actu neceſsitetur ad agendum, eſt tamen ex natura ſua indifferens ad actum & ad oppoſitum ejus.

Et infra. *Quia accidentalis neceſsitas*, inquit, *ab eſſentiali pertinente ad voluntatis naturam, quæ oritur ex objecto, contradiſtinguitur, vocaturque a nobis neceſſitas conſequens, ideo optimo jure conſenſum ex libertate & gratia ortum neceſsitate conſequenti, non antecedenti neceſſarium aſſerimus.*

Theologus noſter in prima ſua reſponſione ut errorem ſuum contegeret, diſtinctionem ſenſus compoſiti ac diviſi ſuperius expoſuerat aliter quam exponunt communiter Thomiſtæ. Similiter diſtinctionis neceſſitatis in conſequentem & antecedentem ſenſum tradit hic ab expoſitione communi Thomiſtarum omnino diverſum.

Ad 3. reſpondet ſicut ad primum, diſtinguendo impedimentum accidentale ab eſſentiali. Sed ſicut neceſſitas accidentalis non minus officit libertati, ut jam diximus, quam neceſſitas quæ ſupponitur eſſentialis, ita & impedimentum accidentale tam libertatis eſt everſivum, quam impedimentum eſſentiale. *Reſpondemus*, inquit, *gratiam per ſe efficacem impedimentum eſſe dumtaxat accidentale diſſenſus: illum enim non omnino impoſſibilem, ſed tantum accidentaliter reddit.*

Ut quartam objectionem ſolvat, ad diſtinctionem confugit actus primi & actus ſecundi: & ſimiliter ut quintam diluat, ad diſtinctionem ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi. Verum jam annotavimus has diſtinctiones a Fratre Bellelli uſurpari in ſenſu qui cum erroribus Janſenii facile ſociari poteſt, eſtque longe diverſus ab eo quem illi tribuunt communiter Orthodoxi Theologi.

In reſponſione ad 6. contendit gratiam per ſe efficacem non adimere actus primi indifferentiam, quia facultas libertatis indifferentiæ ſubſtantialiter non immutatur, id eſt, gratiam per ſe efficacem, quamvis voluntatem neceſſitet ad agendum, non tamen illi auferre illam facultatem, quæ liberum arbitrium dicitur, ſed ejus exercitium dumtaxat impedire. Idem redit ſemper effugium, quamvis terminis paulo diverſis enuntiatum. *Ad 6.* inquit, *dicimus libertatem indifferentiæ ſe ſe quidem determinandi habere aut eſſe poteſtatem. Sed ob infirmitatem ſibi a peccato relictam in præſenti rerum ſtatu indigere ut gratia ſanante determinetur non eo tamen ſenſu quod ſubſtantialiter ejuſmet immutetur facultas; ſed quod indifferens de ſe virtus bonæ piæque actioni, vigore ſupradictæ gratiæ conjungatur. Quæ quidem applicatio actus primi indifferentiam non adimit.*

Ad 7. reſpondet neceſſitatem quam imponit gratia per ſe efficax non eſſe antecedentem, quia in eſſentia ipſa humanæ voluntatis non collocatur, ſed eſſe conſequentem, ſeu accidentalem, quia inducta eſt conſequener per peccatum & per victricis gratiæ adjutorium. Verum neceſſitas obſequendi delectationi gradibus ſuperiori, ut jam ſæpius dictum eſt, non eſt minus vere & proprie dicta neceſſitas, eo quod inducta ſit per peccatum & per victricis gratiæ adjutorium, quam illa quæ competeret voluntati ratione eſſentiæ ſuæ, ac proinde manifeſtum eſt quod, juxta Fratrem Bellelli, voluntas vere & proprie neceſſitetur ad aſſentiendum gratiæ per ſe efficaci: conceptis enim verbis aſſerit quod *neceſſitas antecedens ea ſit quæ in eſſentia ipſa humanæ voluntatis collocatur: conſequens vero quæ poſt inflicta per peccatum vulnera in accidentali forma eidem accedente ſtatuitur. Quo quidem ſenſu*, pergit idem Theologus, *bene ſibi invicem congruunt, ut gratiæ per ſe efficacis accidentalis neceſſitas conſenſum quem efficit antecedat; ſimulque conſequens neceſsitas dicatur, hoc eſt, conſequenter per peccatum & per victricis gratiæ adjutorium inducta.*

In reſponſione ad 8. hoc ſolum diſcrimen adducit inter hominem vinculis, compedibus, catena ligatum, aut in carcere incluſum, & hominem gratia per ſe efficaci inſtructum, quod in primo caſu homo ſit coactus, non vero in altero; ſicque innuit ſufficere libertatem a coactione ad merendum & demerendum. *Diſpar ratio eſt*, inquit, *de vinculis & gratia per ſe efficaci: vincula enim, compedes, catenæ, carceres, idque genus multa nolentes etiam immobiles eſſe cogunt, qui tametſi velint ambulare, non poſſunt. Coactionem ergo invitis inferunt quæ prorſus liberam poteſtatem evertit..... Contra vero gratia victrix volentem adjuvat, non trahit nolentem, quinimo ex nolente volentem facit.*

In reſponſione ad 9. libertatem indifferentiæ redigere videtur ad immunitatem ab illa neceſſitate quæ oritur ex objecto, de qua alibi diximus. Ad decimum autem reſpondendo innuit Concilium Tridentinum definiendo liberum arbitrium poſſe diſſentire, ſi velit, illud definiiſſe de gratia ſufficienti, non autem de gratia per ſe efficaci; ſed de hoc etiam alibi diximus.

Vide ſupra art. 2. §. 2. n. 1.

Ex his patet Fratrem Bellelli ſemper & ubique ſibi conſtare in aſſerenda vera & proprie dicta neceſſitate quam tribuit voluntati obſequendi gratiæ gradibus ſuperiori, cujus efficaciam conſiſtere ait in graduum ſuperioritate. Ut autem clarius innoteſcat quam addictus ſit iſte Theologus toti ſyſtemati Janſenjano, paucis reſumenda ſunt ea quæ jam ex ejus ſcriptis retulimus, adjiciendaque nova quædam ejuſdem Theologi teſtimonia.

AR-

ARTICULUS V.

Ubi demonſtratur quam perfecta ſit Bellellinæ doctrinæ cum Janſeniana conſenſio.

SI conferantur ea quæ diximus de ſyſtemate Janſeniano, tam de duabus delectationibus indeliberatis & pro ſuperioritate graduum invincibilibus, quam de quinque propoſitionibus ab Innocentio X. damnatis, ſi ea, inquam, conferantur cum doctrina Fratris Bellelli, quam modo expoſuimus, perſpicere facile quis poterit, quam ſtudioſe Janſenianam ſectetur doctrinam, & quam plane Janſenio conſentiat.

Verum hunc Theologum Janſenio in omnibus ſuffragantem enucleatius demonſtrabunt ea quæ mox de utriuſque doctrina adhuc dicturi ſumus.

I.

Docuerat Janſenius omnes homines, quamdiu carent gratia gradibus ſuperiori, (quæ ſola, juxta illum, vincere poteſt concupiſcentiam, & eſt ipſa invincibilis) ſub dominatu concupiſcentiæ verſari, & ad peccatum neceſſitari. *Periit*, inquit, *non ſolum libertas ad agendum bonum, ſed etiam abſtinendi a peccato*. Titulus eſt capitis 9. lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ. *Loco libertatis abſtinendi a peccato, inducta eſt peccandi neceſſitas*. Titulus eſt capitis 11. ejuſdem libri. Ut autem ſignificet ab hac neceſſitate non liberari voluntatem niſi per gratiam cupiditate ſuperiorem. *Iſta liberatio voluntatis*, ait, *tunc fit quando infuſa per Spiritum Sanctum cœleſtium rerum ipſiuſque juſtitiæ delectatione, voluntas quæ dominanti rerum creatarum cupiditati ſubjacebat, ab illo peſtifero & ſuavi vinculo eruitur, & per alterius generis amorem concupiſcentia ſuperior conſtituitur*. Eandem doctrinam in pluribus ſupra relatis, & in aliis quoque prope innumeris locis tradit idem Novator.

Janſen. lib. 3. de ſtat. nat. lapſæ cap. 7.

Hæc docuit quoque F. Bellelli in Opere, cui titulus eſt, *de ſtatu Creaturæ rationalis ante peccatum*, quod typis mandatum eſt Lucernæ anno 1711. *Gratia efficax Salvatoris*, inquit, *a nobis ſtatuitur dumtaxat ut infirmitati per peccatum relictæ ſuccurrat, ſcilicet ex Adæ peccato concupiſcentia nata eſt, quæ nos miſeros ad peccatum inclinat, ad illecebras trahit, ad malum compellit, urgetque, & ineluctabili pondere voluntates noſtras ſibi ipſis relictas ſub Dæmonis poteſtate devincit*. Profecto Janſenius ipſe nihil unquam expreſſius atque durius dixit de neceſſitate, qua obſtringuntur, juxta illum, omnes homines, quamdiu deſtituti ſunt auxilio gratiæ gradibus prædominantis. *Hujuſmodi malo*, pergit idem F. Bellelli, *in animarum perniciem graſſanti, ut occurreret ac mederetur Clementiſſimus Deus per merita Unigeniti Filii ſui talem gratiam nobis conceſſit, quæ efficaciſſima nos virtute contra rebellem concupiſcentiam armaret, ut iſta trahente voluntates noſtras de bono ad malum, illa fortius eaſdem indeclinabiliter & inſuperabiliter de malo ad bonum duceret*.

Bellelli de ſtatu Creat. ration. lib. 2. cap. 33.

Hic aperte ſignificat Theologus noſter, non ſolum luctam cupiditatis & gratiæ, quam in nobis ipſis experimur, ſed etiam exitum illius luctæ, in qua neceſſe eſt ut vincat illa quæ gradibus ſuperat alteram, ait enim concupiſcentiam ineluctabili pondere ſub Dæmonis poteſtate devincire voluntates noſtras, gratiam vero, quando eſt per ſe efficax, quando gradibus eſt ſuperior cupiditate, fortius eaſdem de malo ad bonum indeclinabiliter & inſuperabiliter ducere.

In hac autem lucta, concupiſcentiæ ſcilicet & gratiæ, illam quæ gradibus ſuperat alteram, ſemper eſſe victricem, imo vinci non poſſe ab ea quæ non præponderat, expreſſe quoque alio in loco docet, dum ait, *dilectionem inchoatam . . . . . non eſſe remiſſivam peccati, quia cum adhuc imperfecta ſit, affectui cupiditatis non adhuc præponderat, & ſi non præponderat*, pergit idem Theologus, *quomodo illam vincere poteſt, atque e corde diſpellere? Amores ſi quidem ponderibus comparantur . . . . Porro nullum pondus oppoſitum pondus elevat & in contrariam partem retorquet, niſi eidem gravitate & majoritate antecellat. Igitur nec dilectio ſuperat cupiditatem, niſi eidem perfectione præſtet*. Ne autem quis ſuſpicari poſſit Theologum iſtum in hac duorum ponderum pugna loqui de dilectione deliberata, ac proinde argui non poſſe de Janſeniſmo, ipſe eſt ſuimet interpres, dum per eam dilectionem ſeu charitatem, quam contendit luctari cum concupiſcentia, ipſam intelligit gratiam: antea enim ex profeſſo docuerat, *gratiam prævenientem omnia bona opera noſtra non eſſe niſi charitatem actualem*.

Bellel. ibid. lib. 1. cap. 19.

Bellel. ibid. in titulo cap. 14.

II.

In hoc eodem opere de ſtatu Creat. ration. ante peccat. nullam aliam admittit gratiam præter efficacem. Poſtquam enim duplex diſtinxit adjutorium, ſcilicet adjutorium *ſine quo non*, quod dat tantum poſſe, non autem agere, vel velle, quodque aſſerit Adamo innocenti fuiſſe conceſſum, & adjutorium *quo*, quod non ſolum dat poſſe, ſed etiam velle & agere, quodque docet conferri nunc hominibus lapſis, ideoque adjutorium *ſine quo non* vocat adjutorium Conditoris, & adjutorium *quo* nuncupat adjutorium Redemptoris; poſtquam, inquam, hanc præmiſit diſtinctionem adjutorii, *ſine quo non*, & adjutorii *quo*, contendit adjutorium *ſine quo non*, quod dat tantum poſſe, non magis prodeſſe homini in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto ad bene agendum, quam prodeſt ſcipio ad ambulandum homini fractis cruribus vel compeditis. Alias quoque in eundem ſcopum affert comparationes cibi neceſſarii ad vivendum, navis ad transfretandum, lucis ad videndum. *Adjutorium illud*, inquit, *ſimile eſt omnino quantum rei præſentis intereſt vel cibo ad vivendum, vel navi ad tranandum, vel ſcipioni ad ambulandum, aut luci ad videndum. At vero prorſus inepte infirmo homini, languenti & prope jam moribundo idem cibus apponeretur qui ſano conceditur. Quid enim utilitatis atque levaminis ab eodem pœne percipere poſſet infirmus, ſi palato non ſano, non levamen, ſed pœna eſt, qui ſano eſt ſuavis? & quo adjutorio lux erit oculis ægris, quibus odioſa eſt, quæ ſanis eſt amabilis? Ita nec ſimiliter proderit ſcipio fractis cruribus vel compeditis, niſi vel tibiæ potentiori medicina conſolidentur, aut vincula diſſolvantur. Nec proderit navis infirmo nautæ quem languor aſſiduus peregrinum alienigeno compellit in littore, ut patrios, quos exoptat, ſinus appellere nequeat*.

Bellelli de ſtat. Creat. ration. lib. 2. cap. 20.

Manifeſtum eſt eo tendere omnes has comparationes, ut ſuadeat F. Bellelli adjutorium quod dat tantum poſſe, non autem velle & agere, nihil prodeſſe homini in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto, ac proinde in eo ſtatu admitti debere ſolum auxilium *quo*, quod non tantum tribuit poſſe, ſed etiam velle & agere.

III.

Verum quoniam ei objici poſſet, quod ſi hæc ita eſſent, præcepta forent impoſſibilia omnibus qui carent gratia efficaci, omnibus illis qui ea tranſgrediuntur, huic objectioni occurrere conatur, aſſerendo quod homo in ſtatu innocentiæ ante peccatum poſſet quidem de peccato proferre excuſationem, ſi deeſſent illi ſufficientia adjutoria, quibus poſſet præcepta ſervare, non autem poſſit eandem excuſationem cauſari homo in ſtatu naturæ lapſæ. *Gratia Conditoris*, inquit, *datur ex lege providentiæ, qua tenetur ſufficientia adjutoria Creaturæ ſuæ tribuere ut poſſit, quæ debet, divina præcepta ſervare, alioquin juſtam poſſet de peccato proferre excuſationem, & dicere, per Deum abeſt*. Deinde de gratia Redemptoris addit. *Tertium hinc etiam diſcrimen exoritur, quod ſcilicet poſſit gratia Redemptoris juſte denegari, nec poſſint homines juſtam ullam excuſationem proferre*. Quod gratia Redemptoris potuiſſet hominibus denegari, quodque illa deficiente nullatenus potuiſſent de illius recuſatione conqueri, fide certiſſimum eſt; ſed non minus certum eſt quod impotentia ſervandi mandata divina, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, excuſat a peccato tranſgreſſores; quod tamen hic negat F. Bellelli.

Bellelli de ſtatu Creat. ration. lib. 3. cap. 19.

IV.

Ex his patet hunc Theologum adoptaſſe in priori illo Opere, quod eſt de ſtatu Creaturæ rationalis ante peccatum, Famoſum Janſenii principium de duabus delectationibus indeliberatis, pro graduum ſuperioritate invincibilibus, & ex hoc principio conſequenter velle quod omnia Dei mandata iis qui ea tranſgrediuntur, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, iis etiam qui imperfecte volunt & conantur ea adimplere: quod deſit quoque illis gratia qua poſſibilia fiant, gratia ſcilicet gradibus ſuperior cupiditate. Hæc autem eſt prima propoſitio Janſenii, quæ ex principio duarum delectationum indeliberatarum & pro graduum ſuperioritate invincibilium evidenter deducitur.

V.

Videtur tamen quod F. Bellelli in poſteriori Opere ſuo Typis mandato anno 1737. *de modo reparationis humanæ naturæ poſt lapſum*, voluerit compeſcere de renovato

novato Janſeniſmo querelas, quas adverſus illum excitarat prioris operis editio, quodque, ut propoſitum uſum aſſequeretur, doctrinam ſuam nimis dure, nimiſque dilucide in priori enuntiatam, aliquatenus in poſteriori temperare atque emollire tentaverit. Verum tantum abeſt ut erroneum ſyſtema ſuum retractaverit, ut contra illud denuo confirmaverit.

Fatetur quidem Deum nemini denegare, urgente præcepto, gratias quas vocat ſufficientes; ſed cum, juxta illum, gratiæ illæ ſint gradibus inferiores cupiditate, profecto cupiditatem vincere non poſſunt; ideoque vocat illas parvas & invalidas, contenditque non magis cum eis poſſe hominem operari bonum, quam poſſit videre ille cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ. Quantum vero ad reliquos Janſenii errores, ſcilicet quantum ad principium duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum ſuperioritate invincibilium, quantum etiam ad alia illius principii conſectaria, ea renovat ac confirmat de novo F. Bellelli in opere poſteriori.

VI.

Janſenius contendit arbitrium hominis in hac vita alternatim ſubjacere dominatui, tum cupiditatis, tum gratiæ, ſecundum quod una alteram ſuperat. Hanc cupiditatis & gratiæ luctam agnoſcit F. Bellelli, dum ait in loco jam alibi laudato, quod *inſtillat carnalis cupiditas in cor hominis ſuas delectationes illicientes trahenteſque ad malum, ſicuti ſuas quoque gratia ſanctas delectationes inſpirat retrahentes a malo*. Et in hac pugna debiliorem vult ſemper vinci a fortiore, *ne arbitrium primo pulſu*, ait, *per concupiſcentiam agitatum ad pravas flectatur illecebras, gratia pugnat; & ſi fortior eſt, vincit*. Deinde. *Sed parva interdum gratia & invalida, quamvis ad bonum excitet ſtimuletque, a fortiori cupiditatis delectatione ſuperatur*. Imo aſſerit fortiorem non poſſe ſuperari a debiliori; ait enim eodem in loco de gratia, quod ſi fortior ſit cupiditate, non ſolum vincit, ſed etiam facit invincibiliter ut reſiſtat libera facultas. Denique applicando utrique illi delectationi S. Auguſtini effatum, *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, docet voluntatem neceſſario ſequi e duabus illis delectationibus eam quæ gradibus ſuperat alteram, nec ei poſſe reſiſtere.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 37. pag. 243.

Cum autem has duas delectationes pro graduum ſuperioritate invincibiles affirmet quoque pluribus in locis ſuperius jam citatis eſſe indeliberatas, ſequitur evidenter Fratrem Bellelli docuiſſe voluntatem obſequi ſemper, nec reſiſtere poſſe delectationi illi, ſive cupiditatis, ſive gratiæ, quæ actu gradibus ſuperat alteram. Et hoc eſt ipſummet Janſenianum principium ex quo fluunt, ut jam pluries diximus, quinque famoſæ propoſitiones ab Innocentio X. damnatæ.

Quod autem F. Bellelli harum quinque propoſitionum doctrinam adoptaverit, manifeſtius adhuc patebit, ſi quid ipſe circa ſingulas docuerit ſigillatim perpendamus.

VII.

Propoſitio prima Janſenii ſic habet. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia*, &c. nempe juxta Janſenium, impoſſibilia ſunt præcepta omnibus his qui carent gratia gradibus ſuperiori, iis etiam qui habent gratiam cupiditate inferiorem, & conſequenter omnibus illis qui præcepta tranſgrediuntur. Illud autem quoque docet F. Bellelli, non ſolum quando aſſerit neceſſe eſſe ut gratiam gradibus inferiorem vincat cupiditas, ſed etiam dum comparat hominem gratia gradibus ſuperiori deſtitutum ei cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, ſicuti & illum comparavit Janſenius homini cæco, vel ſurdo, vel tibiis fracto, aſſerendo *tam eſſe impoſſibile voluntati ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur*.

In prima Janſenii propoſitione poſt citata verba, hæc poſteriora ſequuntur. *Deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant:* Nonne idem docet F. Bellelli, dum gratias gradibus inferiores vocat parvas & invalidas? Si gratia gradibus inferior eſt parva & invalida, ergo cupiditatem ſuperare non valet: ergo omnibus illis, qui deſtituti ſunt gratia gradibus ſuperiore, & gratiam habent dumtaxat gradibus inferiorem, deeſt gratia qua poſſibilia fiant præcepta.

VIII.

Secunda propoſitio. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Quamvis F. Bellelli pluribus in locis expreſſe aſſerat ſæpe reſiſti gratiæ interiori, hoc ſolum vult intelligi, quod gratia ſæpe privatur illo effectu ad quem excitat voluntatem, & hoc libenter admittit Janſenius: non autem intelligit, nec intelligere poteſt in ſuo ſyſtemate Theologus noſter, reſiſtentiam proprie dictam, ſcilicet quod gratia ſæpe privetur a voluntate illo effectu, cujus producendi potentiam confert. Etenim vel gratia gradibus ſuperior eſt cupiditate, vel non. Si gradibus ſuperior eſt, non ſolum dat potentiam producendi effectum, ſed eum ſemper & neceſſario producit; ac proinde nunquam illi reſiſtitur. Quod ſi gratia non ſit gradibus ſuperior, non quidem producit effectum ad quem voluntatem excitat, ſed cum non conferat potentiam illum operandi, (eſt enim in ſyſtemate Fratris Bellelli invalida, nec aliter homo cum ea poteſt operari, quam poſſit videre ille, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ) dici non poteſt quod voluntas illi gratiæ reſiſtat. Ergo juxta Theologum noſtrum, in ſtatu naturæ lapſæ nunquam interiori gratiæ reſiſtitur, ſive illa ſit gradibus ſuperior cupiditate, ſive non.

Præterea ſenſus damnatus in ſecunda iſta propoſitione eſt ſenſus Janſenii. Porro Janſenius confitetur interiorem gratiam ſæpe privari illo effectu ad quem excitat voluntatem. *Nec vero moveat quemquam*, ait, *quod conſtet multos divinitus mente colluſtrari, imo vero & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*. Non ergo ſufficit ad evadendam ſecundæ propoſitionis cenſuram, confiteri cum Janſenio gratiam ſæpe privari illo effectu ad quem excitat voluntatem. Senſus autem Janſenii, ac conſequenter ſenſus damnatus, eſt quod voluntas ſemper operetur illum effectum, cujus operandi poteſtatem illi confert gratia interior. Atqui F. Bellelli docet in eo ſenſu ſecundam propoſitionem Janſenii. Contendit enim gratias cupiditate inferiores, utpote invalidas, non conferre potentiam operandi, ac proinde illis proprie non reſiſti; nec etiam reſiſti, imo nec reſiſti poſſe gratiis cupiditate ſuperioribus. Ergo amplectitur doctrinam in ſecunda propoſitione Janſenii damnatam, nempe quod interior gratia nunquam privetur illo effectu, ad quem operandum potentiam confert, ac proinde quod illi nunquam reſiſtitur.

Janſen. lib. 2. de grat. Chr. Sal. cap. 27.

IX.

Tertia propoſitio. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*. Cum F. Bellelli, & ipſe etiam Janſenius, confiteantur ex una parte hominem in hac vita mereri piis operibus, atque demereri præcepta tranſgrediendo, & ex altera neceſſitari ad obſequendum in omnibus operibus ſuis delectationi gradibus ſuperiori, fateri quoque coguntur neceſſitatem illam, in qua verſatur, conſentiendi præponderanti, ſive gratiæ, ſive cupiditati, poſſe conſiſtere cum libertate ad merendum & demerendum requiſita; ac proinde ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere libertatem a coactione. Reſpondet F. Bellelli, non requiri libertatem a neceſſitate accidentali & adventitia, quam vocat neceſſitatem conſequentem, neceſſitatem illationis, ſuppoſitionis, applicationis, infallibilitatis, actus ſecundi, ſenſus compoſiti &c. ſed requiri libertatem a neceſſitate eſſentiali & antecedenti, a neceſſitate quæ oritur ex objecto &c. Verum quocumque vocabulo inſigniatur hæc neceſſitas obtemperandi delectationi gradibus ſuperiori, non minus certum eſt illam eſſe, ut jam ſuperius adnotavimus, veram & proprie dictam neceſſitatem. Et quia Summus Pontifex definiit ad merendum requiri libertatem a quacumque vera & proprie dicta neceſſitate, evidenter colligitur Fratrem Bellelli, dum aſſerit ad merendum & demerendum non requiri libertatem ab illa neceſſitate, quam vocat accidentalem, renovare hæreſim in tertia Janſenii propoſitione damnatam.

Deinde illam neceſſitatem vocat accidentalem, quia *poſt inflicta per peccatum vulnera in accidentali forma eidem* (voluntati) *accedente ſtatuitur*. Porro Janſenius ipſe non aliam agnoſcit neceſſitatem obſequendi delectationi gradibus ſuperiori, quam quæ inducta eſt per peccatum: aberat enim talis neceſſitas juxta Janſenium, a ſtatu Adami innocentis; non ergo per aliam quam per peccati viam induci potuit: Sed quia aſſeruit Janſenius immunitatem ab hac neceſſitate non requiri ad merendum & demerendum, damnatus eſt ab Innocentio

tio X. Ergo non minus dignus est censura F. Bellelli, qui eandem cum Jansenio doctrinam in tertia propositione damnatam non veritus est amplecti atque pertinaciter tueri.

X.

Quarta propositio. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

In prima hujus Operis parte adnotavimus hanc quartam Jansenii propositionem duas continere partes, unam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei*; quam Innocentius X. falsam declarat: falsam autem esse non ausus est diffiteri F. Bellelli: *Falsa est*, inquit, *prima pars, quoniam Semipelagiani ad salutis initium omnis gratiæ prævenientis per Christum Redemptorem, tam sufficientis, quam efficacis necessitatem negaverunt.* Verum quod confitetur de gratia Redemptoris, hoc negat de gratia Conditoris. Docet enim Semipelagianos admisisse, etiam ad initium fidei, necessitatem gratiæ Conditoris, quamvis non admiserint necessitatem gratiæ Redemptoris. *An autem prævenientis*, ait, *supernique adjutorii necessitatem ad salutis fideique initium exegerint, affirmandum duximus de adjutorio sine quo Conditoris: negandum vero contra Jansenium de adjutorio, sive sufficienti, sive efficaci Redemptoris, lib. 2. de Creat. ration. ante peccat. cap. 20.*

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 2. cap. 4.

Bellelli ibid.

Hujus tamen effugii Bellellini ineptia patet ex eo quod quarta Jansenii propositio gratiam, de qua agitur, non restringit ad gratiam Redemptoris: asserit enim, etiam ad initium fidei necessitatem prævenientis gratiæ interioris, (sive illa dicatur Redemptoris gratia, sive Conditoris) admisisse Semipelagianos. Contradicit ergo F. Bellelli definitioni Summi Pontificis, dum ait, Semipelagianos admisisse necessitatem gratiæ Conditoris, quamvis velit non admisisse necessitatem gratiæ Redemptoris.

Altera pars quartæ propositionis hæc est. *Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Innocentius X. damnando hanc propositionem definiit voluntatem posse gratiæ resistere: F. autem Bellelli contendit, ut jam vidimus, posse quidem resisti gratiæ sufficienti, non autem gratiæ efficaci. Sed cum propositio Jansenii loquatur de gratia interiori præveniente in genere, sive illa sit efficax, sive solummodo sufficiens, manifestum est quod hanc definitionem impugnat Theologus iste dum asserit gratiæ efficaci non posse resisti; & non solum hanc hæresim docet, verum etiam illius reum asserere Augustinum non est veritus: *Augustinus*, inquit, *non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, atque insuperabili, quæ dat velle & perficere, arbitrium minime posse resistere scripsit.*

Vide supra art. 2. §. 2.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 2. cap. 16.

Verum quidem est quod ad eludendam censuram Pontificiam F. Bellelli adhibeat Thomisticam sensus compositi & sensus divisi distinctionem; sed eam aliter exponit atque veri Thomistæ, modo scilicet, sicuti supra jam diximus, perfecte cohærente cum systemate Janseniano.

Vide supra art. 2. §. 2. n. 2. 3. & 4.

Præterea gratia efficax, juxta Fratrem Bellelli, ea est quæ gradibus superat cupiditatem; atqui juxta eundem resisti non potest gratiæ gradibus superiori, ergo nec gratiæ efficaci.

XI.

Quinta propositio. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hanc propositionem declarat Summus Pontifex falsam, temerariam & scandalosam: *& intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam.*

F. Bellelli Semipelagianismi non incusavit eos qui dixerint Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse; verum ex principiis quæ docuit ac tueri conatus est, manifeste sequitur Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse: quæ est hæresis in quinta propositione Jansenii damnata: nam Christus mortuus est pro salute illorum dumtaxat, quibus solis voluit salutem reddere possibilem; atqui in systemate Bellellino Christus solis prædestinatis voluit reddere salutem possibilem: illi enim soli qui salvantur habuerunt gratiam ad adipiscendam salutem gradibus superiorem concupiscentia, sicut & illi soli, qui justificantur, receperunt gratiam prædominantem cupiditati ad justificationem consequendam: aliis autem vel ad salutem, vel ad justificationem obtinendam non dedit nec præparavit, nisi gratias gradibus inferiores concupiscentia, ac proinde gratias, quibus bonum agere non potuerunt.

Hanc tamen quintam Jansenii propositionem conceptis verbis damnat, vel potius damnare simulat, pluribus in locis, F. Bellelli. Veruntamen revera nihil confitetur quod cum hæresi damnata conciliari non possit. Confitetur enim solummodo de reprobis, primo quod Deus voluerit eos esse in via salutis. 2. Quod voluerit illos sufficienti possibilitatis gratia, urgente lege, juvare. Porro quoniam illa possibilitatis gratia est in illius systemate gratia gradibus inferior cupiditate, cum qua homo non magis potest operari bonum, quam ille, cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ, possit videre, profecto etsi sint in via salutis, id est, etsi Deus noluerit eos statim post lapsum in æternam damnationem detrudere, sicut egit erga Dæmones, non minus illis quam Dæmonibus salus æterna est impossibilis, ac proinde revera & serio dici non potest Christum pro salute illorum esse mortuum.

Etenim, inquit F. Bellelli, *antecedenti Deum voluntate hominem, quem innocentem rectumque condidit, quantum hominem, salvum fieri velle satis diserte scripsit* (Augustinus . . . .) *At vero post culpam, tametsi cunctis hominibus, nemine prorsus excepto, per Filium suum crucifixum redemptionem præparaverit, voluitque illos esse in via salutis; consequente nihilominus voluntate quosdam misericorditer liberat, quosdam vero justo judicio plectit . . . . . antecedenti quippe Conditoris voluntate, collatis sufficientibus auxiliis, voluit prius ostendere quid posset liberum arbitrium. Antecedenti quoque Redemptoris voluntate omnes homines post lapsum, secus ac Dæmones, in via salutis voluit remanere.* Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 4.

Eadem iisdem fere verbis repetit F. Bellelli tom. 2. in prop. 30. Quesnellii. *In Christo*, inquit, *duplex voluntas salutis hominum asserenda videtur cum Patris voluntate conformis: altera scilicet inefficax & antecedens, qua voluit, sicuti Pater, lapsos homines non ad terminum usque damnationis ruere, sed in via æternæ salutis manere, legibus dirigere, atque sufficienti possibilitatis gratia, urgente lege, juvare: altera vero efficax*, &c.

Non ergo aliter, juxta Fratrem Bellelli, voluit Christus reproborum salutem, quam iis præparando & conferendo gratias gradibus inferiores cupiditate, quibus proinde salutem consequi non potuerunt; & quamvis illas vocet sufficientes, revera tamen insufficientes sunt, ac proinde dici non potest in systemate Bellellino, Christum mortuum esse pro salute illorum qui prædestinati non sunt. Renovat ergo hæresim in quinta Jansenii propositione damnatam.

XII.

Ex his quæ diximus intelligi facile potest quam parum sincera fide in Jansenium ipsiusque propositiones interdum invehatur F. Bellelli, cum ipsemet hujus Novatoris in omnibus sectetur doctrinam; quamque vafro ac tortuoso animo errores Jansenii aliquando proscribere simulet, cum ipse omnes illius errores amplectatur ac doceat. Non unam quidem aut alteram Jansenianæ doctrinæ sequitur partem, sed totum ipsius admittit systema: nec satis est nonnulla Jansenii duriora verba mutasse, si idem plane sensus aliis paulo mitioribus integer retineatur. Frustra ergo omnem Jansenismi suspicionem, aut potius legitimam incusationem amoliri vellet, dum tota Jansenii doctrina in ejus Scriptis reviviscit.

Nec minus redivivam in Scriptis Fratris Berti eam reperire est. Non sane ita facile F. Berti socium suum F. Bellelli deserit, licet eum in aliquibus emendasse pertendat. Ambo enim sacro religionis vinculo consociati, conjunctiores adhuc evasere pestifera illa quæ inter utrumque semper extitit errorum societate. Jansenistæ ambo, utroque fere modo Jansenianas agunt partes. Hoc enim dumtaxat inter utrumque assignari potest discrimen, quod F. Berti insidiosius, ac idcirco eo periculosius, suos involvat errores: non ideo tamen in Scriptis ejus minus reviviscit Jansenistana doctrina; quod nunc ea qua fieri poterit brevitate sequentibus articulis demonstrabimus: quare sit

ARTICULUS VI.

Frater Berti famosum docet Jansenii principium de duabus delectationibus indeliberatis pro graduum superioritate invincibilibus.

F. Berti novitatum studiosus defensor, non minori quam F. Bellelli studio, Jansenianum systema defendit: famosum admittit ac toties decantatum Jansenii principium de duabus delectationibus indeliberatis, ac pro graduum superioritate invincibilibus. Admisso tandem capitali totius Jansenistani systematis fundamen-

damento, neceſſe eſt ut pariter admittantur quinque propoſitiones quæ ex illo tanquam e nativo principio neceſſario fluxu dimanant. Et licet variis flexibus videatur aliquando duriorem horrendi hujus principii doctrinam aliquatenus emollire, in rei veritate ab erroneo illius ſenſu non recedit. Id ut omnibus manifeſtum fiat, audiamus eum docentem.

I.

Primo quod in conflictu duarum delectationum, quas admittit, anceps & pendula debeat eſſe voluntas, donec a robuſtiore in unam partem deprimatur. *Cum tra-*
Bert. tom. 3. lib 14. c. 11. pag. 203. *hatur*, inquit, *animus delectatione ſancta & noxia, nunquam ſe inclinabit in unam potius quam in alteram; ſed pendebit anceps, donec una ſit altera robuſtior, eamque deprimat.* Atque ita conſequenter agnoſcit delectationem, quæ fortior eſt, ſemper debiliorem oppoſitam ſuperare. *Nullus enim*, pergit ibidem, *niſi a fortiori vincitur ac ſuperatur.*

II.

Docet 2. delectationum vim ac robur ex graduum ſuperioritate oriri, ita ut una ſit altera eo fortior, quo pluribus gradibus eam ſuperat; nec ipſi placet, quod nolint Thomiſtæ in gratiis gradualitatem agnoſcere, quapropter ſe in hoc ab ipſis diſſentire aſſerit. Deinde totam gratiæ efficaciam in graduum numero repoſuit cum Janſenio, ita ut efficax aut inefficax ſit eadem gratia prout concupiſcentia, quæ adverſus eam pugnat, pluribus aut paucioribus conſtat gradibus. *Nos*, inquit,
Ibid. cap. 8. pag. 149. *eandem numero delectationem, quæ in aliquibus minus excæcatis atque obduratis, v. g. in Tyriis Sidoniiſque foret efficax, & ad pœnitentiam traberet, in aliis majori cæcitate & obduratione affectis inefficacem eſſe contendimus.* Et inferius. *Delectatio*, inquit, *non eadem eſt in*
Ibid. prop. 3. Ibid. *omnibus, ſed modo efficax, modo inefficax, & habet charitas & gratia gradus ſuos.* Item. *Conſtat*, inquit, *gratiam gradualitatem habere, nec ſemper eſſe effectricem ob reluctantem concupiſcentiam.*

In æquali tamen gratiæ & concupiſcentiæ gradu, gratiæ concupiſcentiam prævalere contendit propter eam quam ſubjungit rationem; *quia*, inquit, *homo*
Ibid. lib. 14. cap. 11. pag. 203. *etiam cum æquali virtute majorem habet ad malum quam ad bonum inclinationem.* In hoc ſane non contradicit Janſenio, nec ab illo recedit: nam licet velit Janſenius quod voluntas in æquali gratiæ & concupiſcentiæ gradu, & cum æquali virtute ſuſpenſa maneat, in caſu tamen aſſignato, cum major illa ad malum inclinatio, quam in homine lapſo ſupponit F. Berti, concupiſcentiæ pondus augeat, mirum non eſt quod tunc gratiæ prævaleat concupiſcentia, cum ſit robuſtior. Illa enim ex ejus principiis debet vincere, quæ alteram gradibus ſuperat. *In æquali gradu*, ait, *concupiſcentiæ & gratiæ, gratia concupiſcentiæ, non concupiſcentia gratiæ ſuccumbet, quia homo, etiam cum æquali virtute majorem habet ad malum quam ad bonum inclinationem.*

III.

Docet 3. cum Janſenio indeliberatas eſſe gratiæ & cupiditatis delectationes. Quoad cupiditatis motus, hos autem rationis uſum antevertere nimium gravi experientia omnibus compertum eſt. Quoad vero gratiæ delectationem docet ſpeciatim eam eſſe indeliberatam; tum quia Deus illam excitat in corde hominum, tum quia delectatio illa voluntatis humanæ prævenit motum. De gratia enim efficaci affirmat,
Bert. tom. 1. l. 4. cap. 13. reg. 3. *illam eſſe ſanctam delectationem indeliberatam a Deo excitatam in corde hominum.* Et alibi exponens quid ſit gratia efficax, *Gratia efficax*, inquit, *eſt victrix*
Berti tom. 3. l. 14. cap. 8. prop. 2. Ibid. pag. 151. *delectatio, ſive charitas quæ ſuperat contrariam cupiditatem.* Deinde. *Hæc itaque delectatio & charitas prævenit motum voluntatis, & eſt deliberata dumtaxat, cum voluntas huic præmoventi dilectioni libere obtemperat, & proſequitur opus, ad quod trahit faciendo ut delectet, quod antea non delectabat.*

Ibid. Et quia nonnulli Theologi docuerunt, *hujuſmodi delectationem eſſe actum deliberatum, affirmantes in eodem puncto, quo gratia inclinat, movetque ſuaviter voluntatem delectatam victrice gratia actum amoris elicere, ita ut ſit ipſe plenisſime in liberi arbitrii poteſtate.* Hanc ſententiam, quæ innoxia eſſe poteſt, ſi ultra præſcriptos fines non procedatur, cum ſua conciliare
Ibid. tentat, ſed irrito prorſus & inani conatu. *Poſſumus*, inquit, *hæc ad concordiam revocare. Etenim ſi gratia accipiatur ex parte Dei, quatenus eſt ipſa miſericordia movens & charitatem inſpirans, nullatenus cum noſtra deliberatione conjuncta eſt .... Si conſideretur ex parte noſtra, eſt ipſa dilectio ſimul a Dei inſpiratione & voluntate noſtra promanans; a voluntate tamen ut a Deo intime præſente præmota.*

Ea porro omnia ad fraudem & fucum faciendum a F. Berti prolata ſunt, & quo ſenſu ſint intelligenda, patet ex ejus circa naturam delectationis quam admittit principio. Plures enim cauſæ diſcriminis inter ſupradictorum Theologorum ſententiam, & ea quæ docet F. Berti aſſignari poſſunt. Hic unam dumtaxat brevitatis gratia indicabo; ſcilicet in ſyſtemate illorum Theologorum delectatio quam admittunt, & quæ alteram gradibus ſuperat, victrix quidem eſt, ſed addunt delectationem illam totam eſſe deliberatam, ita ut illius ſuperioritas, id eſt, major intenſio gradualis oriatur ab ipſa voluntate: plurimum ergo differt hæc ſententia a doctrina Fratris Berti, qui conceptis terminis delectationem illam indeliberatam eſſe docet, & qui totam ipſius efficaciam in graduum ſuperioritate a voluntate nullatenus emanante reponit. Quo igitur animi candore cum ſupradictis Theologis ſocietatem inire, & ea, quæ catholice docent, cum Janſeniano ſyſtemate ad concordiam revocare tentabit? Sed hæc ſatis perſpicua ſunt; ad alia veniamus.

IV.

Docet denique F. Berti cum Janſenio, hanc delectationem, tum gratiæ tum cupiditatis, eſſe pro graduum ſuperioritate invincibilem. Aſſerit enim ex gratia efficaci effectum ſequi infallibiliter: addit præterea nos neceſſario amplecti quod magis delectat; atque per iſtam gratiam, quæ non tantum dat poſſe, ſed etiam velle, ita ſubventum eſſe infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter operemur. *Se-*
Bert. tom. 3. lib. 14. c. 8. pag. 156. *quitur*, inquit, *ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat.* Et alibi, effatum Auguſtini applicans efficaci gratiæ; *Auguſtinus*, inquit, *docet nos neceſſario*
Bert. ibid. cap. 11. pag. 201. *ſequi quod magis delectat.* Et poſtea: *hujus gratiæ proprium eſt*, ait, *tribuere, non tantum poſſe, ſed etiam velle, atque ſubvenire infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter operetur.*

V.

Non redarguitur F. Berti ex eo quod contendat gratiam efficacem ſuum habere effectum infallibiliter; hoc quoque docent Catholici; ſed juxta Orthodoxos, neceſſitas illa effectus neceſſario futuri ſub motione gratiæ efficacis eſt tota conſequens, & non antecedens: eſt hypothetica, & non abſoluta: Cum illa gratia ita voluntas ponit effectum, ut vere poſſit illum non ponere. Talis enim eſt, juxta illos, natura illius gratiæ, ut licet obtineat ſemper ab homine conſenſum, poſſit tamen homo illum denegare: ſed neceſſitas illa, cui homo ſubjacet ſub imperio cæleſtis aut terrenæ delectationis eſt, in ſyſtemate Fratris Berti, antecedens & abſoluta; oritur enim ex graduum ſuperioritate; unde infallibilitas effectus neceſſario futuri talis eſt, ut veram diſſentiendi tollat potentiam. Veram ergo hæc infallibilitas neceſſitatis proprie dictæ rationem induit: quod antequam ulterius probetur neceſſe eſt ea quæ docent Orthodoxi circa efficaciam gratiæ in mentem revocari.

Conſentiunt omnes Deum pro omnipotentiſſima voluntate ſua quemcumque poſſe a Creatura libera obtinere effectum, juxta illud Ezechielis; *Spiritum*
Eze-chiel. 36. *meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Docent præterea effectum illum certo & infallibiliter futurum eſſe tamen a Creatura libere ponendum, ita ut poſſit diſſentire, ſi velit, juxta doctrinam Concilii Tridentini. Quod autem ſpectat modum quo gratia illa efficax infallibiliter & invincibiliter ſuum aſſequitur effectum, abſque tamen ulla prorſus liberi arbitrii læſione, in eo diſſident inter ſe Catholici.
Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4.

Reponunt Thomiſtæ efficaciam gratiæ in phyſica præmotione: docent enim Deum præmovere phyſice cauſas liberas ad omnes actiones earum, ideoque efficaciam gratiæ conſiſtere in phyſica præmotione Dei ad pios actus. Quoniam autem voluntas abſoluta Dei, quæ eſt cauſa omnipotentiſſima, attingit, non ſolum ſubſtantiam, ſed & modum actus, & effectum operatur quem vult, & eo modo quo vult, inde ſequitur quod Creaturas rationales ita præmoveat, ut tamen vere poſſint agere vel non agere, ac proinde quod illas abſque liberi arbitrii læſione præmoveat.

Itaque in illo ſyſtemate voluntas humana a Deo præmota ad actum pium, operabitur illum infallibiliter, invincibiliter & neceſſario, neceſſitate conſequentiæ; nam ex eo quod voluntas ſit præmota a Deo, infertur certiſſime quod operabitur; quia tamen præmotio illa includit futuritionem liberam actus, (dum enim ſupponitur præmotio, ſupponitur quoque futuritio libera actus) ideo neceſſitas operandi, quam importat præmotio

phyſica, eſt dumtaxat neceſſitas conſequentiæ & hypothetica, neceſſitas improprie dicta, non autem neceſſitas antecedens & abſoluta.

Modo ſane diverſo efficaciam gratiæ exponunt Moliniſtæ atque Congruiſtæ. Illi quidem efficacem agnoſcunt gratiam, quæ certo & infallibiliter operatur effectum, ſed eam infallibilitatem repetunt, non ab eventu præciſe, verum a pura & gratuita miſericordia Dei, qui, juxta Molinam, uni confert has & illas gratias, cum quibus in talibus circumſtantiis bene operaturus prævidetur; alteri vero illas, quibus prævidetur abuſurus. Volunt inſuper Congruiſtæ quod gratia ſuam hauriat efficaciam ex eo quod attenta convenientia & attemperatione gratiæ cum hominis ingenio, natura, affectibus, aliiſque locorum & temporum circumſtantiis, ea gratia homini conferatur eo in ſtatu, in quo Deus per ſcientiam conditionatorum, quam etiam ſcientiam mediam vocant, prævidet conſenſurum.

Quam perfecte in illo ſyſtemate concilietur liberum arbitrium cum gratiæ efficacia ſatis per ſe patet; & ipſi Thomiſtæ non diffitentur.

VI.

Nonnulla alia circumferuntur Theologorum ſyſtemata; ſed ad duo jam ſupra aſſignata referri poſſunt. Vel enim gratiam a ſe ipſa efficacem admittunt, & tunc ad ſyſtema Thomiſtarum revocantur: vel hanc gratiam a ſe ipſa efficacem repudiant, & hi inter Moliniſtas poſſunt annumerari. De ſyſtemate tamen Auguſtinianorum pauca ſunt delibanda.

Auguſtiniani efficaciam gratiæ repetunt, ſaltem ut plurimum, ex ſuavitate & delectatione, qua Deus certo & infallibiliter voluntatem ad bonum determinat.

Dixi, ſaltem *ut plurimum*; nam Deus habet innumera alia media, quibus voluntatem movere poteſt, ſcilicet non ſolum delectationem inſpirando, ſed etiam fidem, timorem, ſpem, odium, &c.

Hæc innoxie propugnari poſſunt, modo tamen agnoſcant Auguſtiniani certitudinem illam atque infallibilitatem effectus non oriri ex graduum ſuperioritate, quæ, ut volunt Janſeniani, a voluntate nullatenus emanat, ſed ex eo quod delectatio illa ſit in manu Omnipotentis Dei inſtrumentum efficax, quo Deus voluntates humanas inclinat ad quoſcumque actus pios certo & infallibiliter futuros, libere tamen a Creatura eliciendos; ſive certitudo illa effectus infallibiliter futuri proficiſcatur ex decreto prædeterminante juxta Thomiſtas, ſive ex ſcientia media juxta Congruiſtas. In hac opinione ab errore Janſenii procul remota verſari videntur Auguſtiniani illi quos celebrat F. Berti, qui *defendunt hujuſmodi delectationem eſſe actum deliberatum, affirmantes, in eodem puncto, quo gratia inclinat movetque ſuaviter, voluntatem delectatam victrice gratiæ actum amoris elicere, ita ut ſit iſte pleniſſime in liberi arbitrii poteſtate.*

Berti tom. 3. lib. 14. c. 8. pag. 151.

Ab his omnibus longe diſcedit F. Berti, ut ad Janſenium accedat, quocum docet indeliberatam eſſe gratiæ delectationem, totamque ipſius efficaciam ex ſola graduum ſuperioritate repetendam: neceſſitas enim, quæ oritur ex delectatione deliberata, oritur ex libera voluntatis electione, ac proinde eſt dumtaxat conſequens: neceſſitas autem quæ oritur ex indeliberata delectatione, cum illa delectatio ſupponatur ideo certo & infallibiliter victrix, quia gradibus ſuperat cupiditatem, non poteſt eſſe, niſi vera, proprie dicta & antecedens neceſſitas; non enim oritur ex libera voluntatis electione; ſed ex delectatione quæ non eſt in poteſtate voluntatis, ut eam nempe habeat vel rejiciat.

Nec minori neceſſitate, juxta F. Berti, ad malum adſtringitur voluntas impellente concupiſcentia, quam ad bonum ſub imperio gratiæ: utraque enim delectatio, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ, æqualiter vincit, prout una aut altera gradibus ſuperior eſt, ideoque aſſerit hominem, abſente gratia, deſideriis concupiſcentiæ non poſſe non obedire, ac proinde ad peccandum neceſſitari. *Homo lapſus*, inquit, *magis ſe delectat ſe ipſo, quam ſummo bono, ſi non et ſancta delectatio inſpiretur; quoniam ſine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiſcentia, cujus deſideriis non obedire . . . . . abſque gratia Salvatoris non poſſumus.*

Berti tom. 3. lib. 18. cap. 3. ſub finem.

VII.

Arguet forſan aliquis, quod F. Berti, abſente gratia, admittat dumtaxat neceſſitatem ad malum in genere, quæ vocatur a Theologis neceſſitas ſpecificationis, & repudiare neceſſitatem ad hoc vel illud peccatum, quæ neceſſitas quoad exercitium appellatur. *Liberum*, inquit, *habemus arbitrium ad malum ſine gratia, non enim ad hoc vel illud, privatum, nocivum, ac prohibitum opus voluntas eſt naturaliter determinata: ſed omne particulare bonum, ſive honeſtum ſit, ſive apparens, ſemper amandum proponitur cum indifferentia judicii.*

Bert. tom. 3. l. 18 cap. 8. prop. 3.

Verum in ſyſtemate duarum delectationum pro graduum ſuperioritate invincibilium, quod admittit F. Berti, voluntas, abſente gratia, neceſſitatur, non ſolum quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad peccatum aliquod in genere perpetrandum, ſed etiam quoad exercitium, ſcilicet ad illud in particulari peccatum, ad quod concupiſcentia, quæ actu dominatur, impellit voluntatem; nec aliter in ſuo ſyſtemate poteſt opinari, cum concupiſcentia voluntatem, non ſolum impellat ad peccandum in genere, ſed etiam ad hoc vel illud peccatum perpetrandum.

VIII.

Sed eſto, præſcindamus ab hac neceſſitate, in qua, juxta ſyſtema duarum delectationum pro graduum ſuperioritate invincibilium, verſatur homo lapſus obſequendi cupiditati illi quæ gradibus ſuperior eſt, ac proinde perpetrandi omnia in particulari peccata ad quæ cupiditas actu ſuperior illum determinat, etſi Janſenius & F. Berti veram exercitii indifferentiam admitterent, quam tamen non admittunt, numquid vel una ſpecificationis neceſſitas Chriſtianas aures non offendit? Quis enim patienter audire poteſt hominem lapſum, abſente gratia gradibus ſuperiori, non alia gaudere libertate, præter eam qua neceſſitatus ad peccandum in genere poteſt unum præ alio eligere peccatum? Quis non ingemiſcat audiendo juſtum, dum peccat mortaliter, neceſſario peccare? Quid ipſi proderit hoc vel illud malum poſſe eligere, ſi gratia gradibus ſuperiori deſtitutus damnationem æternam evadere non poſſit? Scio quidem nos omnes in Adamo peccaſſe, & Deum potuiſſe abſque ulla injuſtitia homines jam perditos in perditionis maſſa relinquere; ſed ſcio Deum infinite bonum, infinite juſtum, infinite miſericordem nolle mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, vita ſcilicet æterna. Quo autem pacto converti poſſim, vitaque vivere æterna, ſi perpetuo verſer in generali neceſſitate peccandi? Hæc doctrina ideis divinæ bonitatis, divinæ ſapientiæ, divinæ juſtitiæ, divinæ ſanctitatis, divinæ miſericordiæ penitus adverſatur; Crucis Chriſti beneficium evacuat; fidei Chriſtianæ fundamentum convellit; in ſocordiam aut in deſperationem inducit; ideoque execranda eſt ac procul rejicienda.

IX.

At reponet aliquis. Numquid F. Berti veras agnoſcit gratias ſufficientes, quæ dant poſſe, licet velle non tribuant? *Eſt ergo*, inquit, *gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico ac noſtro illa, quæ dat poſſe, non velle.*

Berti tom. 3. lib. 14. cap. 8.

Quis neſciat Fratrem Berti in verbis ludere, ut ſolent Janſeniani? Gratias quidem admittit, ſed nomine tenus ſufficientes. Quis enim non videat ex ipſius ſyſtemate ſequi illas nullam veram potentiam, nullum verum *poſſe* tribuere? Quod demonſtrari poteſt hoc ſimplici, ſed invicto ſyllogiſmo.

In ſyſtemate Bertiniano gratia ſufficiens dicitur illa, quæ gradibus eſt inferior cupiditate: atqui in ſyſtemate Bertiniano gratia, quæ gradibus eſt inferior cupiditate, non poteſt vincere cupiditatem ſuperiorem oppoſitam: ergo in eodem ſyſtemate, cum gratia ſufficiens non poſſit vincere cupiditatem, evidenter veram potentiam, ſeu verum *poſſe* non tribuit.

Major illius ſyllogiſmi propoſitio indubitata eſt; docet enim in infinitis propemodum locis F. Berti, gratiam efficacem ſeu victricem illam eſſe quæ gradibus ſuperat cupiditatem: gratiam vero inefficacem ſeu ſufficientem illam eſſe quæ gradibus minor eſt cupiditate. *Gratia efficax*, inquit in loco jam citato, *eſt victrix delectatio, ſive charitas quæ ſuperat contrariam cupiditatem.* Tunc autem ſuperat quando gradibus eſt ſuperior. *Delectatio*, inquit, *non eadem eſt in omnibus, ſed modo efficax, modo inefficax, & habet charitas & gratia gradus ſuos.* Et poſtea: *Conſtat gratiam gradualitatem habere, nec ſemper eſſe efficacem ob reluctantem concupiſcentiam.* Illam autem ſemper eſſe victricem docet, quæ fortior eſt & robuſtior altera. *Cum trahatur*, ait in loco etiam jam citato, *animus delectatione ſancta & noxia, ſi ea æque afficiatur delectatione ſancta & noxia numquam ſe inclinabit in unam potius quam in alteram, ſed pendebit anceps, donec una ſit altera robuſtior, eamque deprimat; nullus enim niſi a fortiori vincitur ac ſuperatur.* Unde ſequitur evidenter quod gratia inefficax ſit illa quæ gradibus minor eſt cupiditate. Gratiam autem illam, quæ eſt inefficax, vocat F. Berti ſufficientem: *Itaque pro libito*, ait, *gratiam quæ opponitur efficaci dicito aut inefficientem, aut ſufficientem, mea enim non refert,*

Berti tom. 3. lib. 14. cap. 8. prop. 3.

Berti ibid. pag. 155.

Berti ibid. cap. 11. pag. 203.

Berti tom. 3. lib. 17. cap. 3. pag. 343.

refert, utrum horum dixeris. Constat itaque quod in systemate Bertiniano gratia sufficiens illa dicatur, quæ gradibus inferior est cupiditate.

Superest ergo nobis probandum, quod in systemate Bertiniano gratia quæ gradibus est inferior cupiditate non possit eam vincere. Asserit autem pluribus in locis, quod gratia, quæ gradibus est inferior cupiditate, illius nunquam sit victrix, & quod cupiditas major semper inefficaces reddat gratiæ debilioris conatus. *Nunquam inclinabit se* (animus) inquit in loco modo citato, *in unam potius quam in alteram, donec una sit altera robustior, eamque deprimat; nullus enim nisi a fortiori vincitur ac superatur.* Quamvis autem conceptis verbis non asserat gratias inefficaces non posse superare cupiditatem, illud tamen evidenter colligitur ex ejus principiis; contendit enim ideo ex victrici delectatione sequi infallibiliter effectum, quia animus amplectitur bonum quod magis delectat. Berti ibid. lib. 14 cap. 8. pag. 156. *Sequitur*, inquit, *ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat:* atqui juxta Fratrem Berti, animus æque amplectitur malum, si illud magis delectet, ac amplectitur bonum, quando delectatio sancta gradibus superior est: ergo ex delectatione noxia, si sit victrix, sequitur quoque infallibiliter malum. Quod si ex victrice delectatione noxia infallibiliter sequatur malum, illa delectatio noxia, seu cupiditas suo effectu frustrari nequit: ergo est invincibilis in malo, sicut gratia gradibus superior invincibilis est in bono, ergo gratia gradibus minor cupiditate illam vincere non potest: ergo gratia illa verum *posse* non tribuit: ergo F. Berti abusive prorsus & illusorie gratiam illam appellat sufficientem

X.

Objiciet F. Berti gratiam pure sufficientem Thomisticam etiam infallibiliter frustrari effectu, ad quem excitat voluntatem, ac proinde cupiditatem non posse ab ea vinci.

Respondetur magnum interesse discrimen inter gratiam pure sufficientem Thomisticam, & gratiam parvam Jansenii atque Jansenistarum. Ista defectu virium caret effectu ad quem excitat voluntatem, videlicet quia parva est & invalida, atque gradibus inferior cupiditate; unde manifeste sequitur quod in systemate Janseniano cupiditatem vincere non possit. Gratia vero pure sufficiens Thomistica veram tribuit potentiam operandi bonum, ideoque privatur effectu, non eo quod ipsi desint vires, sed quia voluntas ipsi consentire renuit. Uno verbo resistentia quæ fit gratiæ Thomisticæ sufficienti oritur ex libera voluntate: resistentia autem quæ fit gratiæ Bertinianæ oritur ex cupiditate prædominante. Unde quando dicitur quod gratia pure sufficiens infallibiliter privatur suo effectu, hæc infallibilitas respectu gratiæ sufficientis Thomisticæ est dumtaxat consequens & hypothetica: respectu autem gratiæ Bertinianæ est antecedens & absoluta, ac proinde vera & proprie dicta necessitas. Verum discrimen illud quod in sufficientia utriusque gratiæ occurrit, Thomisticæ scilicet & Bertinianæ, magis adhuc patebit dum perpendentur ea quæ F. Berti profert, ut se alienum fingat ab erronea doctrina, quæ in quinque Jansenii propositionibus continetur.

ARTICULUS VII.

F. Berti ab errore primæ propositionis Janseniane non recedit.

CUm Jansenistæ omnes (ipsomet Quesnellio nequidem excepto) profiteantur, ut jam dictum est in hujus Operis initio, se damnare quinque propositiones ab Innocentio X. damnatas, fateantur necesse est Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, esse possibilia, nec deesse illis gratiam qua possibilia fiant. Mirum ergo non est Fratrem Berti damnare cum omnibus Jansenistis primam Jansenii propositionem, & consequenter admittere, saltem ore tenus, gratias quasdam, quæ etsi victrices non sint eo quod concupiscentia sint debiliores, conferant tamen potentiam operandi bonum, reddantque Dei mandata hominibus possibilia.

I.

Ejusmodi gratias admisit quidem F. Berti, imo eas non recusat vocare sufficientes. Verum his vocibus, specie quidem Catholicis, sed in rei veritate fallacibus, nullam agnoscit veram agendi potentiam in homine iis gratiis instructo; quod si fateatur, illis qui mandata Dei transgrediuntur non deesse gratiam qua possibilia fiant, illud confitetur dumtaxat in sensu Jansenii, quod evidenter patebit, præsertim si attendatur ad naturam gratiæ quam admittit, & quam ad Catholicis illudendum sufficientem appellat. Talis enim est gratia sufficiens Bertiniana, ut nullam veram conferat agendi potentiam: quod hoc Syllogismo simpliciter exposito demonstrari potest.

Gratia illa, quam F. Berti sufficientem vocat, confert solum potentiam agendi remotam: atqui potentia remota, qualis admittitur a F. Berti, non est vera potentia: ergo gratia sufficiens Fratris Berti non confert veram agendi potentiam.

Quod enim gratia illa quam F. Berti sufficientem vocat conferat solum potentiam agendi remotam, ipsemet asserit. *Potestas remota*, inquit, *est in eo qui habet voluntatem parvam: proxima in illo qui magnam habet & robustam, cum qua faciente Deo ut faciamus per inspirationem victricis delectationis habetur etiam potestas quæ conjungitur cum actu.* Berti tom. 3. lib. 17. cap. 3. pag. 332.

Hic F. Berti duplicem agnoscit potestatem proximam scilicet, & remotam: proximam autem reperiri docet in eo qui magnam habet & robustam voluntatem, cum qua facit Deus ut faciamus per inspirationem victricis delectationis. Si proxima potestas detur per victricem delectationem profecto non datur per gratiam sufficientem, quæ non est victrix delectatio: quod expressius eodem in loco declarat, dum potestatem dumtaxat remotam in eo esse contendit, qui parvam habet voluntatem, cum qua, quia deest victricis delectationis inspiratio, Deus non facit ut faciamus: illa autem gratia, cum qua Deus non facit ut faciamus, & quæ destituta est victricis delectationis inspiratione, nihil aliud est, juxta F. Berti, quam gratia illa quam ipse sufficientem vocat. Illa itaque gratia nihil aliud conferre potest, quam ad summum remotam agendi potentiam. Hoc quidem ex laudato F. Berti testimonio evidenter deducitur.

Jam vero quod potentia illa remota, in sensu Fratris Berti, non sit vera potentia, colligitur quoque ex eodem loco, ubi Theologus iste ait hanc potentiam esse remotam, quando exeri non potest actus propter aliquod impedimentum. *Est autem*, inquit, *potentia remota quotiescumque expedite & immediata exerere actum non potest aliquo remorante impedimento.* Berti ibid. Ex quo loco sic licet argumentari: illa potentia non est vera potentia quæ actum exerere non potest propter aliquod impedimentum, quod ipsa non ponit, & quod semel positum ipsa non potest tollere: atqui talis est illa potentia; nam cum concupiscentia gradibus superior sit, in systemate Fratris Berti, impedimentum illud quo efficitur ne gratia parva actum possit exerere; & cum aliunde illa concupiscentia sit in nobis etiam reluctantibus, neque eam pro libito possimus exuere, manifeste sequitur potentiam quam confert gratia sufficiens Bertiniana non posse exerere actum remorante concupiscentiali impedimento, quod removere non possumus; ac proinde potentiam remotam, quam confert gratia sufficiens, non esse veram in sensu Fratris Berti ac proprie dictam potentiam.

Nec etiam potentia illa remota potest dici vera potentia, etiamsi contenderet quod voluntas posset per illam actum mediate exerere, quotiescumque illum non potest elicere immediate; nam potentia illa remota, scilicet eo in casu orandi potentia esset semper ligata per impedimentum concupiscentiæ fortius & ardentius delectantis, & ab orando removentis, cui in illo systemate voluntas nullatenus posset resistere; ergo cum potentia illa remota nullatenus, id est nec mediate nec immediate actum exerere poterit.

Cum ergo potentia illa remota non sit vera potentia, hinc sequitur quod justis, iis etiam qui parvam dumtaxat habent voluntatem, & qui victricis delectationis inspiratione carent, præcepta Dei sint impossibilia, & quod ipsis desit gratia qua vere possibilia fiant; quæ hæresis in prima Jansenii propositione ab Innocentio X. damnata fuit, & quam F. Berti in scriptis suis renovare non erubuit.

II.

Suam sententiam alibi confirmare videtur. Postquam enim docuit gratiam esse efficacem, vel inefficacem, prout gradibus superat, vel non superat cupiditatem, adjicit gratiam inefficacem non esse idoneam ad cupiditatem superandam. Berti tom. 3. lib. 14. c. 8. pag. 149. *Dissentimur*, inquit, *ab illis*, (scilicet Thomistis) *in eo quod nolint in eadem gratia gradualitatem admittere ..... At nos eandem numero delectationem, quæ in aliquibus minus excæcatis atque obduratis, v. g. in Tyriis Sidoniisque foret efficax, & ad pœnitentiam traheret, in aliis majori cæcitate*

citate & obduratione affectis inefficacem esse contendimus ..... atque in eo quod hæc delectatio modo sit victrix & valida, modo nondum idonea ad superandam vetustate roboratam cupiditatem arbitramur magis apparere & liberalitatem beneficiorum Dei, &c.

In isto loco distinguit F. Berti gratiam efficacem, quæ est delectatio victrix & valida, ab inefficaci, quæ nondum est idonea ad superandam cupiditatem: sed per gratiam nondum idoneam ad superandam cupiditatem nihil aliud intelligit quam gratiam quæ non dat veram potentiam implendi præceptum, cum præceptum impleri nequeat nisi prius superata cupiditate ab implendo præcepto invincibiliter retrahente; & cum aliunde illa cupiditas superari non possit per gratiam ad illam superandam nondum idoneam: ergo constat gratiam sufficientem, quam admittit F. Berti, esse revera insufficientem. Præterea cum gratiam victricem, prout distinguitur ab inefficaci, validam appellat, nonne innuit F. Berti gratiam inefficacem esse invalidam, ac proinde non valere ad superandam cupiditatem, nec eam ullatenus posse superare?

Ut ut sit, gratiam illam quo libuerit nomine appellet ac insigniat, certum est, ut jam satis demonstratum puto, per eam non conferri veram potentiam; ac consequenter Dei præcepta esse impossibilia iis qui illa transgrediuntur, illisque deesse gratiam qua possibilia fiant. Nec aliter opinari potest in suo systemate, cum, ut articulo superiori dictum est, vim ac efficaciam gratiæ colligat ex delectatione relative victrici, ita ut gratia quæ gradibus cupiditatem superat, invincibiliter ad bonum voluntatis assensum obtineat; & e contra ea absente, aut ea deficiente cupiditas insuperabiliter ad malum rapiat voluntatem. Hic sane modus gratiæ Œconomiam explicandi totus Jansenianus est, & ex eo, quasi ex fonte, quinque scaturiunt Jansenii propositiones.

III.

Conqueretur fortasse F. Berti sibi calumniose imputari, quod non admittat gratiam sufficientem, quæ veram & proprie dictam tribuat potestatem divina adimplendi præcepta. *Defendimus*, inquit, *dari gratiam inefficacem, cui voluntas resistit, ac tandem per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam &c.*

Bert. tom. 3. l. 14. cap. 8. pag. 156.

Hæc quidem habet F. Berti in loco citato. Verum continuo & uno contextu addit, *sed non totaliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax.*

Quod ad ponendum actum necessaria sit gratia efficax Catholice & inculpate asserunt Thomistæ; verumtamen simul confitentur illam potentiam, quam confert gratia sufficiens, esse expeditam, hoc est, ab omni impedimento liberam, & ita validam ut possit actum exercere; & hoc tamen conceptis verbis negat F. Berti. Ludit sane in terminis, ac fallit, cum asserit per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam. Nam quomodo vera & propria dici poterit potestas illa, quæ exerere actum non potest remorante alio impedimento? Quomodo poterit homo bonum operari cum illa, si sit ad operandum invalida? Quomodo cum illa poterit implere præceptum, si non sit idonea ad frænandam cupiditatem a servando mandato retrahentem? Quomodo tandem libera & expedita appellari poterit potestas illa quæ concupiscentiæ gradibus superioris, ac consequenter invincibilis impedimento est actu ligata? Hæc tamen omnia fatetur F. Berti. Sed de hac potestate, quæ per sufficientem gratiam Bertinianam confertur, iterum agemus articulo sequenti.

IV.

Manifestius adhuc suam mentem aperit, dum exponere tentat in quo discrepat doctrina sua a doctrina primæ propositionis Jansenianæ. Hanc enim sibi proponit objectionem. *Validius*, inquit, *poterunt Jansenistæ se defendere Sententiæ nostræ præsidio. Quippe nos propugnamus gratiæ gradualitatem, & contendimus illam non esse efficacem, cui obsistit validior concupiscentia: atqui hæc eadem est doctrina Jansenii, qui non ait absolute præcepta esse justis impossibilia, sed esse impossibilia secundum præsentes quas habent vires, hoc est, comparate ad majores gradus concupiscentiæ. Igitur aut sententia nostra Augustiniana non est, aut Augustiniana est sententia Jansenii.*

Berti tom. 3. lib. 17. cap. 3. pag. 334.

Validius revera possunt Jansenistæ se defendere sententiæ Fratris Berti præsidio, cum Jansenii systema admittat & propugnet. Si reipsa putasset mandata Dei esse justis secundum præsentes quas habent vires vere possibilia, id ingenue, id candide, id absque ullo verborum circuitu confessus esset; sed id confitendo suam ipse negasset sententiam. Hanc ergo mandatorum Dei possibilitatem de industria prætermittens, satis superque innuit se hanc possibilitatem non agnoscere. Nec sane mandata Dei possibilia sunt iis qui gratia gradibus superiore carent, in systemate eorum qui cum F. Berti propugnant gratiæ, ut ipse ait, gradualitatem, contenduntque cum illo gratiam illam non esse victricem, cui obsistit validior concupiscentia, nec aliunde admittunt gratiam sufficientem, quæ talem homini conferat potentiam ut actualem possit ac præsentem reprimere cupiditatem. Otiosum esset hic diutius immorari. Audiamus ergo Fratrem Berti varias indicantem discriminis rationes, quibus suam sententiam a Janseniana circa primam propositionem longe discriminari contendit.

Dico sententiam nostram, inquit, *toto cælo distare a sententia Jansenii, primo quia in victrici delectatione non constituimus gratiam sufficientem quæ dat posse, sed gratiam efficacem quæ inspirat magnam & robustam, & facit ut faciamus: gratiam autem sufficientem ab operatione sejunctam agnoscimus etiam in voluntate parva & invalida.* Ibid.

Hæc est prior Fratris Berti responsio; sed antequam ad alteram veniamus, observandum istud discrimen Jansenianæ doctrinæ a Bertiniana esse dumtaxat in vocibus, non in re. F. Berti gratiam parvam & invalidam, gratiam scilicet gradibus inferiorem cupiditate, vocat sufficientem, de eaque asserit quod det posse, licet in suo systemate gratia illa parva & invalida vincere non possit cupiditatem gradibus superiorem, ac consequenter insufficiens sit. Jansenius autem paulo sincerior de hac eadem gratia asserit, quod non det posse, hancque sufficientem appellare renuit. Non itaque discrepat F. Berti a Jansenio quantum ad substantiam doctrinæ, sed dumtaxat quoad modum illam enuntiandi: nec ei sufficit ad amovendam procul a se Jansenismi suspicionem quædam immutare verba, si eos retineat sensus quos Innocentius X. in Jansenio merito proscripsit.

Alterum discrimen quod assignat sententiæ suæ a Jansenianæ sic ipsemet exponit. *Deinde negamus*, inquit, *cum delectatione victrici non consistere indifferentiam judicii & potentiam ad oppositum; ideoque premente quacumque cupiditate, sive vigente quacumque sancta delectatione, tam bonum quam malum est in nostra potestate.* Sed illud quoque discrimen intercedere dumtaxat quoad verba, non autem quoad doctrinam, commodius demonstrabimus in articulo nono hujus posterioris partis. Ibid.

V.

Interea indubitatum remanet Fratrem Berti docuisse impossibilia esse mandata Dei in sensu Jansenii, illis omnibus qui ea transgrediuntur, & non aliter quam in sensu ejusdem Auctoris esse possibilia. Impossibilia esse docuit scilicet in eo sensu, quod illi qui ea transgrediuntur, vel nullam habent gratiam, vel ad summum gratiam gradibus inferiorem cupiditate, gratiam parvam & invalidam, atque ideo non idoneam ad superandam cupiditatem, gratiam quæ dat potentiam solummodo remotam operandi bonum, nempe potentiam, quæ remorante concupiscentiæ impedimento actum exercere non potest; ac consequenter dum asserit gratiam illam conferre potentiam veram & proprie dictam, eamque sufficientem vocat, intelligendus est, non quasi cum illa gratia possit homo, secundum præsentes quas habet vires, observare mandata, sed dumtaxat quia posset ea exequi, si cupiditas evaderet debilior ac minor gratia. Renovat ergo F. Berti primam Jansenii propositionem. Augustinianam ergo non esse ejus sententiam, ut ipse jactantius prædicat, sed eam esse totam Jansenianam ingenue confiteatur.

ARTICULUS VIII.

F. Berti ab errore secundæ propositionis Jansenianæ non recedit.

I.

ERrorem in secunda Jansenii propositione damnatum non ejurant, qui in eo sensu fatentur interiori gratiæ aliquando, imo sæpe resisti, quod gratia sæpe

sæpe careat effectu ad quem inclinat voluntatem : Hoc enim, ut jam diximus in prima hujus Operis parte, fatetur ipsemet Jansenius; nec adversus eum definiit Summus Pontifex Innocentius X. veritatem quam iste Novator expresse asserit. Jansenius siquidem contendit interiori gratiæ nunquam resisti, in illo sensu quod voluntas perpetuo obsequatur gratiæ vel cupiditati, secundum quod una gradibus superat alteram: Nihil autem resistentiæ magis adversatur, quam perpetua obedientia. Vel enim gratia cupiditatem gradibus superat, vel non: si gratia gradibus superat cupiditatem, evidentissimum est tunc voluntatem illi non resistere: si autem cupiditatem non superat, victrix quidem est cupiditas, fraudaturque gratia eo effectu ad quem inclinabat voluntatem; sed nulla tunc est ex parte voluntatis resistentia, imo continua obedientia. Ad hoc autem ut vere & proprie dici possit aliquando resisti gratiæ, satis non est quod gratia aliquando careat effectu ad quem inclinat voluntatem, sed insuper requiritur quod effectus ille fuerit in potestate voluntatis, & quod voluntas motioni gratiæ ad illum effectum excitantis abnuerit obedire. Quomodo enim dici potest voluntatem resistere gratiæ, si voluntas effectum ad quem inclinat gratia non impediat, imo non possit impedire? Et quomodo dici potest voluntatem aliquando impedire effectum illum qui semper haberi supponitur?

Deinde ut vere resistatur gratiæ, necesse est quod gratia careat aliquo effectu, cujus producendi habet potentiam. Hæc propositio certa est, atque evidens : atqui gratia, quæ est gradibus minor cupiditate, non habet potentiam producendi effectum ad quem inclinat voluntatem : ergo ei nunquam resistitur.

II.

Neque dicas gratiam illam continere in se & absolute vim activam ad omnem bonum effectum ad quem ex natura sua & ex Dei voluntate tendit & ordinatur. Sed contra. Licet vis illa activa quæ gratiæ ineste supponitur, si absolute dumtaxat & in se spectetur, capax sit vincendi concupiscentiam & bonum opus operandi, tamen hic & nunc & comparate ad præsentes circumstantias illum effectum producendi capax non est, cum concurrat cum ardentiori concupiscentia quam superare non potest. Quare sub illo respectu & in circumstantiis gratiæ gradibus superioris vis illa activa gratiæ impotens & debilior est, atque ad effectum producendum insufficientes tantum confert vires. Perperam ergo vellent Jansenistæ effectum in iis circumstantiis posse produci a gratia, cum habeat tantum vires ad effectum producendum nullatenus idoneas, & vincendæ oppositæ concupiscentiæ omnino insufficientes.

III.

Hanc tamen Jansenii doctrinam amplexus est F. Berti, dum, ut dictum est in articulo præcedenti, nullam aliam gratiam sufficientem agnoscit, præter eam quæ gradibus est inferior cupiditate, ac proinde quæ effectu suo frustratur, non resistentia voluntatis, sed validiore atque potentiore cupiditate. Testimoniis in articulo superiori allatis liceat nonnulla alia adjicere. Berti tom. 3. lib. 4. cap. 8. pag. 148. *Est ergo gratia sufficiens*, inquit, *in sensu Thomistico ac nostro illa quæ dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente flagrantissima & potentissima charitate.* Theologus iste gratiam sufficientem definiendo illam quæ dat posse, non velle, Thomistas, imo & Theologos omnes consentientes habet; sed dum adjicit gratiam hanc, si det velle, illud esse adeo invalidum & imperfectum, ut concupiscentiam non vincat, nisi superveniente flagrantissima & potentissima charitate, profecto satis aperte innuit, gratiam illam semper vinci a cupiditate fortiori, nisi superveniat charitas cupiditate potentior.

Verum clarius adhuc mentem suam aperit, dum cupiditatem inter & charitatem secum invicem pugnantes gradualitatem agnoscit, eamque delectationem semper victricem esse contendit quæ gradibus alteram superat, ac proinde gratiam, quæ in uno est dumtaxat sufficiens ratione validioris concupiscentiæ actu prædominantis, esse efficacem in altero qui Ibid. minorem habet cupiditatem. *Sequitur*, inquit, *gratiam quæ in uno est sufficiens, in altero cujus vetus & carnis voluntas, cum nova & spirituali non adeo conflictat, ut discordando dissipet animam, esse efficacem . . . . . Et demum constat omnem Dei gratiam,*

quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria sufficientem, ut alibi diximus, id est, non efficere actus salutares propter obicem carnalis & robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quæ a nullo duro corde respuitur, & hanc nos dicimus gratiam esse efficacem.

F. Berti hic agnoscit omnem Dei gratiam quantumvis minimam esse in se ad opera salutaria sufficientem; nec tamen id fatendo a Jansenio dissidet. Nam eandem gratiam eodem sensu sufficientem admittet etiam Jansenius. Et vero numquid iste agnoscit in gratia sua parva vim in se activam ad pium actum ad quem excitat voluntatem? Nonne contendit gratiam illam parvam esse de se aptam & idoneam ad cupiditatem generatim reprimendam, & ad omne bonum opus exercendum? Nec ejus error in eo præcise positus est, quod non agnoscat gratiam a victrici distinctam, quæ de se posset bene operari : sed in eo errat quod velit illam gratiam esse in se tantum aptam ad bonum opus, & non relative ad præsentes subjecti circumstantias. Ergo F. Berti, admittendo gratiam in se tantum sufficientem, non recedit a Jansenio : nam licet illa gratia sit in se sufficiens, non potest tamen actus salutares efficere propter rationem quam assignat F. Berti, *propter* scilicet *obicem carnalis & robustioris delectationis*.

Verum quidem est quod F. Berti fateatur illam gratiam quantumvis minimam tribuere voluntati posse eam carnalem & robustiorem delectationem superare, si velit : sed cum, juxta illum, non possit velle illam superare sine delectatione gratiæ gradibus superiore, quam non habet, nec advocare potest, profecto Jansenismum non ejurat F. Berti.

IV.

Ut tamen ad Jansenium propius accedat, assignat deinde discrimen quod est inter suam & Thomisticam sententiam. *Dissentimur*, inquit, *ab illis, non* Ibid. *solum in explicanda gratiæ natura, verum etiam quod* pag. 149. *nolint in eadem gratia gradualitatem admittere*. Et post pauca. *Nos eandem numero delectationem, quæ in aliquibus minus excæcatis atque obduratis ex. gr. in Tyriis Sidoniisque foret efficax, & ad pœnitentiam traheret, in aliis majori cæcitate & obduratione affectis inefficacem esse contendimus : quoniam si Deus talem delectationem inspirat, qua perversa cupiditas superatur, id præstat beneplacito ac proposito voluntatis suæ . . . . . Atque in eo quod hæc delectatio modo sit victrix & valida, modo nondum idonea ad superandam vetustate roboratam cupiditatem, arbitramur magis apparere & liberalitatem beneficiorum Dei*, &c.

Hunc locum, cujus fragmenta quædam occasione data jam alibi protulimus, integrum hic referre necesse duximus, ut uno intuitu Lector percipiat doctrinam Fratris Berti a doctrina Thomistarum esse diversam, ut ipse fatetur, & doctrinæ Jansenii omnino congruam. Nam juxta hunc Theologum, eadem numero gratia modo est efficax, modo inefficax : in aliquibus est efficax, in iis scilicet quibus Deus inspirat delectationem sanctam cupiditate fortiorem : in aliis autem majori cæcitate & obduratione affectis est inefficax, quoniam delectatio quam Deus ipsis inspirat non est gradibus superior cupiditate, ideoque eam superare non potest. Aliter non potuisset loqui Jansenius.

In conflictu autem illarum duarum delectationum nullum aliud voluntatis officium constanter agnoscit F. Berti, nisi perpetuam obedientiam, quam præstat voluntas illi quæ actu gradibus alteram superat. Nulla est ergo ex parte voluntatis resistentia. In systemate ergo Fratris Berti, sicut in systemate Jansenii, *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*.

Itaque cum F. Berti asserit interiori gratiæ sæpe resisti, nihil aliud vult, nec velle potest, quam quod dixerat ipsemet Jansenius, *multos divinitus collustrari, imo vero & in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab interna ejus suasione & inclinatione dissentiunt*. Jansen. de grat. Christ. Salvat. lib. 2. cap. 27.

V.

In eo autem magis elucere videtur mala fides F. Berti, quod dum discrimina, quæ sunt inter suam & Jansenii doctrinam, aggreditur assignare, non solum silentio prætereat ea quibus secernitur Orthodoxa doctrina a Jansenianâ; sed præterea tribuat Jansenio errores quos ipse non docuit, & ad illa recurrat effugia apud Jansenii

nii discipulos usitatissima, ut errores suos obtegant, & sub velamine verborum in speciem Catholicorum quieti delitescant.

F. igitur Berti insistens vestigiis eorum qui Jansenium exterius erubescunt, licet illi sint intus & corde addictissimi, duobus in locis probare simulat se a Jansseniano secundæ propositionis errore longe distare. Primo quidem lib. 14. cap. 8. ubi postquam gratiam actualem divisit in efficacem & sufficientem, & utriusque notionem dedit systemati Jansseniano plane consentaneam, probandum suscipit doctrinam suam discrepare a Jansseniana. *Hæc doctrina*, inquit, *nihil habet affinitatis cum hæresi Jansseniana*: quod ut suadeat, *discrepamus*, inquit, *circa gratiam inefficacem. Primo enim fatemur qualemcumque gratiam in hoc statu, sive parvam, sive magnam, esse gratiam Christi.* Hoc est primum discrimen quod profert Theologus noster Jansenianam inter & suam doctrinam. Sed si Jansenius nunquam negavit parvam gratiam esse gratiam Christi, profecto discrimen illud nullum est. Porro Jansenius non negat, imo expresse docet in loco jam alibi laudato, parvam gratiam in hoc statu esse gratiam Christi. Contendit quidem gratiam illam, quæ Adamo concessa fuit in statu innocentiæ, non fuisse gratiam Christi, eo quod illa gratia dabat solum posse, & relinquebatur in libero hominis arbitrio, ut pro libito cum ea ageret, vel non ageret: sed simul agnoscit gratiam hujus status, tam parvam, quam magnam, esse Christi gratiam, quia utraque, juxta illum, efficax est: parva voluntatis imperfectæ, seu velleitatis: magna autem voluntatis plenæ atque perfectæ. Quare illa gratia semper obtinet effectum suum, plenum quidem ac perfectum, si superior sit: imperfectum autem, si fuerit inferior: unde sub illo respectu nunquam illi resistitur.

Berti tom. 3. pag. 155.

Vide supra 1. part. art. 3. n. 6 pag. 44.

VI.

Fatendum est tamen hanc parvam gratiam a Jansenio non dici sufficientem, utpote quæ in circumstantiis ardentioris cupiditatis non confert potentiam illud bonum operandi ad quod excitat voluntatem; sed neque vere sufficiens est parva gratia quam admittit F. Berti, utpote quæ in iis circumstantiis, in quibus confertur, vincere non potest cupiditatem gradibus actu superiorem: unde ex hac in verbis diversitate, quæ Jansenium inter & Fratrem Berti perspicitur, inferri dumtaxat potest Yprensem Episcopum fuisse Fratre Berti sinceriorem, quamvis in doctrinæ substantia nullatenus discordent.

VII.

Deinde Theologus iste secundum affert discrimen, quo doctrinam suam a Jansseniana differre contendit. *Defendimus*, inquit, *dari gratiam inefficacem, cui voluntas resistit.* Sed & Jansenius fatetur quoque multos in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna suasione & inclinatione dissentiunt; & ideo dumtaxat damnatus fuit, ut jam dictum est, quod velit gratias illas, a quarum suasione dissentimus, non conferre potentiam operandi bonum illud ad quod excitant voluntatem. Itaque ut judicemus an F. Berti docuerit hanc per gratias parvas conferri potentiam, ipsemet est consulendus: *Ac tandem* (defendimus) ait, *per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam.* Orthodoxa plane foret hæc ultima propositio, si nihil adderet F. Berti quod eam inficiat; sic autem prosequitur; *sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax*; si potestas illa, quæ nobis per gratiam sufficientem datur, non est valida & expedita, quomodo dici potest vera & proprie dicta potestas? Jansenius ipse libenter confitetur per gratiam parvam & inefficacem conferri potentiam majori cupiditatem ligatam, potentiam invalidam. Non ergo a Jansenio differt F. Berti.

Berti tom. 3. ibid.

Ibid.

Verum quidem est quod juxta Thomistas necessaria est ad ponendum actum gratia efficax; sed simul asserunt potestatem, quæ per gratiam inefficacem confertur, non esse ratione cupiditatis gradibus superioris invalidam & ligatam; & e contrario docent illam esse validam & expeditam, ita ut ad ponendum actum nihil ei desit ex parte potentiæ.

VIII.

Eodem in capite Jansenismi notam a se removere iterum tentat, proponendo fictitia quædam discrimina, quæ inter Jansenianam doctrinam atque suam reperiri contendit. *Discrepat autem hæc sententia*, inquit, *multiplici titulo a pravo dogmate Jansenianо*; *ac primo quoniam gratia sufficiens, quæ imperfectum actum, aliquam scilicet mentis collustrationem, & pium voluntatis motum producit, etiamsi ad actum non trahat, ex se ad illum ordinetur, ad illum excitet, ad illum etiam, nisi reluctaret perversa voluntas, foret efficax, non etiam divina liberalitate eo fine confertur, ut in parva ac invalida voluntate humanum arbitrium torpescat, sed ut nitatur ad opus, studeatque orando robustiorem gratiam a Deo impetrare.*

Berti ibid. pag. 159. & 160.

Verum hac verborum circuitione F. Berti nullatenus contradicit hæresi secundæ propositionis, nihilque profert quod cum ea bene conciliari non possit: nihil asserit de gratia parva quæ gradibus inferior est cupiditate, quam quod Jansenius ipse asserit. Vult enim Jansenius, gratiam illam producere imperfectum actum, aliquam scilicet mentis collustrationem ac pium voluntatis motum: vult illam, etiamsi ad actum perfectum non trahat, ex se ad illum ordinari, ad illum excitare, ad illum etiam, nisi repugnaret perversa voluntas fortiori cupiditate impedita, fore efficacem. Hæc omnia perfecte congruunt Jansseniano systemati, nec unquam asseruit Jansenius gratiam parvam eo fine conferri a Deo, ut in parva ac invalida voluntate humanum arbitrium torpescat.

Vide supra 1. part. art. 3.

Ait quidem Jansenius gratiam semper producere eum effectum ob quem datur; nec aliter loqui potest F. Berti, cum juxta illum, sicuti & juxta Jansenium, gratia semper operetur id quod operari potest, nimirum gratia, si major sit cupiditate, producit voluntatem plenam, si autem minor sit, producit tantum voluntatem imperfectam. Deus autem dici non potest conferre gratiam ob illum effectum, quem Creaturæ suæ novit esse impossibilem. In hoc ergo consentiunt Jansenius & F. Berti.

IX.

Nec felicius purgat se F. Berti, dum post expositam suam sententiam, exponendam suscipit Jansenianam doctrinam. *Jansenius e contra*, inquit, *parvam quidem & invalidam voluntatem a Deo inspirari fatetur; sed quam necesse sit permanere infirmam atque torpentem, nisi subministretur delectatio tam vivida, quæ arbitrium trahat indeclinabili necessitate, adeo ut quibus hæc deest, gratia inefficax conferatur, non ut possint converti, sed ut Deo vocanti vetusta cupiditate quam refrænare non valeant, & fatali quadam necessitate repugnantes, evadant iniquiores.*

Berti ibid.

Numquid ita dure locutus est Jansenius? imo contrarium expresse asserit. Docet enim quod gratiæ illæ parvæ, sive inefficaces, disponant ad victricem, Deumque provocent per actus imperfectos quos ex voluntate eliciunt, quales sunt velleitates, conatus, vota, aliique pii motus, ad conferendas novas & uberiores gratias. *Videmus*, inquit, *plurimos qui necdum ab immunditiis carnis se abstinere possunt, vehementer tamen optare continentiam, cujusmodi vota divinæ gratiæ sunt munera, & majoris gratiæ provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentiæ comparanda sint.* Nec hic satis mirari possumus Fratrem Berti, qui ut a doctrina Jansenii aliquatenus recedere videatur, illi Novatori falso tribuit elocutiones ab ejus mente prorsus alienas.

Berti tom. 3. ibid.

Jansen. lib. 2. de grat. Chr. Salvat. cap. 27.

X.

Verum tamen est quod confiteatur gratiam sufficientem conferre potentiam operandi bonum, sed hæc potentia in suo systemate, quidquid simulate repugnet iste Theologus, non est vera potentia, cum a cupiditate potentiore impediatur ne exeat in actum. *In pia illa affectione*, inquit, *quam per gratiam sufficientem nos dicimus hominibus inspirari, tribuitur operis, non quidem executio, sed vera potestas, quamquam non expedita, ut reapse prodeat in actum, quod, ut diximus, non gratiæ defectus est, sed voluntatis humanæ obicem ipsi gratiæ opponentis.*

Berti ibid. pag. 161.

Si potestas operis non est expedita, ergo ligata est cupiditate robustiore: ergo non est vera potestas. Cum autem addit, quod si non prodeat in actum, *non gratiæ defectus est*, id ita intelligendum est in suo systemate, quia minima gratia, ut ipse asserit, potest operari quodlibet bonum, & revera operaretur, si non obsteret cupiditas gradibus superior. Quod autem sit potius defectus *voluntatis humanæ obicem ipsi gratiæ opponentis*, intelligi quoque debet in suo systemate de voluntate obicem opponente per cupiditatem gradibus superiorem; & sic patet quod solummodo differat F. Berti a Jansenio in modo loquendi, non in substantia doctrinæ.

Bert. tom. 3. lib. 14. cap. 8. pag. 148

XI.

XI.

Quamvis autem F. Berti in ſecundo loco, ubi ex profeſſo probare nititur ſe multum ab errore Janſenii circa ſecundam propoſitionem diſcrepare, magis orthodoxe videatur loqui, nihil tamen fatetur quod in Janſenianum ſenſum non poſſit recidere, & facto in hunc pravum ſenſum non recidat; Janſenianos ſe impugnare ſimulat, & iis tamen, quantum fieri poteſt, favere ſtudioſe inſiſtit. Janſenianos itaque ſic objicientes inducit. *Si in hoc ſtatu*, inquit, *admittenda ſit gratia ſufficiens, & talis cui voluntas reſiſtat, id foret quoniam hæc gratia dat poſſe: at hoc falſum eſt, quandoquidem ut voluntas poſſit exire in actum neceſſaria eſt gratia ab intrinſeco efficax: Ergo gratia ſufficiens ab efficaci diſtincta in hoc infirmitatis ſtatu non datur.* Berti tom. 3. lib. 17. cap. 3. pag. 338.

Prima ratio Janſeniſtarum, inquit, *convellitur diſtinguendo minorem. Gratia ſufficiens non dat poſſe conjunctum cum actu, & proxime completum & expeditum, concedo: non dat poſſe ab actu ſejunctum & incompletum, nego.* Ibid. pag. 340.

Quod gratia pure ſufficiens, quæcumque illa ſit, non det poſſe conjunctum cum actu, certiſſimum eſt atque indubitatum, ſi enim daret poſſe conjunctum cum actu eſſet efficax, non pure ſufficiens. Quod autem det poſſe ab actu ſejunctum, docent Theologi Orthodoxi; ſed quia illud fatentur Janſenii diſcipuli in ſenſu longe diſpari, ideo diſtingui debet ſenſus Theologorum Orthodoxorum a ſenſu Janſeniſtarum.

Janſeniſtæ congruenter ſyſtemati Magiſtri ſui fatentur gratiam, quam vocant ſufficientem, dare poſſe, quia voluntas poſſet ei conſentire, & revera conſentiret ſi cupiditas major non obſtaret, adeſſetque cupiditas debilior. Theologi autem Orthodoxi ut hunc peregrinum ſenſum amoveant, aſſerunt & a Novatoribus aſſeri poſtulant, hanc potentiam eſſe expeditam, liberam ſcilicet ab impedimento concupiſcentiæ gradibus majoris actualiter voluntatem ad conſenſum trahentis, & ita completam ut nihil ex parte potentiæ deſit ut in actum erumpat. F. autem Berti, addendo gratiam ſufficientem non dare *poſſe proxime completum & expeditum*, pravum ſuum in Janſenianos affectum ſtatim ſignificat.

Ibid. Ut autem Thomiſtas ſibi conciliet, ſic proſequitur. *Addendum*, inquit, *unum eſt, ne Thomiſtæ, qui docent per gratiam ſufficientem conſtitui potentiam proxime & complete potentem producere effectum, verborum meorum ſenſum reſpuant, me cum Noriſio & Theologis probatiſſimis ibidem enumeratis appellare potentiam proxime expeditam illam, quæ ut ponat actum, gratiam uberiorem non poſtulat.* Thomiſtæ quidem ad actu operandum, præter gratiam ſufficientem, poſtulant gratiam efficacem; ſed ſimul contendunt adverſus Janſeniſtas, ut jam pluries dictum eſt, gratiam ſufficientem conferre veram potentiam operandi, quod tamen revera non concedunt Janſeniſtæ, cum juxta illos, gratia ſufficiens impediatur a fortiori concupiſcentia ne prorumpat in actum, ac proinde non conferat potentiam expeditam, liberam ſcilicet ab omni impedimento.

Et vero quamvis F. Berti gratiam parvam, gratiam gradibus inferiorem cupiditate aliquando ſufficientem vocet, hanc tamen denominationem illi *vere & proprie* competere non audet aſſerere, mavultque eam appellare inefficacem, quam ſufficientem. *De quæſtione grammaticali*, inquit, *id eſt, an gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu ſit vere & proprie ſufficiens, non opus eſt definite ſententiam dicere. Ego ſane mallem appellare* inefficacem, *eo quod non inſpiret voluntatem illam robuſtam, quæ inſpiratur ab efficaci. Idcirco habui frequentius in conſuetudine ſermonis vocabulum iſtud, quam ſufficientis: quod tamen in ſenſu Thomiſtico probo maxime.* Et poſt pauca. *Itaque pro libito gratiam, quæ opponitur efficaci, aut inefficacem, aut ſufficientem, mea enim non refert utrum horum dixeris, dummodo fatearis contra Janſenium interiorem aliquam gratiam, cui etiam in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtitur.* Berti tom. 3. lib 17. cap. 3. pag. 342. Berti ibid. pag. 342.

Si F. Berti gratiam ſuam parvam cupiditate inferiorem exiſtimaret veram conferre operandi potentiam, cur ægre ferret illam vocari ſufficientem? cur mallet illam appellare inefficacem? Et ſic parvæ gratiæ nomen inefficacis potius quam ſufficientis tribuendo, numquid ſuſpicionem movet, num velit ad Janſenium propius ſemper accedere? Nam Janſenius gratias ſufficientes repudiat, & gratias inefficaces admittit: docet enim eſſe quandam gratiam *ita inefficacem, ut ex illa operatio nequidem poſſit ſequi*. Merito ſane ſuſpicari poſſumus, velle Fratrem Berti gratiam parvam appellare inefficacem, quia eam certe admittit in eodem ſenſu quo Janſenius, id eſt, *ita inefficacem, ut ex illa operatio nequidem poſſit ſequi*. Sic loquendo abunde manifeſtat ſuam pro errore Janſenii propenſionem. Jan. lib. 4. de grat. Chr. Sal. cap. 10. in fine.

XIII.

Conſtat ergo ex dictis, tam in iſto, quam in ſuperiori articulo Fratrem Berti nullam aliam agnoſcere gratiam ineſficacem, præter eam quæ gradibus inferior eſt cupiditate, ac proinde quæ nunquam cupiditatem vincit, quæ nunquam caret effectu cujus producendi habet potentiam, cuique conſequenter nunquam reſiſtitur. Quod ſi fateatur interiori gratiæ aliquando reſiſti, illud fateri non poteſt niſi in ſenſu Janſenii, nimirum quia gratia ſæpe caret effectu ad quem inclinat voluntatem, vel quia caret effectu, quem operari quidem non poteſt ſecundum præſentes quas habet vires, ſed quem operari poſſet ſi minori afficeretur cupiditate.

ARTICULUS IX.

F. Berti ab errore tertiæ propoſitionis Janſenianæ non recedit.

I.

QUid ſentiat F. Berti circa tertiam propoſitionem Janſenii ipſemet ſatis aperte declarat, dum exponere aggreditur, *quo pacto divinis prædefinitionibus libertas cohæreat humana*. Nam poſtquam pro libito recenſuit varias quaſdam Theologorum opiniones, ipſe ſuam ſtatuit, in qua neceſſitatem illam, quæ ex objecto oritur, tamquam ſolam libertati adverſantem repudiat. Quando autem, juxta illum, objectum ita voluntati proponitur, ut non appareat, nec poſſit apprehendi, niſi ſub ſpecie boni, vel ſub ſpecie mali, ut Deus v. g. qui per lumen gloriæ facie ad faciem viſus eſt objectum per ſe evidenter & omnimode bonum, nec ullo modo poteſt, niſi ſub boni ſpecie apprehendi, tunc in tale bonum tendit voluntas eadem neceſſitate, qua fertur in bonum in communi, in quo nequit apprehendi ratio mali. Hæc autem neceſſitas, qua in objectum rapimur, ſola eſt quam F. Berti reſpuit tamquam libertati nocivam. *At*, pergit, *ſi hoc particulare bonum non proponatur ut omnimode bonum, neque evidenter & tale apprehendatur, uti in hac vita, fides, charitas, martyrium, quæ ita voluntati proponuntur, ut ea poſſit fugere & nolle, cum poſſit intellectus apprehendere & proponere aliquam ſpeciem mali in mundi contemptu, in ſui abnegatione, in mortis ſupplicio, tunc quidem remanet in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppoſitum.* Berti tom. 1. lib. 4. cap. 31. Berti ibid. pag. 379

Inde inferre licet voluntatem in hac vita ſemper eſſe liberam, licet delectatione gradibus ſuperiori ad agendum neceſſitetur. Ratio eſt quia cum in præſenti rerum ſtatu nullum voluntati proponatur objectum particulare in quo non apprehendi poſſit, & aliqua boni, & aliqua mali ſpecies, & cum aliunde nullam aliam neceſſitatem agnoſcat F. Berti præter eam quæ ex objecto proficiſcitur, hinc fit quod voluntas futura ſit ſemper libera, etiam ſub invincibili & ineluctabili operandi neceſſitate.

II.

Eandem libertatem eodem ſenſu intellectam voluntati competere docuerat F. Bellelli. Ad hoc enim ut voluntas libera ſit, requirit dumtaxat quod ſit immunis ab illa neceſſitate quæ ex objecto oritur, de hac neceſſitate quæ provenit ex ſuperiori delectatione ad unum invincibiliter determinante parum ſollicitus. Sed ſi voluntas delectatione relative victrici ad agendum neceſſitetur, & nihilominus dicatur libera, ut volunt FF. Bellelli & Berti, conſequens erit quod ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiratur libertas a vera & proprie dicta neceſſitate. Hæc illatio manifeſte & neceſſario ex eorum ſequitur principiis: ex quo fit ut hi duo ſocii ab errore in tertia Janſenii propoſitione damnato non recedant.

III.

Plaudit tamen ſibi F. Berti, quaſi doctrina ſua ab hæreſi in Janſenio damnata diſcreparet; & eo quod iſte velit Beatos in amando Deo eſſe liberos, ipſe vero e contra in eo diligendo non eſſe liberos doceat, confidentius gloriatur. *Ex quibus*, inquit, *infertur primo contra Janſenium, Beatos, cum Deum videant intuitive, non eſſe in amore beatifico liberos, cum ad amandum Deum clare viſum ſint naturaliter determinati.* Sed eſto, quod in hoc a Janſenio diſſentiat F. Berti; Quid ad rem? Cum hac ſane diſcrepantia integer adhuc ſubſiſtit error in tertia propoſitione damnatus: nam tertia propoſitio præſentem ſtatum attingit, & loquitur tantum de libertate in ſtatu na-

tu naturæ lapſæ ad merendum & demerendum neceſſaria; nec in ea de futura aut exiſtente in cælis libertate agitur. Utrum ergo Beati in amore beatifico liberi ſint, necne, quæſtio eſt rei præſenti omnino extranea.

Præterea tertia Janſenii propoſitio, ſicut & cæteræ, in obvio atque in proprio verborum ſenſu damnata eſt. Ergo Innocentius X. hanc damnando propoſitionem definiit quod ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiratur libertas a quacumque vera & proprie dicta neceſſitate. Porro dum neceſſitas, cui in Janſeniano ſyſtemate ſubjacet homo ſub imperio delectationis relative victricis conſtitutus, non minus vera & realis dici debeat neceſſitas, quam quæ ex parte objecti oritur, inde ſequitur quod ii qui ad merendum & demerendum ſolam dumtaxat requirunt a neceſſitate quæ ex objecto profluit immunitatem, & non ab ea neceſſitate quæ ex prædominante delectatione procedit, jam vibrato a Summo Pontifice anathemati ſe ſubducere non poſſunt.

IV.

Forſan clamitabit F. Berti ſe fulminato Anathemati nullatenus ſubjacere, cum, non ſolum tertiam Janſenii propoſitionem proſcribat, verum etiam conceptis verbis aſſerat ad merendum & demerendum in voluntate requiri veram libertatem, veram indifferentiam, & veram potentiam ad oppoſitum. *Si hoc particulare bonum*, inquit, *non proponatur ut omnimode bonum, neque evidenter & tale apprehendatur, uti in hac vita fides, charitas, martyrium, quæ ita voluntati proponuntur ut ea poſſit fugere & nolle, cum poſſit intellectus apprehendere & proponere aliquam ſpeciem mali in mundi contemptu, in ſui abnegatione, in mortis ſupplicio, tunc quidem remanet in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppoſitum.* Berti tom. 1. lib. 4. cap. 13. pag. 379.

Eandem doctrinam alibi tradit Theologus iſte, dum probare ſimulat libertatem indifferentiæ, & reluctandi poteſtatem requiri in ſtatu naturæ lapſæ ad meritum, vel demeritum. *Hæc poteſtas*, inquit, *remanet, cum nulla propoſitio boni creati atque apparentis, nec etiam ſummi boni cogniti tantum abſtractive auferat indifferentiam judicii.* Berti tom. 3. lib. 16. cap. 2. pag. 279.

Verum per hæc verba, quæ prima fronte videntur Orthodoxa, ab errore Janſenii non recedit F. Berti, ſi objectum non proponatur ut indifferenter eligibile, ſed ut neceſſario proſequendum, vel fugiendum: atqui res ita eſt in Syſtemate Bertiniano; nam delectatio gradibus ſuperior, ſive gratiæ, ſive cupiditatis, neceſſario & invincibiliter ad unum determinat, & figit animum in objecti fuga vel proſecutione; nec poteſt tunc voluntas ſuperioris delectationis quaſi vinculo ligata in quodcumque aliud ferri objectum ab intellectu propoſitum: ergo falſum eſt quod tunc remaneat in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppoſitum, niſi velit F. Berti libertatem ad merendum & demerendum ſtare poſſe cum vera & proprie dicta neceſſitate; quæ eſt doctrina quam revera adoptat, quamvis eam negare fingat, & quam Eccleſia in Janſenio proſcripſit.

V.

Nec aliquid falſi Fratri Berti impoſitum nemo putet, cum eum adoptaſſe Janſenii doctrinam jam ſatis conſtet. Id enim invicte demonſtrant omnia ea quæ ex ipſo relata ſunt. Idem etiam manifeſtant nova quæ adhibet diverticula, ut probare conetur doctrinam ſuam a Janſeniana toto cælo diſtare. Ope ſcilicet novæ cavillationis, ut a Janſenio diſſentire videatur, huic Novatori ipſiuſque diſcipulis doctrinam tribuit ipſis incognitam, aut quam non norunt, niſi ad contrariam ſtabiliendam. *Janſeniani*, inquit, *qui ad merendum neceſſariam putant ſolam libertatem lubentiæ, etiam in motibus indeliberatis, & in parva illa delectatione, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, meritum tenentur agnoſcere.* Berti tom. 3. lib. 14. cap. 8. pag. 161.

Quam calumnioſe in Janſenianos, ac præſertim in Janſenium, hæc dicta ſint, patebit ex nunc dicendis. Quantum autem abſit ut Janſenius meritum in motibus indeliberatis, & in iis quæ Deus in nobis ſine nobis operatur, ponat, ipſe ſatis indicat lib. 6. de grat. Chr. Salvat. cap. 35. ubi nullatenus agit de motibus indeliberatis, ſed e contra præmonet quæſtionem dumtaxat eſſe de volitione deliberata, de qua ſola tractat, & quæ deliberata eſſe debet, juxta illum, ut libera ſit. *Voluntas*, inquit, *hoc eſt, volitio deliberata, de qua ſola tractamus, ſe ipſa libera eſt, & contradictionem implicat, non eſſe liberam; quia fit cum volumus, non fit cum nolumus non alia volitione, ſed ſeipſa.* Et alibi ad libertatem requirit quod vigente rationis conſideratione fiat actio. *Ipſa*, inquit, *libertas amitti non poteſt, quamdiu vigente rationis conſideratione vel bene, vel male tantum, vel utrumque facere poteſt.* Exigit quoque ad hoc ut actus voluntatis ſit liber, quod fiat advertente intellectu, & conſentiente voluntate. Vide quæ dicta ſunt ſupra parte 1. art. 4. Janſen. lib. 6. de grat. Chr. Salvat. cap. 35. Janſen. ibid. cap. 38.

VI.

F. tamen Berti commentorum uſu exercitatus aliud excogitavit, ut ſuam a Janſeniana doctrinam ſecernat. Contendit enim, ſed falſo, quod Janſeniani velint liberum arbitrium eſſe quaſi mortuam bilancem. *Janſeniani*, inquit, *in hoc turpiſſime errant, quod liberum arbitrium, quaſi mortua eſſet bilanx, non vis ſeu activa facultas, poſitum inter cupiditatis & gratiæ æqualia pondera, opinentur nihil operari, ita ut neceſſario agas quod amplius delectat, uti ſtatera a graviori pondere neceſſitate dejicitur ..... Hæc profecto ſententia hæretica eſt: non enim liberum arbitrium eſt indifferens ad inſtar ſtateræ: non enim eſt potentia paſſiva, ſed activa; neque poſt Adæ lapſum periit, & eſt titulus ſine re; ſed vivit adhuc, agit, & dum trahitur, ſive concupiſcentia, ſive ſancta delectatione, habet indifferentiam potentiæ a nobis ſuperiori Regula expoſitam.* Berti tom. 1. lib. 4. cap. 13. pag. 381.

Profecto in ſyſtemate in quo voluntas illi e duabus delectationibus, quæ actu altera gradibus ſuperior eſt, tenetur obſequi, nulla alia concipitur adeſſe indifferentia potentiæ, præter eam quæ conſiſtit in naturali flexibilitate liberi arbitrii ad bonum & ad malum, vel in mera potentia abſoluta & abſtracta, & nullatenus relativa & expedita ad actum oppoſitum.

Præterea ideo, juxta Fratrem Berti, liberum arbitrium dum trahitur, ſive concupiſcentia, ſive ſancta delectatione, habet indifferentiam potentiæ, quam ſuperiori regula expoſuit, quia ſcilicet non neceſſitatur ab objecto. Sed ſi ex una parte neceſſitas, cui humana voluntas ſubjacet ſub motione delectationis relative victricis, non minus vera ac realis dici debeat neceſſitas, ut jam ſupra pluiquam ſatis probatum eſt, quam illa quæ oritur ex objecto, atque ſi ex alia voluntas a prævia & indeliberata delectatione neceſſitatur, evaneſcit profecto illa indifferentia potentiæ, nec apud liberum arbitrium remanere ullatenus dici poteſt.

Quod autem in ſyſtemate Bertiniano voluntas neceſſitetur a prævia delectatione indeliberata, quidquid in contrarium garriat iſte Theologus, jam alibi demonſtratum eſt.

VII.

Calumniatur etiam Janſenium Frater Berti, dum confidenter affirmat hunc Novatorem aſſerere omnem motum concupiſcentiæ & prava deſideria, etiam neceſſaria, eſſe peccata. *Ad Janſenium verum quod attinet*, inquit, *& ipſe tenetur aſſerere cum Bajo, omnem motum concupiſcentiæ & prava deſideria, etiam neceſſaria, eſſe peccata: quoniam in his invenitur libertas a coactione, quam arbitratur ſufficere ad meritum vel demeritum.* Hanc calumniam refellit ipſemet Janſenius, dum conceptis verbis aſſerit de indeliberatis concupiſcentiæ motibus quod non ſunt liberi. *Quos*, inquit, *non eſſe liberos conſtat.* Et de paſſionibus ſeu pravis deſideriis indeliberatis loquens; *Hinc igitur fit*, inquit, *ut in primis paſſiones, ſeu id quod patimur, minime ſoleant nobis eſſe liberæ, quia minime in poteſtate, dum plerumque nolentibus fiunt.* Et cap. 5. *Hoc interim*, ait, *admonitum Lectorem velim, nos cum voluntatem dicimus, non hoc iſto nomine intelligere, quod illis motibus indeliberatis ſubjacet, quibus ſubito concupiſcimus, iraſcimus, trepidamus, antequam ratio vigilet ..... Tunc enim velle aut nolle dicimur, non cum illis motibus percellimur, ſed cum illis aſſentimus, vel diſſentimus.* Berti tom. 3. lib. 16. cap. 2. pag. 278. Janſen. de grat. Chr. Sal. lib. 6. cap. 36. Janſen. ibid. cap. 4. Janſen. ibid. cap. 5. in fine.

Ex hactenus dictis colligi poteſt Fratrem Berti a doctrina in tertia Janſenii propoſitione damnata non recedere. Quod autem ipſe Janſenio adſcribat errores quos nuſquam docuit, id ita inſidioſe factum fuiſſe liquet, ut ab hoc Novatore, ſaltem aliquatenus, diſſentire videatur. Sed ſi verbis aliquando inter ſe diſcrepent, re quidem plane concordant.

VIII.

Antequam ad quartam Janſenii propoſitionem proceda-

cedamus, notandum occurrit Fratrem Bellelli deseri a socio suo Fratre Berti. Si quidem docuerat F. Bellelli libertatem a necessitate accidentali non requiri ad meritum & demeritum, sed requiri dumtaxat libertatem a necessitate essentiali; nam post expositam ejusmodi Fratris Bellelli conciliandæ gratiæ cum libero arbitrio rationem, ita prosequitur F. Berti: *Doctrinam*, inquit, *nuper traditam, quod Theologorum illorum pace dixerim, non re a Jansenio errore discrepare arbitramur*. Ergo non immerito doctrinam Jansenii in Scriptis Fratris Bellelli reviviscere contendimus, cum ipsius Socius F. Berti eandem doctrinam a Jansenio errore non discrepare arbitretur.

Berti tom. 1. lib. 4. cap. 13. pag. 378.

ARTICULUS X.

F. Berti ab errore quartæ propositionis Jansenianæ non recedit.

FRater Berti eodem semper insistit pede, nec eum a se ipso unquam desciscentem reperias. Dum enim quartæ Jansenii propositionis hæresim impugnare simulat, totum virulentæ illius propositionis venenum haurit.

I.

Fatetur quidem errorem non esse, sed e contra a Tridentino expresse definitum, liberum scilicet arbitrium gratiæ moventi ac excitanti posse dissentire. *Hæretica est*, inquit, de hac quarta loquens propositione, *si reluctandi gratiæ agnoscere potestatem sit dogma fidei, non error Massilienssium. At demonstratum est Semipelagianos illam interiorem gratiam non admisisse: posse vero liberum arbitrium dissentire gratiæ excitanti ac moventi non error est, sed definitio fidei expressa can. 4. sess. 6. a Synodo Tridentina.*

Berti tom. 3. lib. 17. cap. 3. pag. 346.

Egregie quidem hæc dicta sunt; sed licet hæc omnia fateatur F. Berti, a Jansenio tamen non dissentit. Nunquid & ipsemet Jansenius, ne adversari videatur definitioni Tridentinæ, confitetur liberum arbitrium gratiæ excitanti ac moventi posse dissentire? Sed in quo sensu? In eo nimirum sensu quod dissentire possit potentia absoluta, potentia abstracta, & nullatenus ad præsentes subjecti dispositiones relativa; aut si quid aliud desideretur, potentia quæ in actum exiret, nisi obsisteret fortior opposita cupiditas: nec has voces, *posse dissentire*, in alio sensu intelligere possunt Jansenius & F. Berti, quamdiu docebunt voluntatem humanam necessitari ad obtemperandum delectationi illi quæ gradibus alteram superat, & ad illi invincibiliter consentiendum.

Quamvis ergo F. Berti fateatur non errorem esse liberum arbitrium posse dissentire gratiæ excitanti ac moventi, sed definitionem fidei expressam can. 4. sess. 6. a Synodo Tridentina, non idcirco Catholice sentit, si principium Jansenianum admittens, non possit in Jansenio suo systemate verba Concilii aliter interpretari, ac ea Jansenius interpretatur, & uterque Concilii verbis eundem sensum tribuat.

Clarius tamen alibi mentem suam aperit, & se idem cum Jansenio sentire circa gratiæ irresistibilitatem satis manifestat. Tomo enim 3. lib. 14. cap. 11. pag. 195. aggrediens argumenta quæ pugnant adversus gratiam per se efficacem expedire, nullam aliam agnoscit necessitatem libertati noxiam, præter eam quæ oritur ex objecto voluntatem necessitante: censet ergo necessitatem illam quæ profluit, juxta Jansenium & ipsius discipulos, ex delectatione gradibus superiori, & quam F. Berti admittit, non esse libertati oppositam; ac proinde liberum arbitrium sub imperio gratiæ nullam habere veram indifferentiæ potestatem, ut agnoscat necesse est, quidquid ad illudendum Catholicis reclamet.

II.

Subsequens itaque sibi objicit argumentum. *Requiritur ad essentiam libertatis potestas indifferens, quæ positis omnibus requisitis ad agendum agere vel non agere valeat: Data autem gratia ex intrinsecis suis efficaci non remanet hæc potestas indifferens, quoniam hæc gratia dat ipsum velle, ipsum agere, ipsum indeclinabiliter operari, atque determinatio actus tollit indifferentiam. Igitur gratia ab intrinseco efficax libertatem evertit.*

Huic objectioni respondent quidem cum Fratre Berti Theologi Orthodoxi, concedendo majorem propositionem, & negando minorem. Hic F. Berti Theologos Orthodoxos idem secum habet sentientes; sed ratio negatæ minoris propositionis longe diversa est. Ideo enim Orthodoxi negant per gratiam ex intrinseco efficacem auferri potestatem indifferentem, quia connexio gratiæ per se efficacis cum voluntatis consensu, seu necessitas consensus, quæ provenit ex gratia per se efficaci, est necessitas dumtaxat consequens, quæ sequitur ex ipsa libera voluntatis determinatione, seu ex usu & exercitio libertatis, cum, juxta illos, nulla sit gratia efficax, sive illa sit ab intrinseco efficax, sive non, quæ non supponat, ut alibi diximus, voluntatis consensum libere futurum: at vero necessitas quæ oritur ex delectatione prævia, indeliberata, & pro graduum superioritate invincibili, est antecedens, cum non profluat ex consensu voluntatis seipsam pro arbitrio determinantis, imo potius voluntatem ad unum invincibiliter & insuperabiliter determinat, quin ullatenus possit voluntas seipsam ab assensu cohibere: necesse enim est ut id sequatur quod eam magis delectat. Hanc igitur Orthodoxorum rationem quæ Jansenio systemati penitus adversatur, adoptare suamque facere non posset F. Berti, nisi plurium ineptiarum aut æquivocationum subsidio. Ut itaque objectioni propositæ satisfiat, aliam adhibet solutionem Jansenio systemati accommodatiorem, & quæ sane cum eo perfecte conciliari potest. Docet enim necessitatem quam infert gratia per se efficax non oriri ex objecto; indeque concludit eam non tollere potestatem indifferentem, quasi nulla alia dari posset necessitas vera & proprie dicta, quæ tollat potestatem indifferentiæ, præter illam quæ oritur ex objecto. Certum est tamen quod, ut jam invicte demonstratum est, illa necessitas quæ in systemate Jansenio oritur ex delectatione indeliberata & pro graduum superioritate invincibili, sit vera & proprie dicta necessitas, ac proinde quod tollat voluntatis indifferentiam, cum ad unum necessario & invincibiliter determinet.

III.

Audiamus nunc eum argumento proposito respondentem.

Ad primum argumentum, inquit, *admitto traditam liberi arbitrii definitionem; & nego quod sub gratia efficaci non remaneat potestas ad oppositum, quando operatur in nobis velle & facit ut faciamus;* Huic solutioni libenter subscribunt Thomistæ. Sed ultra progrediamur. Sic autem pergit. *Id enim præstat per supernam illuminationem & inspirationem sanctæ dilectionis, at non talem quæ nobis verum sub omni ratione veri, & bonum sub omni ratione boni proponat, rapiatque in se mentem & animum illa necessitate qua in verum bonumque in communi protendimus.* Ibidi. pag. 197.

Difficile quidem captu est, & hoc Bertinianæ intelligentiæ reservatum videtur, ut capiat quomodo sub necessitate, quam inducit delectatio gradibus superior, remaneat potestas ad oppositum. Nam hic solummodo excludit necessitatem illam quæ provenit ex objecto, qualis ea esset quæ procederet ex Deo clare viso & intuitive cognito, aut quæ oriretur ex innata illa propensione, qua in verum bonumque in communi mens & voluntas necessario rapiuntur. De alia autem necessitate quam infert inspiratio sanctæ dilectionis, id est in sensu Bertiniano, delectatio relative victrix, altum habet silentium; unde satis aperte innuit eam non nocere libertati, & cum ea subsistere posse indifferentiæ potestatem. Sed aperiat F. Berti quomodo in systemate, in quo fieri nunquam potest ut voluntas velit dissentire motioni delectationis superioris, possit tamen eadem voluntas esse indifferens, & quo tandem pacto potestas ad oppositum cum necessaria ad unum determinatione stare possit, ipse explicet.

IV.

At, inquiet aliquis, ex scriptis F. Berti habetur, quod admittat in homine gratia efficaci & victrici instructo potestatem indifferentiæ, qua voluntas vere possit illi gratiæ dissentire. Hoc quidem F. Berti; sed fictam & illusoriam indifferentiæ potestatem in ejus systemate quis non agnoscat? Per potestatem illam quis nesciat eum intelligere cum Jansenio voluntatis ad bonum & malum flexibilitatem, in qua Janseniani totam reponunt libertatis indifferentiam? Aut eam constituunt in potentia illa absoluta, quam voluntati inesse volunt, actum eliciendi oppositum ei ad quem necessario determinatur, & quem revera eliceret, si delectationis superioris vires infringerentur. In eo sensu Jansenius, ut supra diximus, agnoscit eamdem voluntatis indifferentiam, imo asserit cum Thomistis, voluntatem posse gratiæ efficaci & victrici dissentire in sensu diviso, quamvis illud non possit in sensu composito; sed abusive prorsus & illusorie illud contendit, ut supra demonstravimus.

Ut igi-

Ut igitur excludatur erroneus quartæ propositionis sensus satis non est confiteri, quod cum gratia efficaci stet potestas indifferentiæ & potestas dissentiendi, sed præterea requiritur quod indifferentia illa & potestas sub motione gratiæ efficacis sit activa, vera & proprie dicta, ita ut voluntas illi possit pro arbitrio resistere vel obtemperare; quod sane a systemate Jansenisno, perinde ac a Bertiniano, plane alienum est: nam in illorum systemate delectatio relative victrix inducit agendi necessitatem; & licet illa necessitas ex objecto non oriatur, non minus est vera ac proprie dicta necessitas, cum voluntas delectationi quæ prævalet necessario obsequatur, quin possit ullatenus a tali obsequio abstinere.

V.

Nec juvat Fratrem Berti quod admittat indifferentiam judicii, nam eo redeunt omnes ejus responsiones. *Possumus*, inquit, *non assentire*, (auxilio efficaci) *cum talis excitatio non sit luminis gloriæ, & charitatis consummatæ, sed illuminationis & dilectionis, quæ consistit cum indifferentia judicii*. Verum quidem est quod Thomistæ ex indifferentia judicii libertatem arbitrii consequi communiter asserant; verumtamen judicium illud voluntatis imperio subesse volunt, ideoque objectum ab intellectu proponi, non ut necessario prosequendum vel fugiendum, sed ut eligibile pro arbitrio voluntatis. Videri potest Sylvius in 1. p. q. 83. art. 3. & 4. & præsertim concl. 2. Quod in systemate Bertiniano dici non potest, cum contendat F. Berti cum Jansenio, voluntatem semper & necessario obsequi delectationi prædominanti. Perperam ergo in systemate duarum delectationum pro graduum superioritate invincibilium, quod systema a F. Berti admittitur, perperam, inquam, constitueretur libertas in indifferentia judicii.

Ibid. pag. 198.

Præterea juxta F. Berti, possumus non assentiri cuilibet excitationi gratiæ, modo illa excitatio non sit luminis gloriæ & charitatis consummatæ: sed si illa excitatio talis sit ut invincibiliter, insuperabiliter, indeclinabiliter ac necessario suum semper obtineat effectum, quin possit voluntas ab illo effectu ponendo ullatenus abstinere, sicut colligitur ex systemate Bertiniano, profecto illa potentia dissentiendi, quam admittit F. Berti, fictitia ac chimerica est: ergo dum confitetur divinam gratiam esse talem, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare, illud dumtaxat confitetur in sensu Jansenii: ergo anathema pronuntiatum in quartam propositionem effugere non potest.

ARTICULUS XI.

F. Berti ab errore quintæ propositionis Jansenii non recedit.

IN primis quatuor propositionibus Jansenium a recto fidei tramite declinantem secutus est F. Berti; eundem sane in quinta propositione a fide Catholica deficientem non deserit. Fatetur quidem Deum velle voluntate antecedenti ut omnes homines, nemine prorsus excepto, salvi fiant, Christumque, non pro prædestinatis tantum, sed pro omnibus omnino hominibus mortuum esse dicit. Hæc quidem Catholica sunt, sed Catholice dicta non sunt, ut verbis Augustini utar Julianum increpantis, *quia non intentione Catholici peccatoris dicta sunt*.

Aug. lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 4.

I.

Deus igitur vult, juxta Fratrem Berti, salutem omnium, & Christus pro omnibus sanguinem fudisse asseritur; sed in sensu plane Jansenisno illud asserit F. Berti: unde sequitur quod hæresim quintæ propositionis in sensu Jansenii damnatæ non rejiciat. Id ut demonstretur, in memoriam necesse est revocare ea omnia, quæ in priori hujus operis parte diximus circa quintam propositionem.

Diximus autem quod ad ejurandam hæresim in quinta propositione contentam satis non sit confiteri Deum antecedenti voluntate velle omnes homines salvos fieri, in eo sensu quod virtute illius voluntatis antecedentis Deus reprobis præparaverit externa dumtaxat quædam media generalia toti humano generi proposita, v. g. prædicationem Evangelii, Sacramentorum institutionem &c. Sed quod insuper requiratur ut admittantur interiores gratiæ ad salutem vere sufficientes, nonnullis saltem reprobis concessæ. Porro F. Berti, dum exponendum suscipit quid sit illa Dei voluntas antecedens erga hominum salutem, & quousque protendatur, eam restringit ad illa media generalia, quæ in priori hujus operis parte paulo fusius exposuimus. *Attendendus est*, inquit, *ordo a Deo impositus, in quo omnes homines, tam justi quam impii, donec vivunt, in via, qua ad salutem pervenire possunt, collocantur: omnes jus habent accedendi ad Ecclesiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gratiam quam hæc efficiunt: omnibus prædicatum est Evangelium, exhibita misericordia, præparata divinorum beneficiorum munera: pro omnibus Christus abunde cumulateque satisfecit & pretium redemptionis exhibuit . . . . . Hujus ordinis impositio est objectum voluntatis antecedentis. . . . . Deinde attendendum est hujus impositi ordinis complementum & executio, qua hominum plurimi perducuntur ad salutis terminum, accipiunt donum perseverantiæ, percipiuntque reapse fructum Passionis Christi . . . . . atque secundum hanc postremam rationem, non pro universis, sed pro multis suum fudisse sanguinem & rogasse Christum Catechismus ipse declarat. Igitur voluntatem antecedentem illam dicimus quæ spectat ad ordinis impositionem; & consequentem eam quæ executionem respicit hujus ordinis.*

Berti tom. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 386.

II.

Huic forsitan hærebit Lector perplexus, num his novis atque inusitatis verborum involucris significet F. Berti Deum virtute hujus voluntatis antecedentis providisse omnibus & singulis hominibus media quædam, quibus pervenire potuissent ad æternam salutem; an autem Theologus iste cum Jansenianis admiserit dumtaxat media illa exteriora omnibus universim hominibus communia, quibus, ut jam pluries diximus, salus æterna absque internis gratiis, iisque vere sufficientibus, non redditur reprobis possibilis. Verum mens ejus non videbitur ambigua ei qui totam ipsius doctrinæ seriem attente perpendet. Quod autem censeat salutem æternam virtute hujus voluntatis antecedentis non reddi reprobis possibilem, sic demonstrari potest.

Virtute voluntatis antecedentis salus æterna reprobis non redditur possibilis, si hæc antecedens voluntas nulla media necessario complectatur quibus possibilis reddatur reprobis æterna salus: atqui, juxta Fratrem Berti, voluntas Dei antecedens erga reproborum salutem nulla media necessario complectitur, quibus salus æterna illis reddatur possibilis; nam juxta Theologum nostrum Deus voluntate antecedenti vult salvari omnes omnino homines, nemine prorsus excepto, ac consequenter parvulos in utero matrum vita functos; atqui idem Theologus docet Deum parvulis in utero matrum vita functis non providisse media quibus illis æterna salus redderatur possibilis, & tamen contendit quod Deus voluntate antecedenti velit illorum salutem; ergo juxta illum, voluntas Dei antecedens erga salutem hominum nulla necessario complectitur media, quibus æterna salus reddatur possibilis: ergo ex eo quod F. Berti asserat Deum voluntate antecedenti velle omnes homines, nemine excepto, salvari, non sequitur quod Deus illis providerit media ad salutem sufficientia; ergo hoc asserendo non ejurat hæresim in quinta propositione damnatam.

Ad perficiendam itaque hanc demonstrationem hoc unum nobis probandum superest, nempe quod, juxta Fratrem Berti, Deus parvulis in utero matris vita functis non providerit media, quibus æterna salus redderetur illis possibilis. Hoc autem expresse docet. Asserit quidem cum omnibus Theologis, nullam his puerulis internam gratiam conferri; contendit quoque pro iis paratam esse & institutam medicinam peccati: quod autem Deus talem medicinam ipsis applicari velit, hoc diserte negat. *Puerulis*, inquit, *vita functis in utero matrum denegari adjutorium sufficiens inde evincitur, quod cum nondum sint capaces perceptionis & voluntatis, nulla gratia locum habet, nisi exterior, hoc est, ministratio Baptismatis: atqui hujusmodi pueris baptisma non ministratur; ergo nulla his gratia actualis confertur.*

Berti tom. 3. lib. 19. cap. 8. pag. 441.

Huic suæ assertioni ait responderi communiter a Theologis, quod etsi puerulis illis nulla conferatur interior gratia, hæc tamen fuit illis præparata, quatenus Deus illis providerat media ad salutem assequendam necessaria, quorum applicationem impedierunt causæ secundæ. *Tam plano argumento*, ait uno contextu, *responderi solet, Deum velle iis infantibus applicari Sacramentum regenerationis, non quidem voluntate consequente, sed antecedente, qua profecto vult illorum salutem. Cur autem non applicetur reipsa, non voluntas Dei est, sed vel culpa parentum, vel series causarum secundarum immaturam mortem inferentium.* Ita quidem loquuntur Theologi Orthodoxi, qui volunt Christum revera mortuum esse pro salute puerulorum in matrum utero vita functorum, adduntque non teneri Deum generalem Provisorem ad perturbandum ordinem causarum secundarum: sed hanc Theologorum expositionem rejicit F. Berti. *At nihil movet*

Ibid.

Ibid. *vet me*, inquit, *ista responsio. Primo quia ad voluntatem antecedentem spectat Sacramenti Institutio & remedii applicatio; ideoque concedendum est tantummodo pro iis parvulis medicinam peccati paratam & institutam; quod extra omnem controversiam positum est.*

Profecto hic manifeste docet F. Berti Deum instituisse quidem pro parvulis in utero materno decedentibus, sicut pro cæteris omnibus, Sacramentum Baptismi, non tamen voluisse illis istud applicari; ac proinde illis non reddidisse salutem possibilem. Ergo ex eo quod asserat iste Theologus Deum velle voluntate antecedenti omnes homines, nemine excepto, salvos fieri, non potest inferri quod aliis quam prædestinatis salutem possibilem reddiderit.

III.

Ex dictis patet magnum intercedere discrimen inter Fratris Berti & Theologorum Orthodoxorum doctrinam. Theologi enim Orthodoxi, qui docent Christum pro salute omnium omnino hominum, etiam parvulorum in materno utero defunctorum, esse mortuum, asserunt consequenter Deum omnibus illis contulisse, obtulisse, vel saltem præparasse media, quibus salus æterna reddita fuerat illis possibilis. Vasquez vero, qui censuit iis infantibus non fuisse præparata media, quibus illis possibilis redderetur æterna salus, opinatur quoque pro illis mortuum non esse Christum. Sed F. Berti contendit simul, & Christum pro illorum salute mortuum esse, & Deum nolle ut ipsis applicentur media, quibus salus æterna ipsis reddatur possibilis. Nonne hæc duo contradictoria sunt?

IV.

Ex his quis non inferat Fratrem Berti ideo fateri Deum voluntate antecedenti velle omnes homines salvos fieri, etiam infantes qui in utero materno moriuntur, atque pro salute eorum omnium mortuum fuisse Christum, ut quintam Jansenii propositionem, quam sincere non damnat, damnare videatur?

Patet præterea, quod, etsi F. Berti a Jansenio verbis aliquatenus recedat, ab illo tamen quantum ad substantiam doctrinæ nullatenus discrepet. Docet quidem Jansenius, quod Deus, etsi voluerit antecedenter ad Adami peccatum omnes salvare homines, præsupposito tamen primævi parentis peccato non amplius velit, voluntate etiam antecedenti, salvare ullos reprobos, utpote quibus nullam gratiam sufficientem confert, qua salutem æternam possint adipisci. F. autem Berti, quamvis cum Jansenio nullam in reprobis agnoscat vere sufficientem gratiam, asserit, tamen quod Deus, etiam præsupposito primi hominis peccato, velit eos salvare, quia per mortem suam ad delenda omnia peccata abunde sufficientem Christus pro eis satisfecit, pro eis Sacramenta instituit, eis prædicari jussit Evangelium &c.

Hanc pretii sufficientiam admittit cum F. Berti Jansenius; sed iste paulo sincerior, ut jam dictum est supra, vult non ideo dici posse quod Christus pro salute reproborum mortuus sit. F. Berti e contra vult illud posse dici. Discrimen ergo illud non in re, sed in verbis dumtaxat reperitur.

V.

Nec est quod quis pro Fratre Berti reponat plures Theologos docere de voluntate antecedenti, quod respiciat remedia communia omnibus hominibus proposita, Passionem Christi, institutionem Sacramentorum, prædicationem Evangelii &c. Nam Theologum nostrum non arguimus eo quod asserverit hæc remedia omnibus proposita pertinere ad voluntatem Dei antecedentem, sed eo quod nullum alium effectum agnoscat hujus voluntatis, quo homines non prædestinati possint operari salutem, præsertim dum agitur de exponenda atque refellenda quinta Jansenii propositione. *Mortuus est itaque Salvator noster*, inquit eo in loco, ubi refellendam suscipit quintam propositionem Jansenii, *pro omnibus voluntate antecedenti, cujus effectus est institutio cujusdam ordinis complectentis causam & remedia, quibus possent peccata quæque remitti* ..... Et quibusdam interjectis; *ad generalem illam*, ait, *voluntatem, secundum quam Christus pro omnibus est crucifixus, fit est quod passio præcesserit, ut causa quædam universalis; sive instituerit remedia, quibus, si applicentur, deleri potest qualecumque peccatum.* Ea autem remedia virtute voluntatis antecedentis non applicari contendit, ac proinde etsi asserat F. Berti Deum velle voluntate antecedenti omnes homines, nemine prorsus excepto, salvari, non ideo vult iis omnibus conferri, offerri, aut saltem præparari gratias interiores ad salutem vere sufficientes.

Berti tom. 3. lib. 17. cap. 4. pag. 354.

Ibid. pag. 355.

Et quidem F. Berti in suo systemate duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum superioritate invincibilium, nullas admittere potest interiores gratias, quibus salus æterna reprobis reddatur possibilis; nam illæ gratiæ, vel sunt cupiditate superiores, vel non: si cupiditate superiores sunt, pertinent ad prædestinatos, cum suum habeant invincibiliter effectum: si non superiores, cupiditatem vincere non possunt, nec proinde salutem reddere possibilem.

Itaque dum in loco supra laudato F. Berti ait, *quod omnes homines, tam justi quam impii, donec vivunt, in via, qua ad salutem pervenire possunt, collocantur*, nihil aliud intendit quam omnes homines, donec vivunt, posse gratiam recipere; sed eam non recipiunt illi qui ad salutem non perveniunt, nec eam sibi advocare possunt. Constituuntur in via qua ad salutem pervenire possunt: sed quid ipsis prodest, si hanc salutis viam ingredi non possint, nec in ea ambulare?

Addit quod *omnes jus habent accedendi ad Ecclesiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gratiam quam hæc efficiunt:* sed quid juvat illud prætensum jus, si illo non possunt uti absque gratia, qua carent?

Omnibus, inquit, *prædicatum est Evangelium;* sed prædicatio Evangelii, si non adsit interior gratia, eaque, juxta Fratrem Berti, gradibus superior, salutem non reddit possibilem.

Omnibus, ait, *est exhibita misericordia*: sed si hæc misericordia auxiliorum exteriorum exhibitionem non excedat, certe per eam salus æterna non redditur possibilis.

Omnibus quoque sunt *præparata divinorum beneficiorum munera*, pergit F. Berti, & hic latet æquivocatio, quæ paucis enucleanda est, si per hanc præparationem divinorum beneficiorum significare vellet, quod iis quibus non sunt collata, vel oblata auxilia gratiæ, præparata tamen fuere ex parte Dei, ita ut eorum exhibitio impedita sit a causis secundis libere agentibus, sane Orthodoxe sentiret Theologus noster: verum hanc expositionem loco supra citato ipsemet rejicit. Nihil aliud ergo his præparatis divinorum beneficiorum muneribus intelligere potuit, quam illa auxilia generalia pro omnibus universim instituta, & omnibus proposita, absque tamen ullis internis gratiis ad salutem vere sufficientibus.

Denique asserit Deum voluntate antecedenti velle salutem omnium omnino hominum, in eo sensu quod *pro omnibus Christus abunde cumulateque satisfecit, & pretium redemptionis exhibuit*. Sed hanc esse Jansenii & Jansenistarum expositionem vidimus in priori hujus operis parte.

Itaque F. Berti hoc exquisito atque fucato verborum apparatu nihil aliud significat quam Christum pro omnibus mortuum esse, 1. quantum ad sufficientiam pretii. 2. quantum ad communitatem causæ, scilicet quantum ad causam generis humani susceptam, assumptamque naturam humanam omnibus communem, & alia generalia salutis media toti humano generi proposita atque concessa. Sed hanc antecedentem voluntatem nullas complecti contendit interiores gratias ad salutem vere sufficientes, ac proinde nullas gratias ad salutem vere sufficientes fuisse ulli singulari reprobo præparatas.

VI.

Mentem suam clarius adhuc manifestat dum alio in loco probare aggreditur hanc voluntatem salvandi omnes esse in Deo veram, propriam atque sinceram. *Voluntas antecedens*, inquit, *dicitur comparative ad institutionem mediorum quibus omnes salvari possunt: hoc autem est aliquod vere bonum, quod est objectum voluntatis sinceræ & propriæ: ergo est in Deo sincera & propria voluntas illa antecedens salvandi omnes.* Notandum quod hic F. Berti admittat, non collationem mediorum, quibus reprobi salvari potuissent, sed dumtaxat eorumdem mediorum institutionem.

Berti tom. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 389. & 390.

Porro in cujus mentem venire potest, si sola excipiatur Bertiniana mens, satis esse, ut Deus dicatur velle salutem omnium, quod media instituerit, quibus etiam reprobi salvari possint, si ipsis reprobis ea nunquam auxilia conferantur? Præterea per hanc institutionem mediorum non intelligit Theologus noster, ut patet ex supradictis, auxilia ad salutem vere sufficientia alicui ex reprobis concessa, sed solummodo illa auxilia generalia quæ toti humano generi universim proponuntur.

Dein-

Deinde ita prosequitur. *Vere Deus omnes ad agnitionem veritatis invitat: omnibus, si velint, Ecclesiæ sacramenta dispensat: pro omnibus redemptionem dedit Unigenitum suum.* Hæc quoque auxiliorum generalium toti humano generi universe concessorum limites non excedunt: non excedunt quoque ea quæ deinde ait de voluntate Dei antecedente, quod *impletur in aliquo ordine, & semper effectum proprium & immediatum consequitur, primum scilicet, qui est ordinare Creaturam in suum finem, eamque in via constituere salutis.* Addit deinde; *Jansenius vero*, ait, *voluntatem hanc generalem a statu naturæ lapsæ prorsus ablegat.* Jansenius certe voluntatem hanc generalem a statu naturæ lapsæ nunquam ablegavit: nunquam negavit, nec negare potuit Evangelii prædicationem, Sacramentorum institutionem, aliaque generalia salutis media fuisse toti humano generi universe concessa. Tribuit ergo F. Berti errorem Jansenio, quem rejicit Novator iste, ut impune tueri possit, & a censura immunem reddere, si posset, hæresim in quinta propositione damnatam.

VII.

Verum F. Berti, dum adversariorum objectiones diluere tentat, non aliam tradit voluntatis antecedentis notionem, quam quæ supra tradita est, & quam more suo restringit ad externa illa & generalia auxilia universe proposita. In responsione enim ab object. 1. exponens hunc Apostoli textum, *Deus omnes homines vult salvos fieri*, sic eam voluntatem interpretatur. *Postrema expositio est*, inquit, *Deum contuliisse humano generi in universum auxilia quamplurima externa, quibus suam pro omnium salute curam ac sollicitudinem significavit, nimirum legem omnium menti inscriptam, exemplum ac redemptionem Christi, prædicationem Apostolorum, orationes Ecclesiæ, sanctorum virorum merita ac labores*: Mitto tres alias quas profert Theologus ille expositiones, quia pertinent ad voluntatem, non antecedentem, sed consequentem.

Ibid. pag. 392.

Et in responsione ad object. 4. *Respicit* (Deus) *voluntate antecedente*, inquit, *rationalem Creaturam universim, eamque visceribus misericordiæ & charitatis complectitur: consequenti vero hæc vel illa individua &c.*

Ibid. pag. 395.

Et in responsione ad 5. object. ait etiam, *Deum singulis hominibus quantumvis scelestissimis communia saltem media præbere.*

Ibid. pag. 396.

VIII.

Hanc voluntatis antecedentis expositionem tradidit F. Berti tomo primo, libri quinti cap. 1. ubi hanc quæstionem agitat; scilicet, *An divinum beneplacitum erga singulorum hominum salutem versetur.* In tertio autem tomo dum exponendas atque refellendas aggreditur quinque Jansenii propositiones, eandem iisdemque fere terminis tradit illius voluntatis antecedentis expositionem. Nam post laudata quædam divi Thomæ testimonia: *Ex qua præclara D. Thomæ doctrina*, inquit, *tria consectaria inferuntur; Primum est, quod ad generalem illam voluntatem, secundum quam Christus pro omnibus est crucifixus, sat est quod Christi passio præcesserit, ut causa quædam universalis, sive instituerit remedia, quibus, si applicentur, deleri potest qualecumque peccatum: non est autem necesse ut applicentur reapse, ideoque ex morte Christi pro omnibus non consequitur aut gratiam, aut fidem, aut charitatem a singulis hominibus actu participari.*

Berti tom. 3. lib. 17. cap. 3. pag. 346. & seq. Ibid. pag. 355.

Si ex morte Christi pro omnibus non consequitur gratiam a singulis hominibus actu participari, ergo ex ea non consequitur reprobis collatas fuisse gratias ad salutem sufficientes, quas tamen admittere necesse est, ut dici possit Christum pro salute nonnullorum saltem reproborum esse mortuum, ac consequenter ut ejureur quinta Jansenii propositio.

IX.

Alterum (consectarium) pergit F. Berti, *est quod ut aliquis dicatur redemptus debet esse in eo statu in quo aut possit conjungi cum Christo, ut sunt infideles & increduli; aut conjungatur reapse, ut sunt fideles & recti.* Legi debet forsan justi.

Hæc secunda Fratris Berti observatio ad præsentem non pertinet quæstionem, & ab eo dumtaxat in medium adducitur, ut dæmones & damnatos a redemptione Christi excludat.

X.

Tertium quod consequitur est, pergit idem Theologus, *voluntate sequente, cujus effectus est applicatio fructuum passionis Christi, non omnes fuisse redemptos æqualiter, quia non omnibus indiscriminatim eodem modo passio Christi applicatur, sed aliquibus gratia sufficiens, aliquibus gratia efficax, aliquibus etiam donum finalis perseverantiæ.*

Hic aperte significat F. Berti gratiæ sufficientis largitionem pertinere, non ad voluntatem antecedentem, sed ad voluntatem consequentem; unde sic argumentari licet. Largitio gratiæ sufficientis, juxta Fratrem Berti, non pertinet ad voluntatem antecedentem, ergo ex voluntate antecedenti, quam in Deo admittit, salvandi omnes homines, nullatenus inferri potest quod Deus ulli reprobo contulerit gratias ad salutem sufficientes; ergo F. Berti admittendo hanc antecedentem voluntatem salvandi omnes homines non ejurat hæresim in quinta propositione damnatam, nec profitetur dogma ab Innocentio X. in censura quintæ propositionis Jansenianæ definitum.

XI.

Sed esto, objiciet fortasse aliquis, quod F. Berti locis supra laudatis non ejuret hæresim quintæ propositionis: esto quod non profiteatur dogma a Summo Pontifice in censura quintæ propositionis definitum, inde tamen colligere non licet quod amplexus sit ipsam hæresim damnatam.

Respondetur, ex iis locis præcise nos illum non arguere quasi ibi expresse propugnaverit hæresim quintæ propositionis, sed eum esse reprehensione dignum contendimus, imo de hæresi damnata valde suspectum, eo quod silentio prætereat, & quintæ propositionis legitimum, qui damnatus est, sensum, & dogma, quod vi censuræ propositionis hujusmodi definitum fuit a Summo Pontifice, in iis præsertim circumstantiis, in quibus exponere aggreditur propositiones Jansenii a Summo Pontifice damnatas; tunc enim *error cui non resistitur approbatur, & veritas cum non defensatur, opprimitur.* Et id in præsenti materia ita fit verum, ut hæresis, sicuti jam pluries dictum fuit, & nunquam satis repeti potest, ut, inquam, hæresis, quæ in quinta propositione damnata est, fluxu necessario fluat ex principio duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum superioritate invincibilium, cui principio F. Berti adhæret mordicus.

XII.

Cum tamen F. Berti alibi hanc eandem moveat quæstionem, dum de gratiæ sufficientis distributione agit, videndum an ibi clare doceat reprobis, saltem nonnullis, dari gratias ad salutem sufficientes.

Agens igitur de gratiæ distributione dissertationem suam septem perficit assertionibus, quarum nulla admittit, in aliquibus saltem reprobis, gratias ad salutem vere sufficientes: quod ut ostendamus singulas hic subjiciemus Theologi illius assertiones.

Prop. 1. *Deus pro omnibus ac singulis remedia salutis instituit, paravitque, exhibuit, & quantum est ex se nulli prorsus mortalium denegat supernas illustrationes aliarumque gratiarum beneficentissimam largitatem.* Berti tom. 3. pag. 440.

Hic affirmare prima fronte videtur F. Berti, non solum aliquibus reprobis, sed omnibus omnino hominibus dari gratias ad salutem vere sufficientes. Verum aliter res se debet. Nam hanc suam assertionem accipit in eo dumtaxat sensu, in quo docuit Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum, & Deum velle omnes homines salvos fieri, voluntate scilicet antecedenti, quæ nullas exhibet, juxta illum, gratias sufficientes, sed auxilia dumtaxat exteriora & generalia toti humano generi universim concessa. Sic enim hanc primam probat assertionem. *Quoniam Deus*, inquit, *vult omnes homines salvos fieri, & pro omnium salute tradidit Unigenitum filium suum. Igitur, quantum in se est, Deus optimus ac beneficentissimus omnes complectitur, omnibus miseretur, omnibus opitulatur.* Si ex eo quod Deus omnes homines salvos fieri velit, voluntate scilicet antecedente in sensu Fratris Berti intellecta, id est, voluntate quæ complectitur media dumtaxat exteriora, non autem gratias internas, easque ad salutem sufficientes, si, inquam, ex ea voluntate salvandi omnes sequatur Deum pro omnibus ac singulis remedia salutis instituisse, paravisse, exhibuisse &c. profecto hæc remedia salutis extra limites auxiliorum exteriorum toti humano generi communium non egredientur. Igitur F. Berti per hæc salutis remedia, quæ pro omnibus & singulis asserit esse instituta, parata, exhibita, nihil aliud intelligit quam remedia illa communia omnibus generatim hominibus, seu toti generi humano proposita atque concessa, nullatenus autem gratias internas, easque ad salutem vere sufficientes.

Prop.

Ibid. pag. 441. Prop. 2. Fratris Berti. *Non eſt de fide quod auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum omnes reapſe recipiant.*

Veriſſima eſt hæc aſſertio; nam quod non omnes reapſe recipiant auxilium gratiæ certiſſimum eſt, ſaltem de infantibus abſque baptiſmo ante uſum rationis morientibus. Quod autem auxilium illud gratiæ recipiant omnes adulti, ut pervenire poſſint ad fidem, non eſt definitum, imo contrarium docent ſatis communiter Theologi de iis quos vocant negative Infideles. Quidquid autem ſit de his Theologicis quæſtionibus, evidentiſſimum eſt, quod ex ſecunda Fratris Berti propoſitione non poſſit inferri nonnullis ſaltem reprobis dari auxilia ad ſalutem ſufficientia.

Ibid. pag. 442. Prop. 3. *Non eſt neceſſaria ad imputationem peccati præſens & actualis divinæ gratiæ inſpiratio.*

Nec ex iſta propoſitione ſequitur etiam reprobis, ſaltem nonnullis, concedi gratias ad ſalutem vere ſufficientes. Quis e contra non videat Fratrem Berti hanc aſſertionem aliis verbis ideo intexere, ut aures Chriſtianæ Bertiniano ſyſtemati non aſſuefactæ illius doctrinam de gratiæ ſufficientis denegatione minus ægre ferant, & benignius ſuſcipiant? Et non ſolum contendit actualem gratiam ad imputationem peccati non requiri, ſed addit hominem etſi neceſſitetur ad peccandum in genere, atque ideo peccatum vitare non poſſit, libere tamen agere & peccare, modo non neceſſitetur ad illud peccatum in ſpeciali, ſed poſſit inter duo peccata unum eligere præ alio. *Sufficit*, Berti ibid. pag. 442. inquit, *ad merendum vel demerendum libertas indifferentiæ quoad exercitium, non requiritur quoad ſpecificationem, ſive ſatis eſt, ſi adſit libera poteſtas agendi vel non agendi quod opere ipſo exercetur. At hæc libera poteſtas reperitur in iis etiam qui ſufficienti gratia ſunt deſtituti ..... Igitur demereri poſſunt & revera peccant. Minorem propoſitionem ſequentibus momentis demonſtro. Sit primum. Liberam habemus arbitrium ad malum ſine gratia, non enim ad hoc vel ad illud privatum, noxium, ac prohibitum opus voluntas eſt naturaliter determinata*, &c.

Prop. 4. *Cuilibet fideli, niſi libere ponat obicem, adeſt gratia orationis, qua impetrare poteſt auxilium immediate ſufficiens ad implenda mandata: hac tamen gratia deſtitutus eſt Infidelis.*

Hac aſſertione videtur F. Berti confiteri gratias ſufficientes cuilibet fideli, ac conſequenter pluribus reprobis concedi; ſed ſi ejus doctrinam penitius perpendamus, evidenter patebit eum revera non admittere gratias ſufficientes cuilibet fideli conceſſas.

Advertenda eſt enim hæc clauſula, *niſi libere ponat obicem*; nam hic obex vel eſt in poteſtate voluntatis, ita ut poſſit illum ponere vel non ponere: vel non eſt in poteſtate voluntatis. Si obex ille ſit in poteſtate voluntatis, ſi voluntas hominis illius fidelis poſſit illum ad libitum ponere & non ponere, profecto F. Berti aſſerendo quod cuilibet fideli adſit gratia orationis, niſi libere obicem ponat, admitteret in quolibet fideli gratias ad ſalutem vere ſufficientes. Sed hæc non dicit Theologus noſter; imo principiis ejus directe adverſantur; nam obex ille quem homo ponit recipiendæ gratiæ orationis eſt peccatum: ſic ergo intelligi debet hæc clauſula, *niſi homo peccando illa gratia orationis ſeſe reddat indignum*. Porro cum in ſyſtemate Bertiniano abſque gratia a peccato non poſſimus abſtinere, ſenſus illius aſſertionis eſt, nec alius eſſe poteſt, niſi quod cuilibet fideli, ſi gratiam habeat qua vitet peccatum, non deſit gratia orationis. *Non poſſumus*, inquit, *aut peccatum* Berti tom. 3. lib. 18. cap. 5. *vitare, aut tentationem aliquam ſine gratia vincere undequaque, id eſt, æquo moderamine, ita ut motus ſenſuum compeſcantur, & frænetur appetitus rebellis*. Si ſine gratiæ adjutorio non poſſumus vitare peccatum, nec quoque abſque illo poſſumus gratiæ orationis obicem non ponere. Igitur F. Berti aſſerendo quod cuilibet fideli adſit gratia orationis, niſi libere ponat obicem, nihil aliud dicit, niſi quod cuilibet fideli adſit gratia orationis, ſi præceſſerit gratia qua abſtinuerit a peccato. Cum autem hæc gratia qua abſtinetur a peccato non magis ſit in poteſtate voluntatis, quam gratia orationis, ex iſta Bertiniana aſſertione nihil aliud ſequitur, niſi quod gratia orationis, quam cuilibet fideli liberaliter tribuere videtur, illi dumtaxat adſit, cui antecedenter conceſſa eſt gratia vitandi peccatum. Nonne fallax & illuſoria eſt omnino ejuſmodi aſſertio?

Ibid. pag. 446. Prop. 5. *Nullus abſque gratia per ſe efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.*

Certum eſt quidem, in ſententia illorum qui cenſent gratiam eſſe per ſe efficacem, neminem habere potentiam conjunctam cum actu ſine gratia per ſe efficaci: ſed ut F. Berti mentem ſuam aperiret circa gratias ad ſalutem ſufficientes nonnullis ſaltem reprobis conceſſas, de iis aliquid ſubjicere debuiſſet. Illius ergo iis in circumſtantiis ſilentium grandem de fide ipſius nobis injicit ſuſpicionem.

Verum quod abſque gratia efficaci homo orandi non habeat potentiam, etiam ab actu ſejunctam, aperte innuit, dum paulo poſt ait, quod *ſine adjutorio quo, ſive gratia per ſe efficaci, non poſſumus præſumptionem vitare, & carnem reprimere concupiſcentem adverſus ſpiritum*. Et deinde contendit quod abſque gratia efficaci orare non poſſumus potentia ab omni impedimento expedita. *Si præterea*, inquit, *orare poſſimus* Ibid. pag. 447. *abſque gratia efficaci, potentia ab omni impedimento expedita, non abſurdum erit aſſerere, quod unum diſtinguit ab alio oratio ſua.*

Prop. 6. *Eſt probabilior ſententia, auxilia, quæ* Ibid. pag. 448. *omnibus divina munificentia paravit, quibuſdam aliquando deeſſe ob impedimenta quæ objicit humanum demeritum.*

Ibi aſſerit F. Berti quibuſdam deeſſe auxilia divinæ gratiæ; ex hac igitur aſſertione concludi non poteſt nonnullis ſaltem reprobis dari gratias ad ſalutem vere ſufficientes. Sola ſupereſt expedienda aſſertio ſeptima, ut videamus utrum tandem admittat in nonnullis ſaltem reprobis gratias ad ſalutem vere ſufficientes.

Prop. 7. *Quiſquis non adjuvatur a Deo per gratiæ* Ibid. pag. 455. *ſubminiſtrationem, queri debet de prava ſua voluntate, non de Deo ipſo beneficentiſſimo gratiarum ſuarum largitore.*

Hic quidem docet F. Berti quod ſi Deus deneget gratiam ſuam, de illo perperam & injuſte quereretur homo. An autem aliquibus ſaltem reprobis concedatur gratia, qua illis ſalus reddatur poſſibilis, a ſententia ſua dicenda artificioſe abſtinet, ne forte ſibi ipſi aperte contradicat.

XIII.

Nec magis Orthodoxe ſentit, dum objectiones refert ac refutare conatur. Varia quidem ſibi ipſi objicit ſacræ ſcripturæ teſtimonia, quibus dicitur Deus omnes hortari ut ad eum convertantur: ſtare ad oſtium & pulſare: nolle aliquos perire: pro omnibus filium ſuum tradidiſſe: illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: neminem ſe abſcondere a calore ejus. Præterea: *Quid eſt*, inquit Domi- Berti ibid. pag. 456. nus Iſaiæ quinto, *quod debui ultra facere vineæ meæ?* Et ipſemet Chriſtus Matt. 23. *Quoties volui congregare Filios tuos*. His autem omnibus teſtimoniis ita reſpondet. *Generalis reſponſio eſt principio*, inquit, *Deum, quantum in ſe eſt, gratiam ſingulis paraviſſe, illam exhibere univerſis, conferre etiam volentibus & petentibus, & reluctationem, tenebras, cæcitatem pendere ab humanæ voluntatis arbitrio.*

Verum hæ gratiæ ſingulis præparatæ & exhibitæ nihil aliud ſunt, juxta illum, ut jam demonſtratum eſt, præter gratias illas exteriores toti generi humano communes: addit tamen Deum gratiam ſuam conferre volentibus & petentibus; ſed ſi eam nec velle, nec petere poſſint reprobi abſque ſubſidio interioris gratiæ, quam non habent, nec ſibi advocare poſſunt, profecto ſalus non redditur illis poſſibilis. Aſſerit denique F. Berti reluctationem, tenebras, cæcitatem pendere ab humanæ voluntatis arbitrio. Sed in quo ſenſu? Confitetur ne hominem gratia victrici deſtitutum poſſe non reluctari, aut tenebras & cæcitatem a ſe depellere? Nequaquam. Fatetur quidem hæc hominem poſſe, ſed in eo dumtaxat ſenſu; *Quoniam* Ibid. pag. 459. *Deus poteſt*, inquit, *illum gratia prævenire*. Sed ſi Deus, qui poteſt gratia ſua hominem prævenire, illum non præveniat, ſalus æterna ei non redditur poſſibilis. Ergo his verbis non aſſerit F. Berti ſalutem æternam reprobis reddi poſſibilem.

Docet inſuper Theologus iſte, Deum gratiæ ſuæ Ibid. auxilia *ſubminiſtrare nullum ponentibus impedimentum*; pag. 465. ſed immediate poſt hæc verba addit, *quamquam iſtud* (ſcilicet impedimentum) *non ponere aut removere munus ſit gratiæ, quæ aliquibus denegatur*. His ergo verbis nullam aſſerit reprobis gratiam, qua reddatur illis poſſibilis ſalus æterna.

Et poſt pauca. *Reſpectu bonorum operum*, inquit, Ibid. pag. 466. & 467. *ſentio carentem auxilio ſufficienti non habere potentiam proximam, peccare tamen illorum occaſione, quoniam ejus impotentia eſt libere volita: nam ideo non poteſt, quia per pravam erga malum voluntatem ponit potentiæ proximæ impedimentum*. In memoriam revocare debemus hoc impedimentum quod peccator ponit per peccatum, non libere poni, quidquid in contrarium dicere videatur F. Berti; nam licet in illius ſyſtemate poſſit abſtinere ab hoc vel illo peccato in particulari, abſtinere tamen non poteſt a peccato aliquo in genere perpetrando.

XIV.

Ex dictis in hoc articulo inferre licet F. Berti, in tribus quos discutiendos suscepimus articulis, nullam in reprobis admisisse gratiam, quæ ad salutem vere sufficiat, sive in libri quinti cap. 1. ubi inquirit an divinum beneplacitum erga singulorum hominum salutem versetur, sive in libri 17. cap. 3. ubi probare aggreditur damnatam esse merito quintam Jansenii propositionem, sive denique in libri 18. cap. 8. ubi agit de variis Theologorum placitis circa sufficientia auxilia pro omnibus instituta. Constans est ubique Theologi illius doctrina, nullasque admittit in reprobis gratias vere sufficientes, quibus salutem æternam obtinere possint.

ARTICULUS XII.

Totius Operis summaria collectio.

F. Bellelli & Berti Jansenismi convincendos suscepimus: propositum nostrum jam assecutos existimamus, si, ut arbitramur, demonstraverimus eos adoptasse primo famosum illud ac toties decantatum Jansenii principium de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum superioritate invincibilibus: ex quo principio tanquam rivuli a fonte fluunt ab Innocentio X. damnatæ in Jansenio quinque propositiones. Secundo si jam etiam demonstratum fuerit hos Theologos amplexos fuisse doctrinam in his quinque propositionibus damnatam.

I.

Quod autem attinet ad principium duarum delectationum indeliberatarum & pro graduum superioritate invincibilium, illud a F. Bellelli fuisse assumptum ex his quæ dicta sunt satis superque eruitur. *Instillat quippe*, ait loco supra citato, *carnalis cupiditas in cor hominis suas delectationes illicientes trahentesque ad malum, sicut suas quoque gratia sanctas delectationes inspirat retrahentes a malo ..... Ne tamen arbitrium primo pulsu per concupiscentiam agitatum ad pravas flectatur illecebras, gratia pugnat, & si fortior est vincit, facitque invincibiliter ut libera facultas adjuta suo nutu concupiscentiæ delectationibus resistat, bonoque supremo magis delectanti consentiat. Sed parva interdum gratia & invalida, quamvis ad bonum excitet stimuletque, a fortiori cupiditatis delectatione superatur.* Vide supra art. 2. n. 3.

Hinc clarissime exponitur lucta cupiditatis & gratiæ, quarum ea quæ fortior est alteram vincit. Illos autem motus, tum cupiditatis, tum gratiæ, conceptis verbis asserit esse indeliberatos. Quod autem invincibilis sit illa e duabus delectationibus quæ gradibus superat alteram asserit in loco modo laudato; nam de gratiæ delectatione sic habet, *facitque invincibiliter*, inquit, *ut libera facultas concupiscentiæ delectationibus resistat*. De delectatione autem cupiditatis docet quod vinci non possit a delectatione gratiæ, si ista non præponderet cupiditatis affectui. *Et si non præponderet*, inquit, *quomodo illam vincere posset?* Vide supra ibid. n. 2.

Et quidem quod invincibilem velit esse delectationem illam quæ gradibus superat alteram, patet ex eo quod illud de duabus delectationibus principium firmare nitatur hac S. Augustini sententia male intellecta: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*; ac proinde contendat voluntatem necessario obsequi delectationi, quæ gradibus actu superat alteram. Vide supra ibid. n. 5.

Præterea illa gratia vincere non potest concupiscentiam, quæ ad illam vincendam viribus non pollet sufficientibus; atqui talis est illa gratia relative ad concupiscentiam ardentiorem ac robustiorem; nec tunc illi gratiæ aliud nomen imponit F. Bellelli, quam gratia parva, quam gratia invalida, qua scilicet eam non putat habere vires sufficientes ad debellandam oppositam concupiscentiam, & homo illa dumtaxat gratia instructus non magis potest frænare concupiscentiam, quam videre possit ille cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ. Nemo sane, si sinceræ sit fidei, inficiari potest hominem illum his in circumstantiis positum vera laborare videndi impotentia; ergo eadem omnino concupiscentiæ vires infringendi impotentia laborat ille, cui inest tantum gratia gradibus inferior. Nam, ut superius dictum fuit, a F. Bellelli hæc instituitur comparatio, qua vult hominem gratia parva instructum posse concupiscentiæ resistere eodem prorsus modo, quo homo, cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ, potest videre. Consectaria enim, quæ ex hac similitudine subsequuntur, jam superius deduximus. Vide supra n. 3.

Insuper *gratia efficax Salvatoris*, nempe gratia cupiditate superior, *statuitur* a Fratre Bellelli, ut *infirmitati per peccatum relictæ succurrat, nempe concupiscentiæ, quæ ineluctabili pondere voluntates nostras sibi ipsi relictas sub Dæmonis potestate devincit*. Igitur quamdiu voluntas gratia gradibus superiore destituta est, ineluctabili concupiscentiæ pondere devincta subjacet; ac proinde quamdiu concupiscentia gradibus superat gratiam, voluntas illi non potest resistere. Vide supra art. 2.

II.

Admisso itaque a Fratre Bellelli pernicioso duarum Jansenianarum delectationum principio, doctrinam quoque in quinque propositionibus damnatam ut admittat necesse est; & quia gratias gradibus cupiditate inferiores vult esse invalidas, & cum eis hominem non magis posse operari bonum & mandata servare, quam videre possit ille cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ, ideo diffiteri non potest homini gratia efficaci destituto mandata Dei esse impossibilia, ac proinde illa esse impossibilia omnibus qui ea transgrediuntur, etiam volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, deesse quoque illis gratiam qua possibilia fiant. Hæc est prima Jansenii propositio.

III.

Diffiteri quoque non potest interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti; non gratiæ cupiditate fortiori; ut patet, non gratiæ cupiditate debiliori, quia effectus, ad quem inclinat gratia, non impeditur a voluntate, sed dumtaxat a cupiditate gradibus superiori. Hæc est secunda propositio.

IV.

Nec diffiteri potest ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione, nisi contendat simul hominem viatorem non esse liberum, nec mereri aliquid aut demereri, quod tamen certissime non admittet. Fatetur quidem hominem in hac vita liberum esse a necessitate quæ oritur ex objecto, qualis necessitas reperitur in Beatis, non vult tamen, nec velle potest illum quoque esse liberum ab illa necessitate quæ oritur ex delectatione, sive gratiæ sive cupiditatis quæ actu præponderat alteri; imo conceptis verbis asserit necessitatem illam, quia est accidentalis & adventitia, non officere libertati, quasi necessitas illa, etiamsi inducta sit per peccatum Adami, ut falso contendit, minus sit vera & proprie dicta necessitas, quam ea quæ oriretur ex primæva institutione. Vide dicta superius art. 4. hujus posterioris operis. Docet ergo quod ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiratur libertas a necessitate vera & proprie dicta; ac proinde tuetur doctrinam in tertia Jansenii propositione damnatam.

V.

Docet etiam doctrinam in quarta damnatam propositione; doctrina enim damnata in quarta propositione est, quod voluntas humana non possit divinæ gratiæ resistere vel obtemperare, sive illa sit gradibus inferior cupiditate, sive superior. F. autem Bellelli conceptis verbis asserit voluntatem humanam non posse resistere gratiæ gradibus superiori. *Augustinus*, inquit, *non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, & insuperabili, quæ dat velle & perficere, arbitrium minime posse resistere scripsit*. Et decretum Concilii Tridentini, quo definitur hominem abjicere posse divinam Spiritus Sancti inspirationem, interpretatur de gratia pure sufficienti, quasi Sancta illa Synodus solum definierit quod homo abjicere possit gratiam illam quam revera abjicit. Quid fingi potest ineptius? Vide quæ dicta sunt supra art. 2. §. 2. Bellelli de modo repar. lib. 2. cap. 16.

VI.

Constat denique ab errore quintæ propositionis non recessisse Fratrem Bellelli, cum ex doctrina sua ratum certumque sit Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse. Nam Christus pro iis dumtaxat mortuus est, quibus salutem reddidit possibilem: atqui salus in systemate Fratris Bellelli, solis dumtaxat prædestinatis possibilis est, cum soli gaudeant beneficio gratiarum illarum gradibus superiorum, quibus & adversam possunt frænare concupiscentiam, & æternam sibi comparare salutem; ergo Christus pro solis dumtaxat prædestinatis mortuus est. Quod si eo pro-

progrediatur, interdum, ut agnoscat aliquam esse in Deo antecedentem pro salute omnium hominum voluntatem, salvus tamen ac integer damnatus subsistit error, cum virtute antecedentis hujus voluntatis non conferantur reprobis gratiæ illæ gradibus superiores, quibus soli suam possent operari salutem. Si tandem fateatur, urgente lege, Deum illos juvare sufficienti possibilitatis gratia, profecto perinde est ac si non juvarentur, cum nihil ipsis adveniat ad salutem subsidii. Nam per hanc sufficientem possibilitatis gratiam nihil aliud intelligit, quam gratias cupiditate gradibus inferiores, quam gratias illas, ut ipse vocat, parvas & invalidas, quibus qui instructus est non magis potest suam operari salutem, quam videre possit ille, cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ; ac proinde gratias quæ non dant veram præcepta adimplendi potentiam, gratias, quibus in rei sinceritate æterna salus, nec est, nec esse potest possibilis, & quibus tandem nullus reprobus salvari potest. Et hæ sunt hæreses, quas cum Jansenio docuit F. Bellelli.

Eandem quam F. Bellelli doctrinam secutus est F. Berti; nec mirum, inter hos duos socios commune semper extitit opinionum consortium. Iste quoque, ut jam vidimus, famosum amplexus est Jansenii principium de duabus delectationibus indeliberatis atque pro graduum superioritate invincibilibus. Docuit enim in lucta duarum delectationum, gratiæ scilicet & cupiditatis, illam esse victricem quæ gradibus superat alteram. *Cum trahatur animus*, inquit, *delectatione sancta & noxia, nunquam se inclinabit in unam potius quam in alteram, sed pendebit anceps, donec una fit altera robustior, eamque deprimat.* Et consequenter contendit eandem numero gratiam esse modo victricem, modo inefficacem, prout concupiscentia cum qua luctatur debilior est vel fortior. *Nos*, inquit, *eandem numero delectationem, quæ in aliquibus minus obcæcatis atque obduratis, v. g. in Tyriis Sidoniisque foret efficax, & ad pœnitentiam traheret, in aliis majori cæcitate & obduratione affectis inefficacem contendimus.* Quod ut clarius exponat, addit, *gratiam gradualitatem habere.*

Berti tom. 3. lib. 14. c. 11. pag. 203.

Berti ibid.

Quod autem motus cupiditatis sint indeliberati propria & infausta unusquisque experientia fateri cogitur. De gratia efficaci vero speciatim docet, *illam esse sanctam delectationem indeliberatam a Deo excitatam in corde hominum*, eamque *prævenire motum voluntatis* asserit.

Berti t. 1. l. 4. c. 13. pag. 3. Berti t. 3. l. 14. c. 8. pr. 2.

Has denique delectationes vult esse invincibiles: adoptat enim hoc Augustini effatum in sensu Jansenii intellectum: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Augustinus*, inquit, *docet nos necessario sequi quod magis delectat*, illudque effatum applicat gratiæ gradibus superiori. *Sequitur*, inquit, *ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat.* Invincibiles sunt ergo, juxta F. Berti, hæ duæ delectationes, delectatio scilicet gratiæ, quando illa fortior est cupiditate, & delectatio cupiditatis, dum illa gratiam gradibus superat.

Berti ibid. cap. 11. pag. 201. Berti ibid. cap. 8. pag. 156.

Unde per gratiam gradibus debiliorem non aliam agendi potentiam conferri pertendit, quam potentiam remotam. *Potentia remota*, inquit, *est in eo qui habet voluntatem parvam.* Remotam autem potentiam appellat illam, quæ remorante aliquo impedimento exerere non potest actum. *Est autem potentia remota*, ait, *quotiescumque expedite & immediate exerere actum non potest aliquo remorante impedimento.*

Berti ibid. lib. 17. c. 3. Berti ibid.

Docet quoque hanc gratiam gradibus debiliorem, quæ sola nobis superest, dum ardentiori concupiscentia premimur, non esse idoneam ad superandam cupiditatem: Fatetur quidem per eam dari nobis potestatem divina implendi mandata, sed tamen non ita validam & expeditam, ut ea impleri possint absque robustioris gratiæ, qua caremus, subsidio. Quapropter gratia hæc debilior capax tantum est voluntatem in nobis parvam & invalidam excitandi & producendi: unde mavult eam inefficacem potius quam sufficientem appellari.

Berti ibid. lib. 14. c. 8. pag. 149.

Ex his quæ admittit F. Berti, & quæ non respuit Jansenius, sequuntur famosæ quinque propositiones, quas pariter cum Jansenio admittat F. Berti necesse est. Nam si gratia debilior oppositam non possit vincere cupiditatem, ergo Dei præcepta impossibilia sunt iis omnibus qui gratia gradibus superiori carent: ergo & iis omnibus qui ea transgrediuntur: ergo *aliqua Dei præcepta hominibus*, etiam *justis*, etiam *volentibus & conantibus* virtute gratiæ cupiditate debilioris, *secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.* Et hæc est prima Jansenii propositio.

Ex iis sequitur etiam quod voluntas nunquam resistat interiori gratiæ; non quidem gratiæ gradibus superiori resistit, utpote cui, juxta illum, voluntas resistere non potest: non gratiæ gradibus inferiori, quia quod tunc non habeatur effectus ad quem voluntatem excitat, id nullatenus potest imputari voluntati, sed concupiscentiæ quæ, cum sit gradibus superior, impedit effectum gratiæ; ergo *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*; quæ est secunda Jansenii propositio.

Quod autem renovet etiam tertiam propositionem his conceptam terminis, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*, patet ex eo quod ad merendum & demerendum non requirat libertatem a quacumque vera & proprie dicta necessitate, sed duntaxat ab illa necessitate quæ oritur ex objecto, quæque reperitur in Beatis Deum intuitive videntibus, non autem requirit fidissimus ille Jansenii Asseela libertatem ab illa necessitate, quæ oritur, tum ex gratia, tum ex cupiditate pro graduum superioritate invincibilibus. Vide dicta supra art. 9.

Si in duarum delectationum, cupiditatis & gratiæ, conflictu, illa quæ gradibus inferior est, non possit superiorem oppositam vincere; ergo voluntas non potest obtemperare gratiæ gradibus inferiori; si autem illa quæ gradibus superior est non possit vinci, ergo illi resisti non potest, ac proinde *talis est gratia, cui non possit humana voluntas resistere vel obtemperare*, quæ est hæresis quartæ propositionis. Vide supra art. 10.

Quintam denique Jansenii propositionem, proscribens Innocentius X. definiit simul Christum pro nonnullorum saltem reproborum salute mortuum esse aut sanguinem fudisse. Ex ea definitione necessario sequitur, quod Deus illis conferat gratiæ auxilia, quibus sibi possint æternam comparare salutem. Hæc autem auxilia restringit F. Berti ad generalia illa, eaque exteriora, media toti humano generi, aut proposita, aut oblata, aut concessa, quibus sane possibilis non redditur æterna salus. Vide dicta supra art. 11.

Quod autem sensum in quinque propositionibus damnatum, scilicet sensum Jansenii, tueri velit quasi esset ab omni errore immunis, patet ex eo quod dum unamquamque singillatim propositionem expendit atque insectari simulat, unicuique sensum tribuat, quem non habent, nec habere possunt, & hac via errores Jansenii censuræ Pontificiæ subtrahere tentat. Quid disertius fingi potest, ut Jansenii doctrinam suam esse ostendat?

Non ergo immerito Jansenismum in Scriptis FF. Bellelli & Berti asserimus redivivum.

APPENDIX I.
AD TRACTATUS DE BAJANISMO ET JANSENISMO REDIVIVIS.

An purget se F. Bellelli de Bajanismo & Janseniſmo in ſuo poſteriori Tomo centum & unam Queſnellii Propoſitiones in Bulla UNIGENITUS *damnatas refellens ac confutans.*

QUAMPLURIMI, etiam non inferioris notæ, Theologi varia Novatorum effugia, variaque ſophiſmata non ſat habentes perſpecta, vix ſuſpicari poſſunt Fratrem Bellelli ex familia Auguſtiniana Doctorem Theologum, errores a ſummis Pontificibus in Bajo ac Janſenio damnatos renovaſſe, præſertim dum attendunt hunc Theologum in Operibus a ſe editis debitam omnibus Apoſtolicis Conſtitutionibus adverſus Baji, Janſenii, atque Queſnellii prava dogmata latis obedientiam aperte profiteri, ac etiam unum integrum volumen impendere, ut Queſnellii Propoſitiones centum & unam, in Conſtitutione a felicis memoriæ Clement. XI., quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, promulgata, proſcriptas atque Anathemate confixas ſigillatim refellat atque confutet.

Verum toti Bajano & Janſeniano ſyſtemati hunc Theologum adhærere nemini dubium eſſe poteſt, qui horum Novatorum prava dogmata perfecte edoctus Fratris Bellelli Libros, debita cum attentione ac diligentia, perlegere atque expendere voluerit.

Nonne tamen, dicet forſan aliquis in gratiam Fratris Bellelli, nonne Conſtitutionis *Unigenitus* vindicando æquitatem cenſendus eſt priores retractaſſe errores? Nequaquam. Nam tantum abeſt ut in hoc poſteriori tomo retractet priſtinos errores, ut e contrario eos implicite ſaltem confirmet atque renovet, cum nihil ibi dicat ad refellendas Queſnellii Propoſitiones, quod etiam non admittatur a Janſeniſtis æquivocationum apud ipſos uſitatiſſimarum ſubſidio.

Si enim conſtet Fratrem Bellelli ad vindicandam Bullæ *Unigenitus* æquitatem nihil afferre quod læris complexibus non recipiatur a Janſeniſtis, ac proinde omnem ab iſto Theologo illius Bullæ adverſus Hæreticos latæ vim enervari atque frangi; profecto non ſolum a Bajaniſmo & Janſeniſmo abſolvi non poterit, verum etiam illius hæreſis reum ſe eſſe demonſtrabit.

Porro Theologus iſte, dum damnatas Queſnellii Propoſitiones refellere aggreditur, vel earum legitimum & genuinum aſſignat ſenſum, & tunc eas non ſincere damnat, ſed ficte, quod ut aſſequatur, æquivocationes & effugia, quibus Novatores abuti ſolent, ipſe adhibet: vel eis extraneum atque a mente Queſnellii omnino alienum tribuit ſenſum, ut ſic errores Baji & Janſenii a Queſnellio renovatos Pontificiæ Cenſuræ ſubducere tentet.

Duo itaque nobis probanda incumbunt, nempe 1. A Fratre Bellelli ficte tantum & non ſincere damnari eas Propoſitiones, Bajanas aut Janſenianas, quarum legitimum ac genuinum aſſignat ſenſum. 2. Cæteras in extraneum & a mente Queſnellii prorſus alienum detorqueri ſenſum, ut ſic ſartus tectus reddatur ſenſus a Queſnellio intentus. Si autem hæc duo præſtiterimus, ſane Frater Bellelli, ut tollat a ſe Bajaniſmi & Janſeniſmi notam, hac ſua Propoſitionum in Queſnellio damnatarum confutatione nullatenus juvari poterit.

Advertendum eſt tamen inter damnatas Queſnellii Propoſitiones reperiri nonnullas, quæ in rigoroſo ac proprio verborum ſenſu Calvinianos & Lutheranos potius quam Bajanos aut Janſenianos renovant errores. Quia autem Queſnellius Calvinianum vel Lutheranum earum propoſitionum ſenſum ſe reprobare profitetur; ideo in his Propoſitionibus alium ſenſum, licet forſan occultiorem, indagare neceſſe eſt, nempe ſenſum Bajano & Janſeniano ſyſtemati conſentaneum. Hunc occultiorem ſenſum, eo quod indagare omiſerit eumque ſilentio præterierit F. Bellelli, non videtur reprehendendus; verum quia Bajanos & Janſenianos errores in aliis propoſitionibus clare & aperte enuntiatos nullibi rejicit ac refellit, profecto in hac Queſnellianarum Theſium confutatione Bajaniſmi & Janſeniſmi ſuſpicionem a ſe nullatenus cenſendus eſt removere.

Ut autem propoſitum aſſequamur ſcopum, omnes & ſingulas Queſnellii Propoſitiones quæ ad Bajaniſmum, vel ad Janſeniſmum aliquatenus pertinent, referemus, eo ipſo ordine quo in Conſtitutione Clementis XI. proſcriptæ ſunt, atque a Fratre Bellelli etiam confutatæ. Majoris autem claritatis gratia eas juxta materiæ diverſitatem in certos ac diſtinctos paragraphos diſpartiemur. Sit itaque

§. I.

De Gratia Sufficienti.

Error Queſnellii, ſicut & cæterorum Janſeniſtarum, eſt nullam aliam dari gratiam præter efficacem, non quod omnis gratia eum ſemper producat effectum ad quem excitat voluntatem, ſed in eo ſenſu quod gratia eum ſemper producat effectum, cujus producendi confert potentiam; & ideo duo diſtinguuntur ab eis genera gratiarum. Aliæ quæ ſunt gradibus ſuperiores cupiditate, ideoque efficaces ſimul & victrices: Aliæ quæ non ſunt cupiditate ſuperiores, atque hæ quidem, etſi non producant effectum ad quem excitant voluntatem, aliquem tamen effectum producunt juxta eos, illum ſcilicet quem ob reſiſtentiam cupiditatis gradibus ſuperioris producere duntaxat poſſunt. Has vocant gratias excitantes, parvas, debiles, invalidas.

Adverſus hunc errorem Catholici docent dari gratias quibuſcum voluntas vere poteſt operari bonum, etſi illud non operetur, & has ſufficientes vocant. Novatores autem, qui videri volunt Catholici, gratias admittere profitentur quas ore tenus ſufficientes vocant. Nam vere ſufficiens dici non poteſt gratia illa, quæ cum gradibus ſit inferior cupiditate, cupiditatem vincere non poteſt. Contendunt autem cum Janſenio voluntatem ſemper obſequi, imo reſiſtere non poſſe delectationi illi indeliberatæ (ſive gratia ſit ſive cupiditas) quæ gradibus alteram ſuperat; ac proinde Janſeniſtæ, qui Janſenii principium de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus amplectuntur, gratias vere ſufficientes nec admittunt, nec admittere poſſunt. Porro Frater Bellelli hoc exitioſum amplexus eſt principium. Vide Janſen. rediv. Part. 2. Art. 1. Docuit quoque gratiam gradibus inferiorem cupiditate veram reipſa non conferre poteſtatem operandi bonum; ideoque hanc vocat parvam & invalidam, & cum ea hominem non magis poſſe operari bonum, quam videre poſſit ille, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ. Vide ibid. Art. 2. §. 1.

His præſuppoſitis, ſupereſt inveſtigandum, in quo ſenſu Frater Bellelli refellat Queſnellii Propoſitiones, quæ huic Catholico Dogmati adverſantur, nimirum Propoſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 20. & 21.

Has jure merito refellit Propoſitiones Frater Bellelli, quia gratiam omnem ſufficientem excludunt, ſed cum gratias vere ſufficientes ipſe non admittat, eaſque ſufficientes vocare non poſſit, niſi ſubſidio æquivocationum a Janſeniſtis confictarum, ex his colligere eſt hunc Theologum, etſi genuinum ac legitimum iſtarum Propoſitionum aſſignet ſenſum, illas tamen non ſincere, ſed ficte rejicere.

§. II.

vide inf. fol. 60

AUGUSTINIANUM

SYSTEMA DE GRATIA

Ab iniqua Bajani, & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum,

SIVE REFUTATIO LIBRORUM,

QUORUM TITULUS

BAJANISMUS, ET JANSENISMUS REDIVIVI

IN SCRIPTIS

PP. FF. BELLELLI, ET BERTI

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

Eodem, qui ſecundo loco inſimulatur, auctore.

PARS ALTERA,

In qua Janſenianæ hæreſeos calumnia contunditur.

AUGUSTINIANUM
SYSTEMA
DE GRATIA

Ab iniqua Baiani, & Iansenii censura, infimulatione vindicatum,

SIVE REFUTATIO LIBRORUM

QUOS QUIDAM IUVENIS

BAIANISMUS, ET IANSENISMUS REDIVIVI

IN SCRIPTIS

PP. FF. BELLELLI, ET BERTI

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

Eodem, qui fecundo loco hilumlatur, auctore,

PARS ALTERA,

In qua Sanctissimae Ecclesiae Romanae constitutiones,

ſenii, atque Queſnellii prorſus alienos tribuit ſenſus; ut autem legitimum & genuinum harum Propoſitionum ſenſum merito damnandum atque damnatum a Cenſura liberet; de eo nullam habet mentionem, dum exponendas atque refellendas ſuſcipit Queſnellii Propoſitiones, eumque ſilentio valde culpabili conſulto præteriit.

Eundem errorem enunciant Prop. 39. 40. 41. & 42. ſed tantum abeſt ut ſenſum Queſnellii rejiciat F. Bellelli, doceatque eas omnes actiones quæ fiunt ex alio fine quam ex charitatis motivo, non eſſe peccata, ut e contrario expreſſe aſſerat dici poſſe quod quidquid bene amatur, hoc eſt, quidquid amatur inculpabiliter, charitate ametur, ſaltem virtuali.

* Bellelli in Prop. 40. Queſnel. §. 2.

* *Poteſt etiam*, inquit, *Auguſtini dictum* (ſcilicet quidquid bene amat, Charitate amat) *ſic accipi ut quidquid bene amatur, Charitate ametur, ſaltem virtuali quæ præceſſit, quæque moraliter in ſubſequentibus bonis durat operibus*. Quod autem hoc vocabulum *bene* accipiat hic non pro meritorio, ſed pro innoxio patet ex contextu ſermonis iſtius Theologi.

Quoniam autem iſtæ quatuor Propoſitiones in ſenſu rigoroſo acceptæ, exhibere poſſunt ſenſum etiam revera damnandum, quem Queſnellius ipſe rejicit,

** Plainte & Proteſt. n. 6.

ut patet ex iſtius Novatoris querela, ** adverſus Bullam *Unigenitus*, hos pravos ſenſus ſtudioſe ſcrutatur & exponit Frater Bellelli, ſed ſenſum Queſnelliano ſyſtemati conſentaneum de induſtria diſſimulat ſilentio.

Prop. 43. inter eas numerari quoque poteſt, in quibus Queſnellius nonnullos amplecti videtur Calvini errores, qui tamen a Janſeniano ſyſtemate diſcrepant, & ita plus forſitan aſſeruit quam aſſerere voluit. *Primus effectus gratiæ Baptiſmalis*, inquit, *eſt facere ut moriamur peccato, adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi*. In ea enim Propoſitione datur intelligi concupiſcentiam per baptiſmum omnino extingui, & juſtitiam in eo collatam eſſe inamiſſibilem, quem errorem adverſus Calvinum proſcripſit Tridentina Synodus. Ut autem hæc Propoſitio Queſnelliano accommodetur ſyſtemati dicendum foret gratiam baptiſmalem tamdiu hunc habere effectum, quamdiu ea in homine perſeverat & operatur per gratiam actualem, utpote cui juxta Janſenium non reſiſtitur, nec reſisti poteſt: ſed nimium diſtorta eſt hæc expoſitio, nec culpari poteſt F. Bellelli quod de ea ſiluerit. Certum eſt tamen quod hanc Propoſitionem exponens F. Bellelli, ſyſtema Janſenianum non magis impugnat quam dum cæteras exponere & refellere aggreditur.

§. VII.

De Propoſitione 44. Queſnellii.

Queſnellii Prop. 44. ſic habet:

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

Huic Queſnellianæ Propoſitioni ſimillima eſt Baji Prop. 38. *Omnis amor Creaturæ rationalis*, inquit Bajus, *aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

Senſum in his duabus Propoſitionibus damnatum eſſe, quod omnis actio quæ non fit ex motivo charitatis ſit peccatum, vide Bajan. rediv. Part. 1. Art. 3. §. 1.

Hunc tamen Propoſitionibus damnatis ſenſum F. Bellelli non aſſignat, ſed illis extraneos & a mente Baji atque Queſnellii prorſus alienos tribuit ſenſus. Vide dicta ibid. Part. 2. Art. 1. uſque ad n. 14. Imo Doctrinam in his Propoſitionibus damnatam ipſe amplexus eſt. Vide ibid. n. 1. 2. 3. & 4.

Et quia Queſnellii Propoſitiones a Propoſitione 44. uſque ad Propoſitionem 59. eundem errorem exhibent, ac renovant, F. Bellelli ſingulis fictitios quoque atque contortos tribuere ſenſus non veretur, nempe falſo contendit eas intelligi debere, non in eo ſenſu, quod omnia opera & omnes volitiones, quæ non fiunt ex motivo charitatis, ſint peccata, ſed in eo ſenſu quod omnes actiones extra charitatem ſanctificantem, omnes actiones peccatorum in ſtatu peccati exiſtentium ſunt peccata. Hoc nunquam docuere Bajus, Janſenius & Queſnellius. Vide dicta in Bajan. rediv. Part. 1. Art. 3. §. 1.

Sed quoniam nonnullæ ex his Propoſitionibus deflecti nullatenus poſſunt & detorqueri in ſenſum charitatis habitualis & ſanctificantis, contendit F. Bellelli ſummum Pontificem, has proſcribendo Propoſitiones, definiiſſe duntaxat dari quædam opera, quæ, licet peccaminoſa ſint defectu debitæ ordinationis ad ultimum finem, nempe Deum charitate amatum, ſunt tamen bona tam ex objecto, quam ex fine proximo; atque proinde erraſſe Queſnellium in eo quod voluerit nullas dari actiones quæ ratione objecti & finis proximi ſint a peccato immunes. Verum abſurda eſt & inepta omnino hæc expoſitio Queſnellianarum Propoſitionum; nunquam enim docuit nullas dari actiones, quæ ratione objecti & finis proximi ſint a peccato immunes. Et vero ſit in exemplum eleemoſyna mendico oblata ex motivo commiſerationis pure naturali. Quis unquam aſſeruit hanc actionem ratione objecti & finis proximi eſſe peccatum? Nec ergo voluit Queſnellius ejuſmodi actiones eſſe peccata ex objecto vel fine proximo. Nec definire voluit Summus Pontifex eas eſſe a peccato immunes. Sed contendit Queſnellius (& in hoc ſenſu fuit damnatus) eas actiones, quæ bonæ ſunt ex objecto & fine proximo, eſſe tamen peccaminoſas defectu debitæ ordinationis in finem ultimum, ſi non referantur in Deum charitate amatum. Hunc autem errorem ſilentio præterit F. Bellelli, ne & ipſe eadem Cenſura irretitus deprehendatur.

§. VIII.

De timore pœnarum æternarum.

Homines peccare, dum pœnas æternas timent, vel ex illo timoris motivo operantur, & a peccato abſtinent, niſi hi actus ulterius referantur in Deum charitate amatum, docuit poſt Janſenium Queſnellius, huncque errorem exhibent ac renovant damnatæ in Bulla *Unigenitus*, Propoſitiones 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. & 67.

Licet F. Bellelli, Queſnellianas Propoſitiones confutando, revera hunc errorem refellere ſimulet, illum tamen revera non rejicit. Docet enim conceptis verbis, * *quod timor qui juſtificationem præcedit, tamquam Spiritus Sancti donum, non eſſe queat ſine aliqua actuali dilectione & charitate, quæ omnia in debitum finem dirigat*. Et alibi: ** *Supernaturalis gehennæ timor*, ait, *ab inchoato & virtuali ſaltem amore juſtitiæ, ut Auguſtinus loquitur, ſoboleſcit*: Vide dicta Bajan. rediv. Part. 2. Art. 6. a n. 1. uſque ad num. 8. pag. 272.

* Bellelli de Status Creat. Ration. Lib. 1. Cap. 14.

** Bellelli de Modo Repar. Tom. 1. Lib. 5. Cap. 8.

Quo igitur modo, qua ratione Propoſitiones Queſnellianas refellere tentat? Primo dum Queſnellius in damnata Propoſitione pravum Dogma, non ſolum nude, ſed durioribus etiam verbis enuntiat, tunc F. Bellelli culpat quidem ea quæ nimis dure dicta ſunt, ſed in quo ſitus ſit error Queſnellii non exponit. Sic in Propoſitione 60. arguit Queſnellium quod aſſerat pœnitentiam, quam animat ſolus ſupplicii timor, eo magis ducere ad deſperationem, quo magis eſt violenta. An vero ſolus ſupplicii timor, deliberatus ſcilicet, ſi ſit ab omni amore Dei ſejunctus, ſit peccatum, illud ibi neque affirmat, neque negat F. Bellelli. Aſſerit quidem attritionem ex conſideratione turpitudinis peccati vel ex gehennæ metu conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti moventis impulſum, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Verum & hoc aſſerunt poſt Concilium Queſnelliſtæ omnes. Clarius autem mentem ſuam aperit F. Bellelli, dum refellere aggreditur Queſnellii Propoſitiones quæ ſequuntur.

Timor non niſi manum cohibet, ait Queſnellius Prop. 61. *& cor tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*. Hujus aſſertionis, *timor non niſi manum cohibet*, falſitatem probare contendit F. Bellelli, eo quod peccata, non ſolum externa, ſed etiam interna prohibeantur a Deo. Verum Queſnellius non negat actus etiam internos a Deo prohiberi, nec ullus unquam incuſavit eum aut ſuſpicatus eſt, quaſi docuerit prava deſideria lege divina non prohiberi. Nihil ergo prodeſt iſti Theologo ad confutandam Queſnellii aſſertionem dicere & ad nauſeam uſque repetere officium timoris eſſe interni mali fugam incutere, fugam indicere; gehennæ terrore, æternæque pœnæ horriditate Deum præſcribere utrumque vitandum malum, externum ſcilicet & internum; timorem æternæ pœnæ admonere nos utrumque fugiendum &c. Non enim negat Queſnellius prohiberi a Deo, pœnas æternas minitando, peccata interna, ſed negat ſolummodo harum timore pœnarum peccata interna cohiberi; hæc autem duo valde diverſa ſunt.

Huic tamen effugio non multum confidit F. Bellelli: Nam paulo poſt ut ſententiam Queſnellii a Cenſura liberet, aliam viam aggreditur, atque Propoſitioni 61. in Bulla *Unigenitus* proſcriptæ, ſenſum affingit a

mente istius Novatoris prorsus alienum; & quia hic error Quesnellii jam fuerat a Synodo Tridentina in Luthero damnatus, illius Synodi definitionem etiam eludere conatur, & ipsimet Luthero fallaciter adscribit doctrinam, quam rejicit ille Hæresiarcha. *Aliud est*, inquit F. Bellelli, * *gehennæ timorem, quantum est ex se se, fugam interni mali non incutere, aliud vero quod suo timens vitio timorem effectu vacuum reddat, intimo ad peccatum retento affectu solam manum cohibeat. Primum falsum est, quia timor gehennæ, quantum sua interest, suo nempe inspecto officio, & substantia, id omne fugiendum dictat quod gehennæ pœnam meretur. Secundum interdum accidit; at tunc non vitium timoris est, sed timentis. Primum vero asserebat Lutherus .... Jure ergo merito tamquam de his erroribus suspecta damnata est Quesnelliana Thesis. Dum enim ait, timor non nisi manum cohibet, Lutheranis erroribus arcto nexu cohæret.*

* Bellelli in Prop. 61. §. 1.

Quod gehennæ timor, *quantum est ex se se, quantum sua interest, suo inspecto officio & substantia*, fugam incutiat mali, etiam interni, nunquam negavit Quesnellius, nec etiam Lutherus. Timorem quoque in se consideratum esse utilem ac bonum fatetur ipsemet Jansenius, asseritque cum F. Bellelli, timentis esse culpam, non timoris, si quis in pœna fugienda velut in termino hæreat. Vide Bajan. rediv. Part. 1. Art. 5. n. 8. & 9. Et quidem nullus, si sit sanæ mentis, negare potest timorem in se consideratum esse bonum. Huic evidentissimæ veritati nemo potest assensum abnuere. Disceptatur autem catholicos inter atque Novatores solummodo an actus timoris, vel qui a timore procedunt, ut sint immunes a peccato, debeant habere pro ulteriori motivo Deum charitate amatum. Asserunt Quesnelliste, negant Orthodoxi. Igitur F. Bellelli his cavillationibus a doctrina Novatorum nullatenus recedit, imo ut erroris notam a Quesnellio removeat, doctrinam illi falso adscribit, quam Quesnelliste omnes & ipse Jansenius repudiant.

Mentem suam clarius adhuc aperit F. Bellelli in sequenti paragrapho, dum fatetur timorem cohibere quidem actus internos, sed hanc addit clausulam, *etiamsi charitate perfecta careat*, ex qua efficitur, & concludere licet, timorem, si a charitate saltem imperfecta sejunctus sit, actus externos duntaxat cohibere juxta F. Bellelli, non autem internos. *Timor itaque gehennæ*, inquit, * *non cohibet solam manum, sed animam quoque, etiamsi charitate perfecta careat.*

* Bellelli in Prop. 61. Quesn. §. 1. pag. 216.

Si enim voluisset timorem gehennæ a charitate etiam imperfecta sejunctum cohibere posse actus internos, profecto de charitate generatim sumpta, sive perfecta illa sit, sive imperfecta, in assertione sua meminisset, non autem de sola charitate perfecta. Dixisset itaque quod timor gehennæ, tametsi charitate careat, cohibere possit animum: his autem verbis, *tametsi charitate perfecta careat*, aperte innuit timorem gehennæ a charitate imperfecta sejunctum solam cohibere manum, vide Bajan. rediv. Part. 1. Art. 5. n. 1. 2. 3. 7. 8. & 9. & Part. 2. Art. 6. a n. 1. usque ad 8.

Fatentur tamen aliquando Novatores timorem gehennæ, non solum cohibere manum, in eo sensu quod voluntas timore perculsa impedit actum externum; hoc autem, cum absque actu interiori voluntatis fieri non possit, (homo enim in eo casu abstineat ab opere exteriori voluntate imperante) sane fieri non potest, quin voluntas actum internum eliciat, quo imperat ne fiat actus exterior. Sed quia actus ille voluntatis, juxta illos, non est immunis a peccato, si non referatur in Deum charitate amatum, ideo ille actus, etsi ratione objecti & finis proximi sit innoxius, innoxius tamen non est, defectu debitæ ordinationis in finem ultimum, & in eo sensu timor gehennæ, si sit a charitate saltem imperfecta sejunctus, non cohibet nisi manum, quia scilicet non impedit quin actus ille defectu ordinationis in finem ultimum sit peccaminosus: & hic est Quesnellii error quem nullibi refellit Frater Bellelli, imo eum amplectitur, atque totis viribus propugnare conatur.

Quantum ad alteram Propositionis 61. partem, scilicet quod *cor tandiu peccato addicatur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur*, illa hunc habet sensum, ipsomet F. Bellelli fatente, * illas omnes actiones, in quibus cor ab amore justitiæ non ducitur, esse peccaminosas. Hoc supposito evidenter patet hujus assertionis Quesnellianæ istum esse sensum non quod homo tamdiu peccet, quamdiu est in reatu peccati mortalis, sed quod tamdiu peccet, quamdiu non agit ex amore justitiæ. Hic est obvius Propositionis sensus, & perfecte congruit cum systemate Novatorum. Verum ut hanc doctrinam, quæ est, non solum Quesnellii, sed etiam ipsius F. Bellelli doctrina, censuræ Pontificiæ subtrahat iste Theologus, posteriorem falso & fallaciter tribuit sensum Quesnellianæ Propositioni, nempe omnes actiones peccatoris, quamdiu in

* Bellelli ibid. §. 1.

statu peccati mortalis remanet, esse peccata. Ita enim interpretatur Quesnellii assertionem F. Bellelli, * *ut si cor non ducatur ab amore charitatis regnante perfectoque, necesse sit ut peccato sit addictum, quia necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat; qui sensus*, pergit idem Theologus, *cum omnia opera ad justificationem prævia tamquam peccata condemnet, hæreticus est.*

* Bellelli ibid.

Nec etiam hunc Quesnellii errorem de insufficientia timoris ad vitandum peccatum, deficiente charitate saltem imperfecta, arguit F. Bellelli, dum sequentes Propositiones quæ sunt de timore pœnarum confutandas suscipit.

Ait Quesnellius Prop. 62. quod qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committat in corde suo, & jam sit reus coram Deo. Ad hoc quid reponit F. Bellelli? hoc esse vitium timentis, inquit, non timoris. Verum Quesnellius non asserit vitium esse timoris, si quis solo timore a peccato abstineat, imo conceptis verbis docet hoc esse timentis vitium. *Illud* (scilicet peccatum) *committit*, inquit, *in corde suo, & jam reus est coram Deo.*

Addit F. Bellelli Pelagium docuisse *solo naturali timore posse legem servari gratia Salvatoris objecta*; sed de hoc errore Pelagii nihil in Propositione Quesnellii. Dum ait Quesnellius quod ille qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud in corde suo committat, & jam sit reus coram Deo, hanc non adjicit clausulam, si existimet se naturæ viribus a peccato abstinere posse. Igitur quidquid sit de veritate aut falsitate istius postremæ assertionis Bellellianæ, certum est Propositioni Quesnellianæ a F. Bellelli tribui sensum prorsus extraneum, ut eam anathemati in Bulla *Unigenitus* lato subducat.

In Propositionibus sequentibus gehennæ timorem spectantibus, nimirum Prop. 63. 64. 65. 66. & 67. Quesnellius doctrinam suam verbis enuntiat durioribus, quibus præter mentem suam innui videntur prava quædam dogmata, quæ in aliis operibus suis ipse rejicere profitetur, nullamque habent cum systemate Janseniano connexionem. Hanc avidissime F. Bellelli occasionem arripit refellendi supradictas Propositiones, quasi nullum aliud habeant vitium, præter hos sensus ab ipso Quesnellio reprobatos, ut sic a systemate Quesnelliano & Janseniano omnis labes removeatur.

Prop. 63. *Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*

Refellit hanc Propositionem F. Bellelli assignando varia discrimina Judæum inter & Christianum ex solo timore operantem. Judæi, inquit, fidem non habent; non sunt Ecclesiæ membra; adventum Messiæ expectant; non solum ad moralia, sed ad cæremonialia & judicialia quoque præcepta obligabantur: hæc autem baptizatis non competere, illis etiam qui ex solo timore legem adimplent, nemini dubium esse potest.

Verum quis suspicari potest Quesnellium voluisse, quod baptizatus legem non adimplens, aut adimplens ex solo timore, fidem non habeat, adventum Messiæ expectet futurum, & ad cæremonialia & judicialia legis veteris præcepta obligetur? Hic ergo non est sensus Quesnellianæ propositionis; meritoque reponet Novator ipse se hanc comparationem non adhibuisse * quasi Judæo per omnia similis sit baptizatus legem ex solo timore adimplens, sed duntaxat quia ei similis est secundum quemdam modum.

* Plainte & Protestat. §. 12. Exposé plus ample §. 33.

In quo igitur juxta Quesnellium similis est Judæo baptizatus legem non adimplens, aut adimplens ex solo timore? In eo quod Judæis peculiare erat legem non adimplere, aut adimplere ex solo timore, & Christianis non liceat ex solo timore operari. Propositio autem Quesnellii sic intellecta duos exhibet errores; unum quod Christianus ex solo timore operans semper peccet; alterum quod Judæi ex solo timore, pauciissimis exceptis, legem adimplebant, ac proinde peccabant.

Dixi, pauciissimis exceptis, quia Quesnellius, post Jansenium, fatetur Judæos quosdam, qui gratiæ novo Testamento propriæ fuerunt participes, ex motivo charitatis legem adimpleviss e.

Utrumque hunc errorem dissimulat F. Bellelli. Nullibi enim reprehendit Quesnellium quod docuerit 1. peccare semper illum qui ex solo timore gehennæ a peccato abstinet; 2. omnes Judæos, pauciissimis exceptis, qui legem servabant, ex solo timore eam servasse: asserit enim duntaxat iste Theologus quod fuerint in lege veteri sanctissimi homines qui legem ex charitate impleverunt, sed & hoc confitetur Quesnellius, atque toti hujus Propositionis 63. confutationi libenter subscriberet.

Itaque F. Bellelli Quesnellium refellere simulans illius erroribus silentio suo plurimum favet.

Prop.

Prop. 64. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem vitando.*

Hanc Propositionem sic interpretatur F. Bellelli, quasi velit Quesnellius Judæos ante Christi adventum sub maledicto legis Mosaicæ existentes, *nemine prorsus excepto, ejusdem legis prævaricatores fuisse, nullumque parendo legi feciſſe bonum opus.* Hanc in eo sensu damnare non recusat Quesnellius. Hanc & damnat ipse Jansenius.

Specialiter autem advertenda est hæc quam adjicit F. Bellelli clausula (*nemine prorsus excepto*) de industria, ut patet, ne Jansenii simul atque Quesnellii damnet errorem.

Arguit deinde Quesnellium quasi *proinde* peccare asserat homines, sive faciendo, sive evitando malum; sive transgrediendo legem, sive obediendo legi: hoc tamen non dicit Quesnellius. Asserit enim dumtaxat de eo qui ex solo timore operatur, non vero universim de illis omnibus qui ex timore operantur, quod peccent; nec asserit quod *perinde* peccent, & ii qui malum faciunt, & ii qui illud non nisi ob timorem vitant.

Reprehendit quoque Quesnellium F. Bellelli quasi hanc contradictoriam Propositionem asseruerit, quod *malum evitare sit malum facere.* Sed quis non videt hunc Theologum Propositionibus damnatis absurdos affingendo sensus nihil aliud velle quam sensum Quesnellii a censura reddere immunem?

Prop. 65. *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint Filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

Hæc Quesnellii Propositio in proprio verborum sensu accepta significat in lege veteri nulla fuisse sacramenta, quibus, saltem ex opere operantis, remitterentur, tum peccatum originale, tum peccata actualia, quibusque conferretur gratia sanctificans, & in eo sensu damnanda est, & damnatur a Quesnellio. *

* Plainte & Protestation n. 13. & Exposé plus ample. n. 13.

Si autem sic intelligatur, ut lex per ipsam nullos dederit Deo Filios, sed solum per merita Christi venturi, vera erit in eo sensu; sed hic non est germanus & genuinus Propositionis sensus, nam hoc vocabulum, *per se ipsam*, nec aliud æquivalens in ea reperitur quod hunc queat determinare sensum.

Quid ergo voluit Quesnellius qui Jansenio systemati perfecte & continuo adhæret? Quod timor pœnarum, etiam æternarum, quem incutiebant Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores Legis, ad vitandum peccatum erat insufficiens, deficiente charitatis motivo, atque ita in mancipiorum, non in filiorum numero annumerari debebant. Hic est error Jansenistarum, de quo silet F. Bellelli.

Prop. 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestiæ, sed per fidem & per amorem sicut filii.*

Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

In his duabus Propositionibus Quesnellius errorem suum verbis apertis asserere non ausus, sententiam suam verbis durioribus obtegere tentat, quibus præter mentem suam, peregrinos errores asserere atque amplecti videtur. De iis solis erroribus quos rejicit Quesnellius, illum arguit F. Bellelli, quasi in his Propositionibus nihil aliud esset reprehensione dignum. Istos pravos sensus quos arguit & confutat F. Bellelli singulatim perpendere longum esset nimis ac supervacaneum, eo magis, quod cuilibet F. Bellelli confutationem etiam rapidissime legenti satis superque innotescat istius Theologi fallacia.

Illud autem memoria semper est retinendum, quod F. Bellelli Quesnellium non arguat eo quod pro fine ulteriori requirat charitatem saltem imperfectam, ad hoc ut actiones ex timore procedentes sint a peccato immunes, qui est error in Quesnellio, & in aliis Novatoribus damnatus, sed eo quod requirat charitatem perfectam, quam tamen non requirit. Verum hanc Quesnellio perperam tribuit doctrinam ab ipso reprobatam, ut sic innoxiam suadeat esse illam quam revera tuetur Quesnellius, quamque amplectitur etiam F. Bellelli. *Proscribenda est*, inquit, * *cum S. Romana Sede Quesnelliana Thesis, quæ non aliam agnoscens ad Deum veniendi viam, nisi per fidem filiorum charitate perfectam indefinite omnem servilem timorem, illum etiam qui sincere contra voluntatem peccandi pugnat, quique supernaturalis & donum Dei est, e medio tollit.*

* Bellelli in Prop. 66 Quesn. §. 3.

§. IX.

De Propositionibus 68. 69. & 70.

Prop. 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide & precibus.*

Hæc quoque Propositio est de numero earum, in quibus Quesnellius ultra systematis sui metam progreditur, & plus significat quam significari vult, ideoque in rigoroso & proprio verborum sensu damnari potest absque eo quod damnetur illius doctrina. Excludere enim videtur necessitatem sacramentorum, atque bonorum operum. In eo sensu eam jure merito damnat F. Bellelli.

Sed quia hunc sensum rejicit ac damnat ipse Quesnellius, alter est investigandus qui Jansenio systemati sit consentaneus. Cum itaque Jansenistæ censeant gratiæ divinæ nec unquam resisti, nec resisti posse, fateantur necesse est supervacaneos esse omnes conatus nostros, quibus a nobis aliquid conferatur ad opera bona, sed nihil aliud nobis incumbere, quam ut gratiæ divinæ operationem desidiose expectemus, unde colligitur ad salutem a nobis requiri duntaxat fidem & orationem qua gratiam impetremus.

Quamvis autem F. Bellelli reprehensione non sit dignus, si hunc sensum, utpote distortum, ac a proprio verborum sensu valde remotum Propositioni Quesnellianæ assignare omiserit; attamen quia hunc errorem in nonnullis aliis Propositionibus clare enunciatum nullibi rejecit, profecto his & similibus damnatarum Propositionum confutationibus de Bajanismo aut Jansenismo nullatenus se potest purgare.

Prop. 69. *Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

Merito rejicit hanc Propositionem F. Bellelli, quia *voculæ illæ*, puræ liberalitatis, *exclusivum*, ait, *sensum exhibent, videlicet quod fides, usus, & fidei augmentum, ita donum sint puræ liberalitatis Dei, ut non sint etiam merita nostra; & quod præmium fidei ita nobis a Deo donatur* pure liberaliter, *ut non sit merces & corona justitiæ merito retributa.*

Hæc doctrina ex pravo gratiæ irresistibilis dogmate evidenter sequitur: nam si homo divinæ gratiæ non potest resistere, nihil de suo confert in opere salutis præter cooperationem inevitabilem & necessariam, ac proinde totum erit effectus gratiæ irresistibilis, ac donum puræ liberalitatis Dei. Contra vero si homo divinæ gratiæ possit resistere vel obtemperare, opera bona ita erunt dona Dei, ut sint etiam merita nostra, & vita æterna ita erit Dei donum, ut sit quoque merces meriti.

Jansenistæ tamen, ut definitioni Tridentinæ non videantur adversari, fateri coguntur in bonis operibus nostris meritum, & in vita æterna meriti mercedem. Idem quoque fatetur ipsemet Quesnellius. * *Il est faux*, inquit, *que je combatte la vérité du mérite des bonnes œuvres de l' homme juste. Au contraire j' ai établi par tout le mérite, & je dis avec le Concile de Trente, Anathême à quiconque dira que les bonnes œuvres de l' homme justifié sont tellement des dons de Dieu, qu' elles ne sont pas aussi les mérites de l' homme justifié, ou que dans les bonnes œuvres que l' homme justifié fait par la grace de Dieu & par les mérites de J. C. dont il est un membre vivant, il ne mérite pars véritablement l' augmentation de la grace, la vie éternelle (s' il meurt en état de grace) l' acquisition de cette vie éternelle & même l' augmentation de la gloire.*

* Plainte & Protest. n. 7.

Itaque F. Bellelli agnoscendo bonorum operum meritum a doctrina Quesnellii non recedit: ut autem ab ea recederet, confiteri deberet sincera fide voluntatem humanam divinæ gratiæ posse resistere; quod tamen non confitetur. Vide supra §. 2. & Jansen. rediv. Part. 2. Art. 2. §. 2. & Art. 5. n. 10.

Prop. 70. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

Ut hanc Propositionem Quesnelliano & Bellelliano systemati omnino consentaneam a Censura liberet F. Bellelli, huic distortos & absurdos conatur affingere sensus, atque tantum abest ut his fallacibus interpretationibus ab errore Baji se ostendat immunem, ut e contra illius se reum invicte demonstret. Hos autem extraneos & in gratiam Quesnellii confictos sensus supervacaneum foret hic exhibere, cum alibi jam fuerint discussi atque explanati. Vide Bajan. rediv. Part. 2. Art. 1. §. 5.

Propositiones Quesnellii quæ supersunt ad quæstiones de Dei gratia quæ in Scholis agitantur directe non pertinent, ideoque ab iis recensendis atque examinandis consulto abstinemus.

EPILOGUS.

Patet itaque evidenter Fratrem Bellelli, dum Queſnellii Propoſitiones (quæ ſunt numero 70. materiam gratiæ divinæ ſpectantes) refellere & confutare ſimulat, a doctrina illius Novatoris nullatenus recedere: nam vel genuinum ac germanum tribuit ſenſum his Propoſitionibus quæ Bajanos ac Janſenianos renovant errores, & tunc dogma adverſus eos errores in Bulla *Unigenitus* definitum non confitetur niſi ficte & ſimulate, earum ſcilicet æquivocationum & cavillationum ſubſidio quas adhibere ſolent Janſenii Sectatores: vel iis extraneum, & a mente Queſnellii alienum ſenſum affingit, ut doctrinam erroneam, quam ipſemet amplectitur ac tuetur, a Cenſura reddat immunem.

Refellit Queſnellii Propoſitiones 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 20. & 21. eo quod iſte Novator nullas admittat gratias ſufficientes, nec alias agnoſcat præter efficaces. In hoc autem jure merito reprehenditur Queſnellius; ſed cum F. Bellelli nullas quoque admittat gratias vere ſufficientes, ſed eas duntaxat quas admittunt omnes Janſeniſtæ, nempe gratias gradibus inferiores cupiditate, gratias parvas ac invalidas, cum quibus homo non magis poteſt bonum operari, quam videre poſſit ille cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ; profecto illæ ſunt vere inſufficientes, nec aliter ſufficientes dici poſſunt, quam æquivocationum in Janſenianis Scholis frequentiſſimarum ſubſidio. Vide ſupra §. 1.

Refellit quoque F. Bellelli Queſnellii Propoſitiones 12. 30. 31. 32. & 33. eo quod in iis aſſerat vel innuat Chriſtum pro ſolorum prædeſtinatorum ſalute mortuum eſſe. Bene quidem; additque contra hunc errorem inſurgens Theologus noſter, Chriſtum voluiſſe ſufficienti poſſibilitatis gratia, urgente lege, juvare reprobos. Sed cum illa, quam admittit, poſſibilitatis gratia, ſit vere inſufficiens, ut modo obſervatum eſt, eo in ſenſu libenter confitebuntur Janſeniſtæ Chriſtum etiam pro reproborum ſalute eſſe mortuum. Vide ſupra §. 3.

Hæ ſunt Queſnellii Propoſitiones quas in germano ac legitimo earum ſenſu damnare ſimulat, ac revera non damnat F. Bellelli.

Aliæ ſunt quas in ſenſu duntaxat diſtorto & commentitio damnat idem Theologus, ut doctrinam ſuam, quæ eſt ipſiuſmet Queſnellii doctrina, Pontificio Anathemati ſubducat. Summus Pontifex v. g. damnando decimam Queſnellii Propoſitionem definiit, divinæ gratiæ poſſe reſiſti. Ita idem definierat Concilium Tridentinum & Innocentius X. in Bulla adverſus quinque famoſas Janſenii propoſitiones lata: contendit F. Bellelli, ut has eludere tentet definitiones, illas, quamvis de gratia generatim ſumpta loquantur, intelligi debere de ſola gratia ſufficienti, & conſequenter confitetur reſiſti poſſe gratiæ ſufficienti, non efficaci. Vide ſupra §. 2.

Definiit Summus Pontifex damnando Queſnellii Prop. 35. gratiam Adami non eſſe ſequelam creationis, nec fuiſſe debitam naturæ ſanæ & integræ. Contendit F. Bellelli cum Bajo eam fuiſſe debitam jure providentiæ, ita ut eam abſque injuſtitia Deus non potuiſſet denegare, debitam tamen non fuiſſe tamquam congenitæ naturæ proprietatem ex intimis ejus naſcentem. Quam ſit diſtortus hic Propoſitionis 35. ſenſus vide ſupra §. 5.

Extraneum quoque ac a mente Queſnellii alienum ſenſum tribuit Propoſitioni 70. in qua aſſerit Novator iſte, quod & docet F. Bellelli, Deum nunquam affligere innocentes, & afflictiones ſemper ſervire, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valere docuit Bajus Prop. 28. Peccatorem non eſſe liberum, niſi ad malum ſine gratia Liberatoris docet Queſnellius Prop. 38. Iſtas autem Propoſitiones eſſe intelligendas de gratia actuali evidenter patet. Eas tamen, ut in germano ac legitimo earum ſenſu innoxie ſuſtineri poſſe ſuadeat, intelligi debere contendit de gratia ſanctificante. Vide ſupra §. 6.

Queſnellii Prop. 44. in eo ſenſu damnata eſt, quod omnes actiones noſtræ, quæ non fiunt ex motivo charitatis ſaltem imperfectæ, fiant ex motivo cupiditatis. F. Bellelli autem, qui Queſnellii doctrinam hanc amplectitur, falſo contendit eam intelligi debere de charitate habituali, in eo ſenſu quod actiones peccatoris in peccato mortali illiuſque reatu exiſtentis ſint peccaminoſæ. Idemque dicendum de Propoſitionibus 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. & 59. Vide ſupra §. 7.

Circa timorem autem gehennæ error Queſnellii ac Janſeniſtarum in eo ſitus eſt, quod velint peccare illum qui timore pœnæ a peccato abſtinet, niſi actum ſuum ulterius referat ad Deum charitate amatum. Hunc errorem docet Queſnellius, præſertim Prop. 61. & 62. hunc tamen non refellit F. Bellelli. Vide ſupra §. 8.

Aliæ denique ſunt Propoſitiones, quas damnat F. Bellelli in earum rigoroſo & obvio ſenſu, quem prima fronte exhibent: ſed quia in illo ſenſu eas rejicit Queſnellius, & alterum habent ſenſum ſyſtemati Queſnelliano perfecte congruentem, de quo omnino ſilet F. Bellelli, ideo quamvis eas in ſenſu obvio ac rigoroſo confutet, intactam tamen relinquit Queſnellii doctrinam. Ejuſmodi ſunt Propoſitiones 19. 22. 23. 24. & 25. Vide ſupra §. 2. ac Prop. 68. & 69. Vide ſupra §. 9. Item Prop. 26. 27. 28. & 29. Vide ſupra §. 4. Item Prop. 34. 36. & 37. Vide ſupra §. 5. Item Prop. 39. 40. 41. 42. & 43. Vide ſupra §. 6. Item Prop. 60. 63. 64. 65. 66. & 67. Vide ſupra §. 8.

Ex dictis in hanc quæſtionem quædam colligere liceat conſectaria. Primum. F. Bellelli ea quæ Bajanis & Janſenianis erroribus nimis faventia prius aſſeruerat non modo non retractat, verum etiam ſe ſe iis addictiſſimum denuo commonſtrat, dum in refellendis omnibus & ſingulis Queſnellii Propoſitionibus nihil aſſerit, quod non fateantur Janſeniſtæ omnes. Fidei enim dogmata damnatis Propoſitionibus contradictoria, ſi quæ admittat F. Bellelli, non admittit niſi illarum æquivocationum ſubſidio quas & ipſi Janſeniſtæ adhibere conſueverunt & in poſterum audacius adhibebunt. Nonnullas alias Propoſitiones F. Bellelli exemplo freti ad extraneos atque fictitios detorquebunt ſenſus, quorum ope, priſtinis erroribus nullatenus depoſitis, damnatarum Propoſitionum cenſuræ libenter ſubſcribent. Cæteras denique Propoſitiones, quæ in rigoroſo ſenſu acceptæ ad Bajanum vel Janſenianum ſyſtema non pertinent, Fratre Bellelli duce, rejicient, modo Queſnellii occultior ſenſus a cenſura incolumis relinquatur. Atque ita Bellellinæ Queſnellianarum Propoſitionum confutationi libenter adhærebunt Janſeniſtæ omnes.

Secundum Corollarium. Quoniam Janſeniſtæ, non immutata priori ſententia, Conſtitutioni *Unigenitus* ſubſcribere non detrectabunt, modo eis liceat Propoſitionibus damnatis Bellellianos affingere ſenſus, evidenter ſequitur F. Bellelli variis ambagibus atque diverticulis in libro ſuo ſtudioſe collectis ſuppeditare omnibus Janſeniſtis viam qua Conſtitutionibus Apoſtolicis ficte atque ſimulate ſe ſubjicere queant, ac in Eccleſia Catholica errores ſuos retinere & diſſeminare poſſint impune. Quod quam ſit pernicioſum nemo non videt.

Tertium Corollarium. Si Bullas S. Pii V. adverſus Baji prophanas novitates, Innocentii X. adverſus quinque Janſenii Propoſitiones, & Clementis XI. adverſus Queſnellii errores, liceat interpretari, ſicuti eas interpretatur F. Bellelli, & ſicuti Bullas S. Pii V. & Innocentii XI. hactenus interpretati ſunt Novatores, ingenue fatendum erit Bajaniſmum, Janſeniſmum, & Queſnelliſmum mera eſſe phantaſmata, Eccleſiam a duobus ferme ſæculis adverſus umbratilem larvam acerrime dimicaſſe, atque Summos Pontifices contra hos errores inſurgendo, eoſque diris anathematibus feriendo, turpiter fuiſſe deceptos; ab iis autem ineptis & impiis conſecutionibus quis, niſi Catholicam abjecerit fidem, non abhorrebit?

Quartum Corollarium. Cum præceptum, quo tenentur Eccleſiæ Præpoſiti Catholicam fidem ſervare omnino illibatam, eos adſtringat, non ſolum ad hoc ut Eccleſiæ definitionibus exterior reddatur obedientia, verum etiam ut in eis definitionibus proſcripti errores denuo non defendantur in Eccleſia, in eaque non reviviſcant, atque ut ſtabilita in iis catholica dogmata ubique inconcuſſa permaneant, profecto ſi Fratris Bellelli opera Bajanos & Janſenianos renovent errores, ad ea proſcribenda indubie obligantur Eccleſiæ Præſules: in iis etenim circumſtantiis, præſertim poſtquam Bajaniſmi & Janſeniſmi ſuſpectos hos eſſe libros per totam Galliam atque Italiam fama percrebuit, in iis, inquam, circumſtantiis * *Error cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, cum non defenſatur, opprimitur.* * Diſt. 83. Cap. Error.

APPEN-

APPENDIX ALTERA.

AN

JANSENIANUM

De duabus delectationibus principium tueri liceat illi, qui hæreticas ejus consecutiones, nempe quinque ab Innoc. X. damnatas Propositiones se rejicere profitetur.

RATIO dubitandi videtur esse, quod Summus Pontifex non damnaverit Jansenianum de duabus delectationibus principium, sicuti damnavit quinque famosas Jansenii Propositiones; ideoque, etsi Theologi quamplurimi contendant has V. Propositiones e Jansseniano principio, tamquam rivulos e fonte, necessario fluere; alii nihilominus existimant defendi posse innoxie Jansenianum principium, donec de illo Sedes Apostolica suum protulerit judicium, modo consequentias, quæ ex eo eruuntur, non admittant; atque in confirmationem hujus suæ assertionis adducunt Thomistas, qui sententiam suam de prædeterminatione physica innoxie propugnant, etsi nonnulli alii Theologi contendant ea prædeterminatione perimi liberum hominis arbitrium: innoxie, inquam, imo & laudabiliter suam sententiam tuentur, quia consecutiones, quæ ab Adversariis eruuntur, confidenter pernegant; atque prædeterminatione physica liberum hominis arbitrium nullatenus perimi validis ac firmis momentis adstruunt.

I.

PRIUSQUAM huic difficultati fiat satis, atque quam absurda sit & inepta hæc paritas demonstretur, præmittendum est 1. quod quando ex aliquo fidei dogmate, mediante altera præmissa, deducitur aliqua conclusio, vel illa præmissa est etiam immediate revelata, vel est duntaxat naturaliter evidens & certa, vel est dubia & incerta. Si sit immediate revelata, tunc conclusio illa, cum e duabus præmissis quæ sunt de fide eruatur, est quoque de fide; si tamen materialiter spectetur, inquiunt satis communiter Theologi, quia confuse saltem & obscure continetur in præmissis; sed si formaliter spectetur, quatenus ex certa præmissarum & terminorum connexione eruitur, censetur tantum revelata mediate.

Si autem altera præmissa sit solummodo naturaliter evidens & certa, tunc conclusio quæ eruitur censeri debet revelata tantum mediate; & propositio, quæ huic conclusioni est contradictoria, licet non sit hæretica, erronea tamen dici debet.

Quod si altera præmissa non sit naturaliter certa & evidens, sed dubia solum & incerta, tunc consequentia, quæ ex illa deducitur, etsi major propositio sit de fide, erit etiam dubia & incerta: ac proinde innoxie negari poterit a Theologo, & impugnari. Conclusio enim, ajunt Philosophi, semper sequitur deteriorem partem; ideoque, si alterutra præmissarum dubia sit & incerta, illa non potest esse nisi dubia & incerta.

II.

PRÆMITTENDUM est 2. nonnullas esse propositiones, quæ, etsi prima fronte videantur mediate duntaxat revelatæ, eo quod per legitimam consequentiam deducantur ex aliquo fidei dogmate; censentur tamen immediate revelatæ, si sint meræ expositiones propositionum immediate revelatarum. Tales sunt propositiones, quæ, licet in Scripturis non legantur expressis verbis, eundem tamen omnino sensum terminis æquivalentibus enunciant. V. g. hæc propositio, *Christus est consubstantialis Patri*, mera est expositio horum Christi verborum: *Ego, & Pater unum sumus*. Tales sunt etiam propositiones particulares, quæ in universalibus revelatis includuntur. V. g. Ista propositio particularis: *Christus mortuus est pro reprobis*, continetur in hac propositione universali immediate revelata, *Christus mortuus est pro omnibus*. Tales sunt quoque propositiones, quæ exhibent alicujus rei definitionem, sive adæquatam, sive inadæquatam. Definitio enim alicujus termini est mera ipsius expositio. Hæc Propositio v. g. *Christus est animal rationale*, utpote enuncians accuratam & adæquatam hominis definitionem, censetur immediate revelata in ista: *Christus est homo*; & in ea etiam censetur immediate revelata hæc Propositio; *Christus est rationalis*, quæ exhibet hominis definitionem inadæquatam.

Quamvis itaque hę propositiones possint per legitimam consequentiam deduci ex veritatibus immediate revelatis, rite etenim confici potest iste syllogismus: homo est animal rationale; Christus est homo; ergo Christus est animal rationale, vel Christus est rationalis. Quia tamen hæ conclusiones ex prę-missis deducuntur per meram, & simplicem expositionem, non autem per veram, & proprie dictam illationem, ideo fatentur communiter Theologi eas censeri revelatas immediate.

Verumtamen idem non est judicium de conclusionibus illis, quæ a præmissis distinguuntur saltem virtualiter, sicuti proprietates distinguuntur ab essentia alicujus rei. Ejusmodi enim conclusiones dicuntur revelatæ duntaxat mediate, quia per veram, & syllogisticam illationem reipsa eruuntur e dogmate immediate revelato, in eoque continentur solummodo tamquam conclusiones in principio; adduciturque in exemplum a Theologis vulgo iste syllogismus: *Homo est risibilis, atqui Christus est homo, ergo Christus est risibilis*. Hæc conclusio, *Christus est risibilis*, exhibet hominis proprietatem, non essentiam; & risibilitas includitur in hoc termino, *Homo*, non tamquam illius essentia, sed tanquam proprietas, ideoque hæc propositio, *Christus est risibilis*, censetur revelata solum mediate.

III.

PRÆMITTENDUM est 3. propositionem aliquam non revelatam, ex qua simul cum altera præmissa immediate revelata eruitur quædam conclusio, dici posse certam dupliciter, scilicet vel quoad se, vel quoad nos. Si sit certa duntaxat quoad se, potest innoxie non admitti, imo refelli ab eo, qui invincibiliter ignorat eam esse certam. Si autem noverit quis eam esse certam, profecto non potest conclusionem, quæ ex ea evidenter deducitur, non admittere, quin erroneæ doctrinæ se addictum esse demonstret.

IV.

ET quoniam confundi non debent nonnullæ Theologicæ opiniones cum Jansseniano principio, præmittendum est 4. illud principium in eo consistere quod contendat Jansenius voluntatem humanam semper determinari ad agendum delectatione quadam prævia & indeliberata, vel cælesti, nempe gratia, vel terrena, quæ est cupiditas; ita ut in conflictu duarum illarum delectationum voluntas semper obsequatur, imo non possit non obsequi, non possit dissentire delectationi illi, quæ fortior est altera, seu quæ gradibus alteram superat; ideoque illud a Theologis dici consuevit principium duarum delectationum indeliberatarum, & graduum superioritate invincibilium.

Quando autem illud principium impugnant Theologi tanquam nota censoria dignum, non ideo negant voluntatem humanam, saltem ut plurimum, moveri ad agendum delectatione, tum terrena, tum cælesti.

Nec etiam negant Theologi voluntatem, dum

unum

unum eligit præ alio, illud ſemper eligere quod ipſi magis placet, quod ipſi magis arridet, & in eo ſenſu quod eam magis delectat, ſicque veriſſimum eſt illud S. Auguſtini : *Quod amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*. Si enim illud effatum intelligatur de delectatione deliberata, de ea ſcilicet delectatione, quæ præviam habet liberam voluntatis electionem, hæc profecto delectatio nihil omnino habet commune cum Janſeniano principio de duabus delectationibus indeliberatis.

Nec quoque aliquid cum Janſeniano principio commune habet doctrina Theologorum illorum, qui efficaciam gratiæ reponunt in delectatione victrici, modo eam victricem agnoſcant, non ex graduum ſuperioritate, ſed ex abſoluta voluntate Dei, qui novit ac decrevit ita movere voluntatem humanam, ut certo & infallibiliter, licet liberrime, delectationi conſentiat. Illa autem certitudo & infallibilitas, juxta illos, non innititur, ut volunt Congruiſtæ, ſcientiæ conditionatorum, quam ſcientiam mediam vocant; ſed repetitur ex omnipotentia Divina, & ex ipſa ratione ac virtute ipſi gratiæ intrinſeca. Unde efficaciam gratiæ cum libero hominis arbitrio conciliant eodem modo, quo Thomiſtæ cum eo conciliant prædeterminationem phyſicam: aſſerunt quippe cum Thomiſtis neceſſitatem, quam impertit delectatio, eſſe duntaxat hypotheticam & conſequentem, eo quod neceſſitas illa futuri conſenſus deſumatur ex decreto abſoluto voluntatis divinæ voluntatem creatam prædeterminanti conformiter ad ſuam naturam (ſive phyſica ſit illa prædeterminatio, ſive moralis) ac proinde ſupponat futuritionem conſenſus liberi cum illo decreto infallibiliter connexi. Hanc autem delectationem appellant abſolute victricem, ut eam a delectatione Janſeniana ſecernant, quæ eſt relative victrix, relative ſcilicet ad minores gradus concupiſcentiæ actualiter titillantis.

Contra vero Janſeniſtæ, qui efficaciam gratiæ repetunt ex graduum ſuperioritate, & docent conſequenter gratias illas eſſe efficaces, quæ gradibus ſuperant cupiditatem, inefficaces autem, quæ non ſuperant; contendunt delectatione gradibus ſuperiori voluntatem infallibiliter & invincibiliter determinari ad operandum abſque ullo reſpectu ad futuram ipſius voluntatis determinationem; ac proinde per illam imponi neceſſitatem, non ſolum hypotheticam, ſed abſolutam; non ſolum conſequentem, ſed antecedentem.

Altero quoque ex capite differt ſententia Theologorum illorum a ſyſtemate Janſeniano. Janſenius enim congruenter ad ſuum duarum delectationum principium contendit voluntatem infallibiliter & invincibiliter determinari ad malum per cupiditatem gradibus ſuperiorem, ſicut determinatur ad bonum per gratiam efficacem. Quod quam impium ſit, nemo non videt. Hoc autem impium dogma deteſtantur omnes Orthodoxi Theologi.

His præmiſſis inquirendum ſupereſt quam connexionem habeat cum quinque damnatis Janſenii Propoſitionibus ejuſdem Novatoris de duabus delectationibus indeliberatis & pro graduum ſuperioritate invincibilibus principium. Quod ut aſſequamur, perpendendæ atque ponderandæ ſunt ſeparatim ſingulæ Janſenii propoſitiones; earumque germanus ac genuinus ſenſus eſt inveſtigandus.

V.

PRIMA Janſenii Propoſitio ſic habet: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Dogma, in cenſura hujus Propoſitionis definitum, eſt quod poſſibilia ſunt omnia Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſive perfecte velint & conentur, ſive imperfecte, ac proinde non ſolum iis qui ea adimplent, ſed etiam iis qui ea tranſgrediuntur. Illud quoque generalius, & expreſſius docet Concilium Tridentinum, dum declarat Dei præcepta homini juſtificato non eſſe ad obſervandum impoſſibilia. Si poſſibilia ſunt homini juſtificato; poſſibilia ſunt, non ſolum juſtis illis, qui ea adimplent, ſed etiam illis, qui ea tranſgrediuntur.

Porro ex Janſeniano de duabus delectationibus principio manifeſte ſequitur propoſitio huic veritati definitæ contradictoria; nempe Dei præcepta eſſe impoſſibilia omnibus iis, qui ea tranſgrediuntur; nam in eo conſiſtit Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus principium, quod velit Janſenius voluntatem humanam non poſſe ſuum denegare conſenſum illi delectationi indeliberatæ, ſive gratia ſit, ſive cupiditas, quæ gradibus alteram ſuperat. In illo autem principio tanquam meræ illius expoſitiones continentur duæ propoſitiones, quæ ſequuntur. Prima: Dei præcepta impoſſibilia ſunt omnibus iis qui gratia gradibus ſuperiori carent; eundem enim ſenſum habet atque iſta, quæ expreſſius in Janſeniano continetur principio: Gratia, ſi non ſit gradibus ſuperior cupiditate, illam vincere non poteſt. Secunda propoſitio quæ in Janſeniano principio continetur tanquam mera illius expoſitio eſt iſta: Omnes illi qui præcepta tranſgrediuntur gratia gradibus ſuperiori carent, quæ idem omnino, diverſis licet terminis, ſignificat ac propoſitio ſequens: Omnes illi, qui gratiam habent gradibus ſuperiorem cupiditate, præceptum adimplent.

Ex his autem duabus propoſitionibus confici poteſt ſequens ſyllogiſmus: Juxta Janſenianum principium Dei præcepta impoſſibilia ſunt iis omnibus qui gratia gradibus ſuperiori carent; Atque ex eodem principio conſtat quod omnes illi, qui præcepta tranſgrediuntur, gratia gradibus ſuperiori carent; Ergo juxta Janſenianum principium, præcepta ſunt impoſſibilia omnibus illis qui ea tranſgrediuntur, etiam juſtis ſecundum præſentes quas habent vires imperfecte volentibus & conantibus, quæ eſt hæreſis damnata in prima Janſenii propoſitione. Ergo ex Janſeniano principio manifeſte eruitur prima illius Novatoris Propoſitio.

Adde quod cum definitum ſit, tum in Concilio Tridentino, tum in Bulla Innocentii X. adverſus quinque Janſenii Propoſitiones, nullum Dei præceptum, ſaltem hominibus juſtis, eſſe impoſſibile; cui definitioni Janſenianum de duabus delectationibus principium eſt directe contradictorium; evidenter patet illud principium eſſe dogmati ab Eccleſia definito contradictorium, ac proinde hæreticum.

Neque dici poteſt primam Janſenii Propoſitionem intelligi debere de Juſtis perfecte volentibus & conantibus ac Dei præcepta obſervantibus. Hic enim ſenſus a doctrina Janſeniana eſt omnino alienus: conſtanter enim docet iſte Novator Dei præcepta iis, qui gratia victrici, gratia gradibus ſuperiori ſunt inſtructi, non eſſe ad obſervandum impoſſibilia. Intelligi ergo debet Propoſitio, ſicuti eam modo expoſuimus, de Juſtis imperfecte volentibus, & conantibus.

Præterea definiit Concilium Tridentinum Dei præcepta eſſe poſſibilia omnibus ſine ulla exceptione Juſtis, ergo iis etiam qui ea adimplere, licet imperfecte, volunt atque conantur.

VI.

SECUNDA Janſenii Propoſitio: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Iſta Propoſitio in Janſeniano principio continetur tanquam mera illius expoſitio.

Hæc enim Propoſitio: Voluntas ſemper obſequitur, vel gratiæ vel cupiditati, prout alterutra gradibus alteram ſuperat, Janſenianum in terminis æquivalentibus exhibet principium. Nam ſi gratia ſit gradibus ſuperior cupiditate, voluntas illi non reſiſtit, ut per ſe patet. Si autem cupiditas præponderet, tunc gratiæ reſiſtit cupiditas, non voluntas. Unicum enim in ſyſtemate Janſeniano voluntatis munus eſt perpetuum obſequium delectationi gradibus ſuperiori impendere: nulla ex illius parte reperiri poteſt reſiſtentia; voluntas in illo ſyſtemate nunquam reſiſtit gratiæ. Porro ſynonyme ſunt hæ duæ propoſitiones: *Voluntas nunquam reſiſtit interiori gratiæ; & interiori gratiæ nunquam reſiſtitur.*

Præterea reſiſtere gratiæ nihil aliud eſt quam illam fruſtrare ſuo effectu, ſeu impedire quin effectum ſuum producat, vel etiam illam fruſtrare eo effectu, quem producere poteſt, ac proinde iſte eſt ſenſus ſecundæ propoſitionis Janſenianæ: Interior gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam fruſtratur ſuo effectu, nunquam fruſtratur illo effectu, quem producere poteſt. Voluntas nunquam impedit quin gratia eum ſemper producat effectum, quem producere poteſt. Gratia eum ſemper habet effectum quem habere poteſt.

Hæretica eſt ergo hæc propoſitio: Gratia eum ſemper habet effectum quem producere poteſt: ideoque, ſi contineatur in Janſeniano principio tamquam mera expoſitio illius, hæreticum quoque erit principium Janſenianum. Porro illa continetur in Janſeniano principio tamquam mera illius expoſitio. Nam gratia, vel eſt gradibus ſuperior cupiditate, vel non. Si ſit ſuperior, voluntas illi ſemper obſequitur, ac proinde gratia gradibus ſuperior effectum ſuum ſemper producit, illum ſemper effectum habet quem producere poteſt. Si autem gra-

gratia non ſit cupiditate ſuperior, illum quidem effectum, ad quem ipſa voluntatem excitat, non producit; ſed quia illum non poteſt producere, (gratia enim gradibus inferior cupiditatem in illo ſyſtemate vincere non poteſt), evidenter patet quod juxta principium Janſenianum gratia gradibus inferior cupiditate effectum illum producere non poteſt, quem non producit; ac proinde ſive gratia ſit cupiditate ſuperior, ſive non, eum ſemper habet effectum quem habere poteſt: & hæc eſt propoſitio quam diximus contineri in ſecunda Janſenii propoſitione, tamquam meram illius expoſitionem.

VII.

TERTIA Propoſitio Janſenii: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.*

Hæc quidem propoſitio non continetur in Janſeniano principio, tanquam mera illius expoſitio; ſed ex illo tamen eruitur per legitimam, licet ſyllogiſticam, illationem. Quod ſic demonſtrari poteſt ſequenti ſyllogiſmo: Homo in ſtatu naturæ lapſæ ſub dominatu delectationis gradibus ſuperioris, ſive gratia ſit, ſive cupiditas, illa libertate non eſt præditus, quæ dicitur libertas a neceſſitate. Hæc major propoſitio eundem ſenſum exhibet atque iſta, quæ Janſenianum principium verbis expreſſioribus enuntiat; Homo non poteſt non obſequi delectationi gradibus ſuperiori: Atqui homo in ſtatu naturæ lapſæ meretur vel præmium vel pœnam, prout vel bene vel male operatur: Ergo ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas a neceſſitate.

Major hujus ſyllogiſmi propoſitio eſt ipſummet Janſenianum principium, diverſis quidem verbis, ſed æquivalentibus, eundemque ſenſum referentibus, enunciatum. Minor autem eſt de fide, & tamquam de fide admittitur a Janſeniſtis. Argumentum omnibus Dialecticæ regulis eſt omnino conſentaneum. Conſequentia ergo non poteſt non eſſe legitima; ac proinde tertia Janſenii propoſitio evidenter eruitur ex Janſeniano duarum delectationum principio.

VIII.

HÆRESIS damnata in IV. Janſenii propoſitione hæc eſt: *Humana voluntas non poteſt interiori gratiæ reſiſtere, vel obtemperare.* Porro cum juxta principium Janſenianum humana voluntas non poſſit reſiſtere gratiæ, quæ gradibus ſuperior eſt cupiditate, nec obtemperare illi, quæ gradibus cupiditatem non ſuperat; evidenter patet principium illud eundem cum hæreſi damnata in IV. propoſitione exhibere ſenſum.

IX.

DENIQUE Hæreſis damnata in V. Janſenii propoſitione eſt quod Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit; quod Chriſtus nullis aliis voluerit æternam ſalutem reddere poſſibilem; quod cæteris non contulerit, obtulerit, vel ſaltem præparaverit gratias ſufficientes ad æternam ſalutem; quod æterna ſalus ſit iis, qui non ſalvantur, impoſſibilis. Porro illa propoſitio: Salus æterna eſt impoſſibilis iis qui non ſalvantur, continetur in iſta; Præcepta ſunt impoſſibilia iis qui ea tranſgrediuntur, ſicut propoſitio particularis, ſeu minus univerſalis continetur in univerſaliori propoſitione; ac proinde, ſi impoſſibilia ſunt præcepta iis omnibus qui ea tranſgrediuntur, impoſſibilis quoque erit æterna ſalus iis qui non ſalvantur; atque ita ex principio Janſeniano evidenter ſequitur, tamquam mera illius expoſitio, hæreſis damnata in quinta Propoſitione Janſenii. Cum ergo Summus Pontifex proſcribendo quintam Janſenii propoſitionem, definierit ſalutem æternam non eſſe impoſſibilem iis omnibus qui damnantur, definiit quoque conſequenter Dei præcepta non eſſe impoſſibilia iis omnibus qui ea tranſgrediuntur.

X.

UT autem totam hanc doctrinam paucis complectamur verbis, ſic poſſumus ratiocinari. Summus Pontifex, damnando primam Janſenii propoſitionem, definiit Dei præcepta non eſſe impoſſibilia omnibus illis qui ea tranſgrediuntur. Ergo damnavit Janſenianum principium, utpote quod aſſerit Dei præcepta eſſe impoſſibilia omnibus illis qui gratia gradibus ſuperiore carent.

Item Summus Pontifex, damnando quintam Janſenii propoſitionem, definiit ſalutem æternam non eſſe impoſſibilem iis omnibus qui non ſalvantur. Ergo definiit Dei præcepta non eſſe impoſſibilia iis omnibus qui ea tranſgrediuntur. Ergo damnavit Janſenianum principium, utpote quod aſſerit Dei præcepta eſſe impoſſibilia iis omnibus qui ea tranſgrediuntur.

Item damnando ſecundam Janſenii propoſitionem definiit voluntatem, ſaltem aliquando, reſiſtere gratiæ interiori, voluntatem aliquando privare gratiam effectu ſuo, impedire aliquando quin effectum illum producat, cujus producendi confert potentiam. Ergo definiit voluntatem non ſemper obſequi delectationi gradibus ſuperiori, ſive cupiditati, ſive gratiæ, quod tamen aſſerit Janſenianum de duabus delectationibus principium.

Item damnando quartam Janſenii propoſitionem definiit Dei gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Ergo damnavit Janſenii principium docentis voluntatem gratiæ gradibus ſuperiori non poſſe reſiſtere, nec poſſe obtemperare illi quæ gradibus eſt inferior cupiditate.

Denique Summus Pontifex damnando tertiam Janſenii propoſitionem definiit ad merendum & demerendum requiri in ſtatu naturæ lapſæ libertatem a neceſſitate, & cum aliunde de fide ſit hominem in hac vita mereri præmium, vel pœnam, prout bene vel male operatur, definita quoque cenſeri debet hæc propoſitio: Homo in hac vita liber eſt illa libertate, quę dicitur libertas a neceſſitate. Hanc tamen libertatem a neceſſitate excludit omnino Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus principium. Quomodo enim libera a neceſſitate poteſt dici voluntas quę nunquam ſuum delectationi gradibus ſuperiori poteſt denegare conſenſum?

XI.

Ex his omnibus patet quantum interſit diſcrimen Thomiſtas inter atque Janſeniſtas. Iſti aſſerendo atque propugnando Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperioritate invincibilibus principium, ſi bona fide dicant, non poſſunt rejicere doctrinam in quinque famoſis propoſitionibus damnatam, cum ſingulę contineantur in Janſeniano principio tamquam merę illius expoſitiones. Quod ſi forſan neceſſe ſit aliquando dialecticarum argumentationum ſubſidium accerſere, ab iis in dubium nullatenus vocari poterunt legitimę conſecutiones, quę adverſus eos eruuntur ex duabus prędmiſſis quarum una ſaltem eſt de fide, & altera omnino certa.

At de Thomiſtico ſyſtemate non eadem eſt ratio: nullum enim contra prædeterminationem phyſicam ab Adverſariis profertur argumentum, in quo alterutra ſaltem prędmiſſa non ſit valde dubia, vel etiam aperte falſa; ac proinde conſequentia quę ex ejuſmodi prędmiſſis eruitur non poteſt quoque eſſe niſi valde dubia, vel etiam aperte falſa.

Et vero poſt celebres Congregationes dictas *de Auxiliis*, quę ſub Clemente VIII. & Paulo V. habitę ſunt, Summus Pontifex non ſolum utrique parti permiſit propriam defendere ac propugnare ſententiam, ſed etiam prohibuit alterutram hęreſeos, aut alterius cenſurę nota inſimulare, donec aliter a Sancta Sede definiatur. Porro in his Congregationibus adverſus Thomiſtas impugnabatur prędſertim eorum de prędeterminatione phyſica ſententia. Adde quod cum efficaciam gratię ex phyſica prędeterminatione repetant Thomiſtę, impugnari non poſſet prędeterminatio phyſica quam tuentur, quin ſimul impugnaretur eorumdem de gratia ab intrinſeco, & per ſe efficaci ſententia, quam tamen tanquam laudabilem commendavit Summus Pontifex Benedictus Papa XIII. in ſua Bulla quę incipit: *Pretioſus*.

Qua

Qua ergo fronte Novatores pro tuendo ſuo de duabus delectationibus principio, quod quinque damnatis Janſenii propoſitionibus intimo nexu cohæret, cauſari poſſunt nonnullorum Theologorum ratiocinationes, quibus ſententiam de prædeterminatione phyſica tamquam libertati nociva impugnare tentarunt? Has enim conſecutiones non ſolum repudiant Thomiſtæ, ſed dubias eſſe & incertas fatentur ipſimet eorum Adverſarii. Janſeniſtæ autem negare bona fide nequeunt quinque famoſas propoſitiones ab Innocentio X. damnatas erui ex Janſeniano principio, vel tamquam meras illius principii expoſitiones, vel ſaltem tanquam conſecutiones legitimas præmiſſarum, quas velut certiſſimas propugnant omnes Orthodoxi, imo quas admittere coguntur, ſi ſint bona fide, ipſimet Janſeniſtæ.

AUGU-

§. II.

De Gratia Efficaci.

Humanam voluntatem diſſentire poſſe interiori Gratiæ, ſive ſufficienti, ſive efficaci, Dogma eſt definitum a Concilio Tridentino. Huic definitioni refragatur Janſenius, refragatur & Queſnellius. *Gratia*, inquit iſte Prop. 10. *eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt aut retardare.*

Concilii autem Tridentini definitionem eludere tentant Janſenii Sectatores variis cavillationibus & effugiis. Verum Frater Bellelli multo audacior dicere non eſt veritus Concilium duntaxat definiiſſe, poſſe reſiſti Gratiæ ſufficienti. Quam falſa ſit hæc expoſitio, probatum eſt Janſen. rediv. Part. 2. Art. 2. §. 2.

Huic Concilii Tridentini adulterinæ expoſitioni adhæret denuo Frater Bellelli, dum Queſnellii Propoſitionem 10. refellere aggreditur; illud enim ſolummodo in ea reprehendit, quod Gratiæ ſufficienti reſiſti non poſſe aſſerat. *Rejicitur*, inquit, *hæc Propoſitio, quæ falſa eſt, quia gratiam indefinite nihil impedire & retardare poſſe enunciat. Diſtinguenda eſt duplex gratia, ſufficiens & efficax; illa impediri & retardari poteſt, & retardatur interdum, abſente ſcilicet efficaci, ab humana voluntate diſſentiente: hæc autem in ſenſu compoſito impediri & retardari non poteſt.* Quod gratia efficax impediri & retardari non poſſit in ſenſu compoſito, ſicuti ſenſum compoſitum interpretantur communiter Thomiſtæ, certiſſimum eſt: nec etenim dubitari poteſt hæc duo ſimul componi non poſſe, gratiam ſcilicet efficacem, & voluntatis reſiſtentiam. At illi reſiſti poſſe in ſenſu diviſo tanquam Catholicum Dogma aſſerunt Thomiſtæ omnes, aſſerit & Janſenius quibuſdam cavillationibus fretus; ſed his hic confutandis non eſt locus, cum Frater Bellelli Queſnellii Propoſitionem 10. ſolummodo rejiciat, eo quod gratiæ ſufficienti reſiſti non poſſe enunciet; quod ſane a mente Queſnellii eſt prorſus alienum. *On m' impute*, ait ipſe in querela & prætenſa reclamatione quam edidit adverſus Conſtitutionem *Unigenitus* a Clemente XI. latam n. 2. *On m' impute de ne pas admettre des graces inefficaces aux quelles on réſiſte effectivement, & qui par la réſiſtance de la volonté, n' ont pas tout l' effet qu' elles devroient avoir. Je n' ay jamais refuſé d' admettre ces ſortes de graces, & je les ai effectivement admiſes, &c.*

Itaque Frater Bellelli huic Propoſitioni 10. ſenſum fingit extraneum & a mente Queſnellii alienum, ut ſuam de gratia irreſiſtibili ſententiam Cenſuræ in Bulla *Unigenitus* latæ ſubtrahat.

Quamvis autem confiteretur gratiæ efficaci reſiſti poſſe in ſenſu diviſo, quod & confitetur Janſenius, cæterique ejus Sectatores, profecto niſi ſimul retractaret Janſenianum de duabus delectationibus indeliberatis, & pro graduum ſuperiotitate invincibilibus, principium, dubitari non poteſt quin ita loqueretur in ſenſu Janſenii erroribus plane conſentaneo.

Huic Propoſitioni 10. adjungere licet Prop. 19. 22. 23. 24. & 25. Iſtarum autem duplex diſtingui poteſt ſenſus, uterque damnandus atque damnatus.

Unus eſt ille quem exhibent Propoſitiones in ſe ſpectatæ ſine ullo reſpectu ad ſyſtema Auctoris: Alter autem quem habent relative ad Auctoris ſyſtema in aliis Propoſitionibus clarius enunciatum. Propoſitio 19. in ſe ſpectata, v. g. quæ aſſerit Dei gratiam nihil aliud eſſe quam ejus omnipotentem voluntatem, ſenſum habet falſum & revera damnandum, cum Dei gratia ſit omnipotentis voluntatis effectus, non ipſa omnipotens voluntas. In Propoſitionibus autem 22. 23. 24. & 25. operatio gratiæ comparatur Incarnationis Myſterio, creaturarum e nihilo productioni, & corporum ſanationi a Chriſto divina virtute exhibitæ, quaſi mere paſſive ſe habeat liberum arbitrium dum ad agendum adjuvatur, ſicut paſſive ſe habuit humanitas Chriſti in actu unionis hypoſtaticæ, ſicut paſſive ſe habuerunt Creaturæ in actu creationis, & homines a Chriſto divina virtute ſanati in ipſo actu ſanationis. Senſus autem iſtarum Propoſitionum relative ad Queſnellii ſyſtema eſt voluntates humanas non magis reſiſtere poſſe operationi gratiæ, quam reſiſtere potuit humanitas Chriſti unioni hypoſtaticæ, quam reſiſtere potuerunt Creaturæ omnes earum productioni e nihilo, vel homines miraculoſe ſanati a Chriſto illius divinæ operationi.

Cum uterque ſenſus ſit revera damnandus, uterque etiam merito profertur ad vindicandam Cenſuræ æquitatem, imo alteruter ſeparatim adduci poteſt, & innoxie adducitur; ſed culpandus eſt valde F. Bellelli, ut dictum eſt ſupra, eo quod nullibi redarguat novum Queſnellii Dogma de gratia irreſiſtibili, nequidem dum pravum exponere ſenſum aggreditur illarum Propoſitionum quæ gratiam irreſiſtibilem expreſſis verbis aſſerunt. Illius Theologi affectatum in talibus circumſtantiis ſilentium nullatenus poteſt excuſari.

§. III.

De Morte Chriſti pro omnibus hominibus.

Inter Queſnellianas Propoſitiones 12. 30. 31. 32. & 33. aliæ voluntatem Dei atque Chriſti mortem pro ſalute hominum reſtringunt ad ſolos prædeſtinatos, aliæ hanc hæreſim ſatis aperte innuunt, & in eo ſenſu eas intelligit ac interpretatur F. Bellelli, docetque Chriſtum voluiſſe lapſos homines, non ad terminum uſque damnationis ruere, ſed in via æternæ ſalutis manere, legibus dirigere, atque ſufficienti poſſibilitatis gratia, urgente lege, juvare. Bene quidem, ſi illa ſufficiens poſſibilitatis gratia eſſet vere ſufficiens: Sed cum F. Bellelli nullam aliam poſſibilitatis gratiam admittat præter eam quæ gradibus eſt cupiditate inferior, quam parvam & invalidam vocat, & cum qua homo non magis poteſt operari, quam poſſit videre ille cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ, profecto inſufficiens eſt illa gratia, nec ſufficiens aliter dici poteſt, quam illarum ſubſidio æquivocationum quæ ſunt apud Janſeniſtas uſitatiſſimæ. Vide Janſen. rediv. Part. 2. Art. 2. & ejuſdem articuli §. 1. & Art. 5. n. 11.

Igitur F. Bellelli iſtarum Propoſitionum, ſcilicet Prop. 12. 30. 31. 32. & 33. legitimum quidem exhibet ſenſum, ſed Dogma harum Cenſura Propoſitionum definitum fraudulenter, non autem ſincero animo, admittit.

§. IV.

De Fide prima gratia.

Queſnellius docet nullas dari gratias, niſi per fidem. Prop. 26. Fidem eſſe primam gratiam & fontem omnium aliarum. Prop. 27. Primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, eſſe remiſſionem peccatorum. Prop. 28. & extra Eccleſiam nullam concedi gratiam. Prop. 29.

Quamvis hæ propoſitiones in rigore & proprio verborum ſenſu acceptæ ſignificent infidelibus, antequam fidem recipiant, Hæreticis & Schiſmaticis, antequam ad Eccleſiam redeant, & peccatoribus, antequam eis remittantur peccata, nullam concedi gratiam; atque in eo ſenſu damnandæ ſint, & damnatæ fuerint; nihilominus quoniam Queſnellius eaſdem Propoſitiones in eo ſenſu acceptas damnat; (agnoſcit enim * quaſdam gratias quibus Infideles & Hæretici ad fidem, Schiſmatici & Peccatores ad Pœnitentiam diſponuntur) alter ſenſus in his Propoſitionibus ſyſtemati Queſnelliano congruentior eſt inveſtigandus.

* Vide querelam & reclamationem Queſnel. n. 9.

Notandum eſt autem damnatam non eſſe in his Propoſitionibus ſententiam Theologorum illorum, qui docent nullam aliam dari gratiam ſupernaturalem, ante eas quibus Infideles diſponuntur vel excitantur ad fidem; aliud eſt enim aſſerere primam gratiam eſſe fidem, & aliud primam gratiam eſſe illam qua Infideles diſponuntur vel excitantur ad fidem, cui poſſunt reſiſtere, & cui ſæpe reſiſtunt. At in ſyſtemate Queſnellii, qui nullas admittit gratias niſi efficaces, ac proinde contendit gratias quibus infideles excitantur ad fidem ſemper operari aliquod initium fidei, aliquam fidem inchoatam, dicitur conſequenter fidem, ſaltem inchoatam, eſſe primam gratiam, nullamque dari gratiam ante fidem illam, ſaltem inchoatam: dicitur quoque nullam dari peccatoribus gratiam, præter illas quibus inchoatur remiſſio peccatorum. Porro hunc poſteriorem ſenſum qui relative ad ſyſtema Auctoris genuinus videtur ac legitimus, damnatum eſſe in Bulla *Unigenitus*, nullus inficiari poteſt Theologus, ſi Catholice ſentiat.

Quamvis autem F. Bellelli Queſnellianam Doctrinam refellere ſimulet, huic tamen omnino favet atque adhæreſcit, dum aſſerit fidem inchoatam eſſe primam gratiam. *Verum itaque eſt*, inquit, * *fidem inchoatam eſſe primam gratiam.* Si fides inchoata ſit prima gratia, ergo nullæ dantur gratiæ ante fidem inchoatam; ergo nullæ dantur gratiæ quibus reſiſtat Infidelis excitatus ad fidem amplectendam. Gratia etenim qua ad fidem excitatur Infidelis, & quam rejicit, nullatenus dici poteſt fides inchoata. Ergo F. Bellelli, aſſerendo fidem inchoatam eſſe primam gratiam, nullas alias admittit, quibus Infideles ad fidem excitati ſuum renuant præſtare conſenſum.

* Bellelli Tom. 2. in Prop. 28. Queſnel. §. 2.

§. V.

De Gratia primi Hominis.

Propositio Quesnellii 34. sic habet, *Gratia Adami non producebat nisi merita humana;* & duplici ex capite damnatam in Bajo & Jansenio Doctrinam renovat. 1. quidem merita primi hominis humana vocat Jansenius Lib. 2. de grat. Christ. Salv. Cap. 6. & a meritis hominis lapsi secernit, quia gratia Adami talis erat quod posset illi resistere vel obtemperare; gratia autem in statu naturæ lapsæ meritis Christi concessa talis est juxta Jansenium, ut illi resisti non possit, quod est hæreticum.

Itaque juxta hunc Novatorem, quia Adamus resistere poterat gratiæ in statu innocentiæ, merita illius ad ipsum pertinebant potius quam ad gratiam; & quia in statu naturæ lapsæ homo non potest resistere illi gratiæ quæ gradibus concupiscentiam superat, illius merita ad gratiam potius pertinent, quam ad hominem lapsum.

2. Merita primi hominis etiam humana dicuntur in systemate Baji & Jansenii, in eo sensu quod producebantur a gratia quæ debita erat naturæ sanæ & integræ, quæ doctrina damnata est in sequenti Propositione Quesnellii 35. de qua mox agetur.

Hanc Propositionem 34. aliter exponit F. Bellelli. * Bellelli Tom. 2. in Prop. 34. Quesn. §. 4. *Quia gratia simul hominisque libertas*, inquit *, *Adami merita producebant, irrefragabili argumento conficitur, minime quidem mere humana, sed una simul humana merita, Deique dona fuisse.* ** Hunc autem sensum rejicit ipse Quesnellius, negatque se unquam dixisse Adami merita fuisse mere humana. ** Quesnel. Exposé plus ample, §. 8. de la Grace d'Adam.

Fatendum est quidem hunc sensum Propositioni Quesnellianæ in rigore posse adscribi, sed quoniam F. Bellelli nullam aliam propositionis 34. affert expositionem, & illos non assignat pravos sensus, quos congruenter Bajano & Jansenio systemati habet eadem Propositio, profecto silentio suo Theologus iste favet errori damnato, imo expresse docet sensum in ea Propositione damnatum, ut mox patebit.

Propositio Quesnellii 35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ.*

Hanc Doctrinam amplexum fuisse F. Bellelli, demonstratum est in Bajan. Rediv. Part. 2. Art. 2. * *Non potuit Deus*, inquit, *Creaturam condere quæ semper perversa esset, nec nisi perversa esse potuit sine gratiæ adjutorio.* Unde colligitur evidenter Creaturam rationalem in Bellellino systemate sine gratiæ adjutorio non potuisse condi. Docet etiam F. Bellelli, Deum non potuisse Creaturam rationalem non destinare ad visionem sui ipsius intuitivam, vel illi denegare media ad illam consequendam necessaria, ac consequenter impossibilem esse illum statum quem Theologi vocant statum purę naturę; quod ut suadere tentet, tertiam partem & amplius Libri *de Creat. Ration. ante Peccatum*, adhibet expressis verbis docens illum statum esse impossibilem, atque Baji Propositiones in extraneos ac confictos detorquet sensus, ut sic Censuræ suam subtrahat doctrinam. Vide dicta in Bajan. Rediv. Part. 2. Art. 2. §. 2. 3. & 4. * F. Bellelli de Statu Creat. Ration. Lib. 3. Cap. 7.

Istius status impossibilitatem defendendam atque probandam iterum suscipit in Opere suo posteriori. Tom. I. Lib. 4. Cap. 17. 18. 19. & 20. Sed cum ibi priores errores de impossibilitate status naturæ puræ non retractet, mirum non est eum denuo confugere ad varias æquivocationes variaque effugia, quibus Anathemati in Bajanas Propositiones lato se subducere tentet. Vide Bajan. Rediv. ibidem, §. 6.

Quando autem æquitatem Censuræ in Quesnellii Propositiones latæ exponere aggreditur, damnandum quidem Propositioni 35. affingit sensum, sed a mente Quesnellii prorsus alienum. *Gratiam Adami*, inquit, *illis verbis exprimit* (Quesnellius) *quibus significari * a Philosophis solent congenitæ naturæ proprietates .... Si igitur Adami gratia nomine sequelæ Creationis exponitur, jam tamquam creatæ naturæ proprietas ex intimis ejusdem nascens admittitur. Addit insuper Propositio quod gratia Adami erat debita naturæ sanæ & integræ. Non igitur supernaturalem gratiam naturæ indebitam confitetur, sed solam gratiam naturalem, seu gratiam creationis, quæ primum hominem e nihilo traxit. Naturæ nimirum creatæ sui ipsius proprietates naturali lege debentur.* * Bellelli de Modo repara. Tom. 2. §. 1. in Prop. 35.

Contendit ergo F. Bellelli quod Quesnellius voluerit gratiam Adami fuisse ingenitam naturæ creatæ proprietatem ex intimis ejus nascentem; sed quis, nisi desipiat, potest hunc propositioni damnatæ, & Quesnellio ejus Auctori absurdum atque ridiculum tribuere sensum? Quis, si sit rationis compos, asserere potest gratiam Adami fuisse proprietatem naturæ ex ejus intimis nascentem, ab eaque inseparabilem? Hoc itaque non docuit Quesnellius, nec hoc in Quesnellio damnavit summus Pontifex.

** *C' est faussement*, inquit Quesnellius, *qu' on m' accuse de n' avoir admis dans Adam qu' une grace naturelle inséparable de sa nature, & que ses mérites n' eussent pour principe, qu' une grace de l' ordre naturel.* ** Plainte de Quesnel. §. 8.

Itaque evidenter patet F. Bellelli idem sentire de gratia Adami quod sentit Quesnellius, nec aliter Censuram Pontificiam declinare, quam falsum Propositionibus damnatis tribuendo sensum.

Orthodoxe tamen loquitur in §. sequenti dum exponit quo pacto debitum Providentiæ Dei veræ gratiæ non obsit, quod expositum quoque videre est in Bajan. rediv. Part. 2. Art. 2. §. 6. n. 9. Suppositа enim Dei ordinatione, qua creaturam rationalem ad intuitivam sui ipsius Visionem destinavit, illi consequenter debentur auxilia omnia ad suum finem consequendum necessaria: verissima est hæc Propositio; sed in hoc differt F. Bellelli ab Orthodoxis, quod isti sentiant hanc ordinationem ad visionem Dei intuitivam esse mere gratuitam, ac proinde gratuita quoque esse subsidia, quæ vi illius ordinationis creaturæ rationali conferuntur. F. Bellelli e contra alibi docuit * hanc ordinationem non esse mere gratuitam, sed creaturæ rationali a Deo non potuisse absque injustitia denegari, nec hanc doctrinam isto in loco nunc retractat. Etsi ergo gratiæ non obsit debitum Providentiæ quale admittitur a Theologis Orthodoxis, ei tamen obest debitum illud in sensu F. Bellelli intellectum. * Vide Bajan. Rediv. Part. 2. Art. 2. §. 1.

In Propositionibus 36. & 37. Quesnellius insistit eidem illi discrimini quod intercedere contendit inter gratiam Adami & gratiam hominis lapsi, & in eo sensu videtur asserere quod gratia Adami fuerit illi proportionata, quod unusquisque eam in sua propria persona recepisset. Et quod gratia Christiana sit omnipotens & digna Filio Dei, quodque ea non recipiatur nisi in persona Jesu-Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

Istæ tamen Propositiones in rigoroso verborum sensu alios etiam sensus offerunt Lutheranos plane ac Calvinianos: asserere enim videntur errorem de justitia Christi extrinsece solum nobis imputata, cum tamen ex Concilio Tridentino ea in nobis recipiatur, in cor nostrum diffundatur, atque nobis inhæreat. Hos autem sensus libenter damnat F. Bellelli, modo Jansenianum & Quesnellianum systema servetur indemne.

§. VI.

De Peccandi necessitate.

Peccatorem non esse liberum, nisi ad malum sine gratia Liberatoris, docet Quesnellius Prop. 38. Liberum Arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valere docuerat Bajus Prop. 28.

Has Propositiones non sic esse intelligendas, quod absque gratia sanctificante, vel quod absque gratia efficaci peccator non sit liber nisi ad malum, vide dicta in Bajan. rediv. Part. 1. Art. 4. & Part. 2. Art. 5. Nam de adjutorio gratiæ actualis in genere agunt, sive illa sit efficax, sive sufficiens, ac proinde restringi non possunt vel ad gratiam habitualem, vel ad gratiam efficacem.

Nec etiam esse intelligendas in eo sensu quod appetitus innatus beatitudinis qui in nobis inest, vel motus indeliberati qui exurgunt in nobis sint peccata, vide dicta ibid.

Nec quoque esse intelligendas in eo sensu quod voluerint Bajus & Quesnellius omnia opera absque adjutorio gratiæ esse mala, non solum defectu debitæ ordinationis in Deum charitate amatum, sed etiam ex officio, vel ex fine proximo. Quod enim omnia opera humana sint peccata, vel ex officio, vel ex fine proximo nullus unquam docuit, nec docere serio potuit. Quis enim auderet asserere largitionem eleemosynæ cuidam mendico ex motivo commiserationis pure naturalis esse peccatum, vel ex objecto in quantum subvenitur miseriæ illius mendici, vel ratione finis proximi qui est commiseratio pure naturalis? Contendunt duntaxat, duce Bajo & Jansenio, Quesnellistæ eam esse peccatum, quia non refertur ad Deum charitate amatum. Vide dicta ibid. Part. 2. Art. 5. n. 6. Docent enim Bajus, Jansenius, atque Quesnellius absque gratiæ adjutorio nihil fieri posse ab homine quod non sit peccatum, eo quod absque gratiæ adjutorio nemo possit agere ex motivo charitatis, & peccata sint ea omnia quæ non fiunt ex motivo charitatis; & hic est sensus in Prop. 28. Baji, & in Prop. 38. Quesnellii damnatus.

Frater tamen Bellelli Propositioni Baji 28. & Quesnellii 38. supradictos fictitios & a mente Baji, Jansenii

PRÆFATIO.

HAud in animum induco meum huic diſſertationi, qua illatam mihi, & Fulgentio Bellelli viro doctiſſimo ac probatiſſimo Janſenianæ hæreſeos calumniam exſufflare & diſpellere aggredior, longiorem præmittere præfationem. Nam & quæ in prævia enarratione ad Refutationem *Bajaniſmi Redivivi* dicta ſunt, ſatis ſuperque ad hanc poſtremam velitationem lectoris animum præparant, ingeniumque Anonymi famam noſtram crudeliſſime lacerantis oſtendunt: & Anonymus ipſe in ſua *ad Janſeniſmum Redivivum* præfatiuncula fere nihil attingit, quod peculiarem exigat diſquiſitionem. Narrat enim duntaxat, Janſeniani Operis, inſcripti *Auguſtinus*, infauſtam editionem, judicium, ventilationes, lataſque in quinque propoſitiones ab Apoſtolica Sede cenſuras: quorum nil a me libro decimoſeptimo Theologicarum Diſciplinarum fuit prætermiſſum: ſed his enarratis, ulterius addita fuit diſputatio, in qua demonſtratur judicium Romanorum Pontificum in dirimenda facti Janſeniani quæſtione eſſe irreformabile; id, quod meam a Janſenianis diſcrepantiam, etiamſi monimenta alia deeſſent, apertiſſime comprobaret. Et quidem Anonymus, quum ea, quæ de Janſenio a tertia ad duodecimam paginam mandavit litteris, a me primum, & abſit invidia verbo, diligentius & accuratius fuerint conſcripta, fateri debebat me nec Janſenianum eſſe, nec fraudulentum ſcriptorem, a ſe vero frigidiſſimam eruditionem oſtentari in iis, quæ ſutoribus, lippis, tonſoribuſque ſunt nota. Pauca tantummodo illius præfationis verba ſunt perſtringenda, eaque prope finem ad hunc modum ſonantia: *Prodiere*, inquit, *nonnulli, qui perfectam &* Jan. Red. pag. 11. *omnimodam Conſtitutionibus Apoſtolicis obedientiam profitentes, ſyſtema tamen Janſenianum, hæreſeſque in quinque propoſitionibus damnatas non deſeruerunt, imo ſub velamine vocabulorum ſpecie tenus Catholicorum eas ſatis aperte docuerunt. Inter eos eminent PP. FF. Bellelli & Berti Eremitæ Auguſtiniani, quos in altera diſſertatione noſtra Bajaniſmi convictos, in hac nunc Janſeniſmi ſuſcipimus convincendos.*

II. Duo in his verbis, ni fallor, comprehenduntur; unum eſt, profiteri nos *omnimodam obedientiam Apoſtolicis conſtitutionibus*, ideoque famoſas Janſenii propoſitiones refellere, earum damnationi ſubſcribere, *Formularium* probare, *obſequioſum*, ut vocant, *ſilentium* reprehendere, pro judicio Apoſtolicæ Cathedræ, tamquam pro aris focisque, pugnare. Quæ cum ita ſint; jam apparet per ſummam execrandamque calumniam nos Janſenianæ hæreſis inſimulari; quandoquidem Innocentius XII. Pontifex Max. ut prævia diſſert. dictum eſt, compeſcuit licentiam eorum, qui Auguſtini ac Thomæ Diſcipulos *invidioſo Janſeniſtarum nomine* traducunt, vetans ne quiſpiam id in aliquem audeat, niſi prius *legitime conſtiterit* ab illo aliquam ex quinque propoſitionibus enuntiari. Neque enim ad calumniæ notam a ſe avertendam, quod ut Anonymus faciat pro eo, quo ipſum proſequimur, ſtudio, etiam atque etiam oramus atque obteſtamur, ſat eſt nobis objicere principia & conſecutiones Janſenianas, prout facit immenſis clamoribus ac dicteriis; ſiquidem & illud demonſtravimus, nefas eſſe illum hujuſmodi accuſationibus laceſſiri, quem conſtet ipſas conſecutiones rejicere: ut mittam, ſenſum damnatarum theſium eſſe *quem verba præſeferunt*, nec nos cogendos eſſe ad ſcripta auctorum pervolutanda, in quibus complura fortaſſis veriſſima erroribus inveniuntur permixta, & quæ non proponit nobis Eccleſia ut legantur, ſed ne legantur inhibet atque interdicit. Id vero non ita dictum volo, quaſi a me ipſa Janſeniana principia defendi verſutiſſimo ac mendaciſſimo impoſtori concedam, timeamque cum illo pedem conferre, & litterarium certamen inire; ſed ut probe intelligat, nullam in nos vim habituram falſiſſimam criminationem ſuam, etiamſi cum Janſeniana in principiis ſententia noſtra conveniret; quando non hæc principia damnata ſunt, ſed conſectaria, quæ Janſenius illinc male deduxit ac derivavit. De qua re rogo naſutiſſimum accuſatorem, ut ſi noſtris his lucubratiunculis faſtidioſiſſime ſtomachatur, poſtulet quorumlibet Theologorum judicium: ſpero enim futurum fore, ut unuſquiſque illo duntaxat perlecto titulo, *Janſeniſmus Redivivus*, ſtatim percipiat agi de veteri, putidaque criminatione. Inſpecto autem, quod in fronte libri ſequitur, nomine meo, ac Fulgentii Bellelli, duorum nempe ſcriptorum, qui ſane, qualiſcunque eruditionis ingeniique ſimus, fidem profitemur Catholi-

tholicam, & qui ſcripta noſtra in lucem emiſimus cum Superiorum facultate, præviiſque doctiſſimorum cenſorum approbationibus, vehementer lector mirabitur tam gravem, & acerbam in nos calumniam ex leviſſimis conjecturis conflari. Quid vero, ſi perlecta eo titulo inſignita diſſertatione, in hac pariter, & in ſingulis fere pagellis ob doctrinam, quam a majoribus noſtris accepimus, quam viri celeberrimi ac ſapientiſſimi tradiderunt, quam Noriſius tanti nominis ſcriptor propugnavit, vindicavit & illuſtravit, cernat lector nos mendacii, fraudis, temeritatis, & damnatarum hæreſum accuſari? Num dicturus eſt vitilitigatorem hunc ad ſcribendum æquitate, & veritatis amore fuiſſe compulſum, & non potius æmulatione, aut livore? Num doctrinam, prudentiam, & humanitatem illius admirabitur, non vero loquacitatem, ignorantiam, ſimultatem, & nocendi ac vituperandi maximum & inſatiabile deſiderium?

III. Alterum, quod in præmiſſis Anonymi verbis contineri dicebam, eſt, nos in altera diſſertatione Bajaniſmi fuiſſe *convictos*, nunc vero eſſe de Janſeniſmo *convincendos*. Nullus accuſator alterum majori confidentia criminatus eſt aliquando, nullus omnino. Convictos enim nos Bajaniſmi jactat, quaſi in nos judex ſententiam protulerit, & accuſationis capita tam perſpicue fuerint a ſe demonſtrata, ut neceſſitate coacti, patrocinio, ſuffragio, defenſione deſtituti penitus tacuerimus. At fallitur homo confidentiſſimus, & eo magis decipitur, quod nos convictos exiſtimat ſubrancidis, ac tritiſſimis argutiunculis, quas apud nos noverunt adoleſcentuli, qui nuperrime ad Theologica ſtudia acceſſere. Mirum autem ſibimet perſuaſiſſe hominem ratione præditum, talia a ſe urgeri, ac proponi, quibus nil habeant quod reponant Auguſtiniani univerſi, quorum in ſola Italia ſupra ſexaginta Gymnaſiarchæ, ac Doctores Sacræ Theologiæ omnes, ſententiam propugnant noſtram; immo talia, quibus Cenſores Romani, qui ſcripta noſtra probarunt, non ii tantum, quorum approbationes in lucem emiſimus, ſed alii complures, a quibus, poſt hujuſmodi criminationes vulgatas, eadem ſcripta noſtra a Pontifice Optimo Maximo commiſſa fuerunt examinanda, atque nullibi ſpongia indigere ſunt adinventa, bardi omnino, ac ſtupidi cenſeri debeant. Quantum ad me ſpectat, jam demonſtravi non tantum Bajaniſmi me non eſſe convictum, verum etiam ab auctore Anonymo fictitium Bajaniſmum excogitatum fuiſſe, plurimoſque Orthodoxos, atque eximios Theologos ab eo irrito conatu, ſumma audacia, ac ſupina Theologicorum ſyſtematum ignoratione, tamquam Bajaniſtas fuiſſe traductos: idque affirmandum etiam de iis, qui ſibi famam aliorum depreſſione quærentes, ac titulo aliquo, quo in præſentiarum etiam Theologi illi cohoneſtantur, qui tamquam fungi naſcuntur, diſtenti ac tumidi eamdem in nos calumniam urgere quammaxime ſtuduerunt. Ceterum unumquemque iſtorum, ne modeſtiæ, ac pudoris, quem in eis probi omnes viri deſiderant, excedam limites, verbis alloquar Auguſtini: *Jam reſponſum eſt, & adhuc tu vana loqueris: neque enim hoc mirum eſt; adhuc enim quid reſponderim neſcis; tunc eris impudentior, quando ſcieris, ſi vanis relictis vera tenere nolueris*; lib. 2. Op. Imperf. num. 69.

INDEX DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

IN quo de Auguſtiniana, & de Janſeniana circa gratiam doctrina diſſeritur, utriuſque demonſtratur diſcrimen, ac pertractatur de ſenſu damnato in quinque Janſenii propoſitionibus. 69

§. I. *Exponitur Auguſtinianum ſyſtema tribus poſitionibus, quibus conſtat, examinatis.* ibid.

§. II. *Vindicantur quæ in ſuperiori ſyſtemate ab adverſariis redarguuntur.* 74

§. III. *Traditur Janſenianæ hæreſeos duplex character.* 80

§. IV. *In primam Janſenii propoſitionem, oppoſitam Auguſtinenſium æque, ac Thomiſtarum ſyſtemati.* 84

§. V. *De aliis Janſenii propoſitionibus, & de his oppoſita Thomiſtarum & Auguſtinianorum ſententia.* 88

§. VI. *Agitur de poſtrema Janſenii propoſitione, a Thomiſtis, & ab Auguſtinianis eodem modo rejecta.* 91

§. VII. *Quo ſenſu delectatio victrix deliberata dicenda ſit, & an libertatis admittendum ſit æquilibrium.* 96

§. VIII. *In ea quæ de hæreſi Janſeniana ſcribit Anonymus, animadverſiones, & notæ.* 99

§. IX. *In prænotationes Anonymi ad primam Janſenii propoſitionem.* 104

§. X. *Ad prænotata Anonymi in ſecundam Janſenii propoſitionem.* 106

§. XI. *De Anonymi prænotationibus in tertiam Janſenii propoſitionem.* 108

§. XII. *Ad Anonymi prænotata in quartam Janſenii propoſitionem.* 109

§. XIII. *Ad prænotationes Anonymi in quintam Janſenii propoſitionem.* 111

CAPUT II.

Vindicantur libri de Theologicis Diſciplinis *ab iniqua Janſeniane hæreſeos calumnia.* 114

§. I. *Denegatur in libris* Theologicarum diſciplinarum *delectatio illa gradibus ſuperior, quæ ita ſit* invincibilis, *&* neceſſitatem *inferens, ut ſub illa voluntas a ſola* coactione *ſit libera.* ibid.

§. II. *Apertiſſimæ falſitatis convincuntur, qui ajunt negari in Scriptis noſtris gratiam* ſufficientem *ab efficaci diſtinctam.* 115

§. III. *Decipitur, & allucinatur quiſquis ait nos exiſtimare aliqua præcepta eſſe juſtis* impoſſibilia. ibid.

§. IV. *Propugnari in Scriptis noſtris non tantum* ſufficientem *gratiam, cui voluntas reſiſtit, ſed etiam libertatem* indifferentiæ *perſiſtentem ſub gratia* victrici, *fateri cogitur quilibet, quantumvis pervicax, criminator.* 116

§. V. *Nunquam tanto ingrati animi vitio peccavimus, ut negaverimus piiſſimum* Jeſum *eſſe omnium omnino hominum* Redemptorem. 117

§. VI. *Scrupuli criminatoris evelluntur, atque eradicantur.* 118

§. VII. *Sequitur oppoſitionum Anonymi refutatio.* 122

§. VIII. *Ad ea, quæ adverſum nos producit Anonymus, ut nitatur evincere quod a ſecunda Janſenii propoſitione non receſſerimus.* 124

§. IX. *Ad ea, quæ Anonymus* IX. *&* X. *articulo objicit, ut nobis tertiam & quartam Janſenianam poſitionem adſcribat.* 127

§. X. *Refutatur poſtrema Inſimulationis criminatio.* 130

CAPUT III.

Reprimitur illata Fulgentio Bellelli *viro Clariſſimo Janſeniani erroris calumnia.* 135

§. I. Fulgentius Bellelli *non ſtatuit efficacitatem gratiæ in delectatione victrici, quæ cum ſit gradu ſuperior cupiditate,* antecedenti neceſſitate *liberum impellat arbitrium, eique tollat agendi, & non agendi potentiam.* 135

§. II. *Perſpicue tradidit Auguſtinianus Theologus ſufficientem gratiam diſtinctam ab efficaci.* 136

§. III. *Imponunt Auguſtiniano eximio viro, qui ajunt docere illum quod aliqua Dei præcepta, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſint juſtis impoſſibilia.* ibid.

§. IV. *Aperte ſenſu plane catholico* P.Bellelli *explicat, propugnatque libertatem a* neceſſitate, *quæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ requiritur ad merendum, & demerendum.* 137
§. V. *Manifeſte calumniantur qui aſſerunt rejici a Fulgentio Bellelli divinam ſalvandi omnes voluntatem, & communem univerſorum hominum redemptionem.* ibid.
§. VI. *Diluuntur & exſufflantur Inſimulatoris oppoſitiones.* 138
§. VII. *Sequitur objectorum Anonymi refutatio.* 140
§. VIII. *Recenſentur ea, quæ Anonymus* effugia, æquivocationes, & mera verba *appellat, ut inde concludat* Fulgentium Bellelli *eſſe Janſenii diſcipulum.* 144
§. IX. *Demonſtratur quam inepta ſint, ac futilia præmiſſa objectamenta.* 145
§. X. *Comprimitur poſtremus adverſarii conatus, & conſequentium falſitas infertur ex antecedentium confutatione.* 146

DISSERTATIO V.

CAPUT I.

Demonſtratur effugere non poſſe notam calumniatoris, qui Scriptorem catholicum damnati erroris inſimulant, quoniam is utitur principiis, unde inſimulatoribus videtur inferri error ipſe proſcriptus; dummodo principia illa non ſint pariter damnata, & a quibuſdam Catholicis propugnentur; Scriptor autem ille ita principia hæc ſtatuat, ut conſecutiones inde ab adverſariis deductas, erroreſque objectos refutet, & damnet. 155

CAPUT II.

Anonymi conſecutiones illegitimas eſſe convincitur, & prior Appendix *breviter refutatur.* 158

CAPUT III.

Appendix altera Anonymi expenditur, atque diſcutitur. 164

DISSERTATIO VI.

CAPUT I.

In quo recenſentur Bajani errores, atque ex principiis Auguſtinianæ Theologiæ refutantur. 169
§. I. *Errores Baji circa gratiam Angelorum, ac primi hominis.* ibid.
§. II. *Baji errores, qui comprehenduntur in propoſitionibus de libero arbitrio lapſorum hominum enuntiatis.* 170
§. III. *Propoſitiones Bajanæ pertinentes ad libertatem, legiſque tranſgreſſionem.* 171
§. IV. *Michaelis Baji errores circa merita operum.* ibid.
§. V. *Recenſentur errores Baji circa juſtificationem.* 172
§. VI. *Aſſerta Baji de peccatis, jure a Romanis Pontificibus proſcripta.* 173
§. VII. *Articuli Baji verſantes circa virtutem Sacramentorum, & circa ſolutionem temporalium pœnarum.* 174

CAPUT II.

De quinque Janſenii propoſitionibus. 175

CAPUT III.

De erroribus, qui continentur in propoſitionibus Queſnellianis per Conſtitutionem, Unigenitus, *jure meritoque damnatis.* 177
§. I. *Queſnelli propoſitiones, in quibus agitur de Gratiæ neceſſitate, & natura.* ibid.
§. II. *Propoſitiones Queſnelli ſpectantes ad Fidem.* 179
§. III. *Sequuntur errores Queſnelli circa Dei voluntatem ſalvandi omnes, & circa Chriſti mortem ac redemptionem.* ibid.
§. IV. *Enuntiationes Queſnelli de gratia naturæ integræ.* 180
§. V. *Sex Queſnelli propoſitiones circa vires liberi arbitrii primo peccato inclinati.* 181
§. VI. *Queſnelli propoſitiones de caritate, & cupiditate.* 182
§. VII. *Octo Queſnelli propoſitiones de Timore.* 183
§. VIII. *De reliquis Queſnellianis propoſitionibus.* 184

DISSERTATIO IV.

IN QUA DISCUTITUR

JANSENISMUS REDIVIVUS,

De Janſenii hæreſi diſputatur, hujus calumnia Auguſtinianis Theologis illata denudatur, arguitur, & revincitur.

Propoſitis ſingillatim capitulis, ſub unoquoque eorum ſenſus noſtri, & fidei, quam ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate defendimus, verba ponemus; ut qui paululum ſe ad legenda hæc dignati fuerint occupare, evidenter agnoſcant, impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium: & blaſphemias, quas perſpexerint noſtra profeſſione damnari, in earumdem repertoribus cenſeant debere puniri.

S. Proſper in Præf. ad object. Vincent.

DISSERTATIO IV.

IN QUA DISCUTITUR

JANSENISMUS REDIVIVUS,

CAPUT PRIMUM.

In quo de Auguſtiniana, & de Janſeniana circa gratiam doctrina diſſeritur, utriuſque demonſtratur diſcrimen, ac pertractatur de ſenſu damnato in quinque Janſenii propoſitionibus.

SErvatæ in præcedentibus diſſertationibus methodo inſiſtens, principio exponendum propoſitionum Cornelii Janſenii reprobatum pravumque ſenſum, & Auguſtiniani ſyſtematis patens, latiſſimumque a Janſeniano diſſidium, atque in veritatis patrocinium complura illuſtrium Theologorum teſtimonia proferenda eſſe arbitror; quum omnis criminationis iniquitas facilius collatione teſtium, quam litigantium conflictatione revincatur. Quoniam vero Anonymus contendit quinque propoſitionum doctrinam erroremque manare ex principio duarum delectationum pro graduum ſuperioritate invincibilium; primo ad trutinam revocabimus num in tradito a nobis ſyſtemate aliquid lateat cenſura dignum, eidemque Janſeniano principio cohærens: deinde quomodo ex principio illo proſcriptæ propoſitiones conſequantur; poſtremo autem qua ratione his adverſentur Auguſtiniani, ac Thomiſtæ, aliique gratiæ ſeipſa efficacis propugnatores.

§. I.

Exponitur Auguſtinianum ſyſtema tribus poſitionibus, quibus conſtat, examinatis.

To. 3. pag. 140. pag. 249. pag. 153. SYſtema igitur, quod nos in libris *de Theologicis diſciplinis* propugnavimus, eſt, *Gratiam eſſe mentis illuſtrationem, & inſpirationem caritatis, ſed magis in delectatione, quam in illuminatione ſitam eſſe: Gratiam efficacem eſſe victricem delectationem, quæ ſuperat contrariam cupiditatem: Delectationem non eſſe eamdem in omnibus, ſed modo efficacem, modo inefficacem, & habere caritatem & gratiam gradus ſuos, ex quibus abſque ullo præjudicio abſolutæ Dei voluntatis mirabilis ejus œconomia una cum vera arbitrii libertate facile poteſt dignoſci.* Hæ ſunt theſes, quas lib. XIV. Gratiæ naturam, atque energiam explicantes confirmavimus multiplici genere argumentationum: atque in his totum ſyſtema, quod calumnioſe traducitur, continetur; nullam ſiquidem litem nobis adverſarius intentat, vel quod in hoc infirmitatis ſtatu admittamus gratiam *ab intrinſeco* efficacem, aut quod hanc gratiam neceſſariam minime arbitremur in ſtatu naturæ integræ, in quo caro non pugnabat adverſus ſpiritum: quæ ſunt alia duo doctrinæ noſtræ principia, unum inconcuſſum, nobiſque ac Thomiſtis omnibus commune; alterum ſaltem probabile, a plurimis Theologis admiſſum, & Auguſtini auctoritate, ac permultis argumentis ſuffultum. Itaque ad tria illa priora capita revocanda eſt controverſia.

I. Primo gratiam actualem (de hac enim diſſerendum eſt) *in illuſtratione mentis, & in ſanctæ dilectionis inſpiratione* ſitam eſſe, atque in hac præſertim, citato in loco demonſtravi pluribus argumentis: quorum nec unum adverſarius ſolvit; ideoque cuncta in ſuo adhuc pondere perſeverant. Neque ea nunc repetere neceſſum eſt, cum & ibidem legi poſſint, ac demonſtratum apertiſſime ſit, ipſam actualis gratiæ definitionem, *Inſpiratio ſanctæ dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*, depromptam eſſe ex Auguſtini libro IV. ad Bonifacium, ſive contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 5. num. 11.

II. Demonſtravi etiam diſſert. I. hujus Operis cap. 2. §. 6. num. 4. ex Dionyſio Petavio de Hæreſi Pelagiana, ac Semipelagiana cap. 8. ex Eminentiſſimo Cardinali de Lauræa Opuſc. 3. cap. 15. ex P. Macedo p. 2. Cortinæ, atque ex Stephano Dechamps de Hær. Janſ. lib. 3. cap. 16. gratiam, quam Auguſtinus propugnavit adverſus Pelagianos, complecti illa duo, ſcilicet, *mentis illuſtrationem, atque inſpirationem amoris*. Et ne ſingula repetamus; prælaudatus Petavius, poſtquam de priori gratiæ munere accurate pertractavit, affirmat num. 7. etiam Pelagium præter liberum arbitrium illam gratiam tradidiſſe, quæ non eſt *ſola lex & doctrina Chriſti extrinſecus ſonans*, ſed ulterius *doctrinæ iſtius applicatio per internam inſpirationem & illuſtrationem*. Addit præter ipſam gratiam, quam Pelagius agnoſcebat, aliam deſideraſſe Auguſtinum; ideoque *evidens eſt*, inquit, *non eum putaſſe ſufficere mentis illuſtrationem, qua quod agendum eſt cognoſcitur: nec eam proprie dictam eſſe Chriſti gratiam, de qua cum illis tantopere certabat*. Ait de altero gratiæ genere: *Porro alterum gratiæ genus, quod in motione voluntatis poſitum eſt, declarat in illis omnibus locis, quæ paullo ante commemoravimus. Ac paſſim id eſſe ſitum docet in delectatione, ac ſuavitate dilectionis, quam Deus cordibus noſtris inſpirat*. Neque hoc Petavius affirmat ſolum, verumetiam tam expreſſis, & luculentis Auguſtini teſtimoniis demonſtrat, ut quiſquis nobis objiciat quod auxilium gratiæ potiſſimum conſtituamus *in ſanctæ dilectionis inſpiratione*, aut temerario auſu in Auguſtinum inſurgat, aut Pelagianæ hæreſeos ſumma ignorantia laboret, aut in votis habeat apertiſſimam veritatem conculcare, atque per fas, & nefas in crimen catholicorum ſententiam adducere. Pet. to. 3. edit. Pariſ. pag. 631. & 632.

III. Neminem autem latet communiori Theologorum ſententia prævenientis gratiæ auxilium *in actibus indeliberatis intellectus voluntatiſque conſiſtere*. Quid eſt autem indeliberatus actus intellectus, niſi *illuſtratio mentis*, & præcedens omnem deliberationem ſancta cogitatio? quid actus voluntatis, niſi *pius affectus, bona voluntas, delectatio, deſiderium, caritas, cupiditas boni*? Sufficiat unum Theologorum proferre e Societate Jeſu, qui nuperrime opus inſcriptum *Summa Auguſtiniana* Romæ typis mandavit, Laurentium Alticotium; is enim quæſt. I. Præambula art. 3. ait: „ Dicendum, quod ex Auguſtino actualis gratia præveniens ſita eſt in utriſque actibus animæ. Huic autem propoſitioni mox producendæ Sancti Doctoris ſententiæ ſic ſuffragantur. I. Lib. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 18. num. 32. tom. 10. hæc habet: *Deum ſanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem*. II. Lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 19. num. 33. tom. 10. hæc de utraque gratia definit: *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat?* III. Serm. 118. num. 3. tom. 4. hæc iterum differit de utraque gratia: *Docet Deus ſuavitatem inſpirando dilectionem .... Docet ſcientiam inſinuando cognitionem. Cum itaque alia ſint, quæ ideo diſcimus, ut tantummodo ſciamus: alia vero ut etiam faciamus, quando Deus ea docet, ſic docet, ut ſcienda ſciamus aperiendo veritatem. Sic docet ut facienda faciamus inſpirando ſuavitatem*. IV. Lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 17. num. 26. tom. 10. rurſus gratiam utramque ita deſcribit: *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum* Altic. tom. 1. pag. 5. & 6. edit. Rom. an. 1744.

ſit, ſive quia non delectat .... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt. v. Serm. 8. in Pſ. 118. num. 5. tom. 4. hæc tradit de gradibus & incrementis divinæ gratiæ qui complectuntur & pias animæ cogitationes, & pios animæ affectus: *Servus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis. Sed quibus gradibus ad eas perveniatur, oſtendit. Prius eſt enim, ut videatur quam ſint utiles & honeſtæ; deinde ut earum deſiderium concupiſcatur. Poſtremo, ut proficiente lumine, atque ſanitate delectet earum & operatio, quarum ſola ratio delectabat.* Ergo S. Auguſtino actualis gratia præveniens eſt exercendi operis juſti tum ſcientia, tum delectatio: Adjutorium ad faciendam, perficiendamque juſtitiam eſt aperitio veri antea latentis; eſt delectatio boni antea non delectantis; eſt inſpirata ſuavitas & delectatio; eſt inſinuata ſcientia & cognitio; eſt veritatis aperitio; ſuavitatis eſt inſpiratio. Gratia Dei eſt cognitio, per quam innoteſcit quod latebat, affectus per quem ſuave fit quod non delectabat. His cæleſtis gratiæ gradibus ad exercenda juſta opera aſcenditur. Primus gradus eſt cognitio de juſtorum operum honeſtate & utilitate. Alter juſtorum operum cupiditas ac deſiderium. Tertius eorumdem voluptas ac delectatio: cum autem ex recenſitis actibus animæ priores ad intellectum, poſteriores ad voluntatem pertineant: concluditur quod ex Sancto Doctore actualis gratia præveniens ſita eſt in utriſque actibus animæ. „ Hactenus Jeſuita, qui omnium poſtremus mentem Auguſtini interpretatus eſt, cui tamen, ut diximus, Petavius, Dechamps, aliique plurimi præivere.

IV. Cum nil aliud contineat prior illa noſtra propoſitio, immo & complectatur opinionem ceterorum Theologorum, quorum aliqui gratiam prævenientem conſtituunt in divina motione, aliqui vero qualitatem eſſe contendunt; ita enim ſonat definitio gratiæ a nobis tradita, *Gratia eſt actus intellectus & voluntatis, ſive mentis illuſtratio, & inſpiratio caritatis; ſed magis in delectatione, quam in illuminatione ſita eſt: efficitur autem motione Dei, quæ eſt ipſa Dei voluntas ſubminiſtrans hanc delectationem & caritatem, & poteſt ſenſu non malo caritas appellari*: cumque hujus propoſitionis momenta ſint eadem Auguſtini teſtimonia, aliaque illis conſimilia, & prævenientis auxilii munera a nobis eiſdem omnino verbis explanentur; quis adverſus illam propoſitionem garrit & muſſitat, niſi forte qui nunquam Auguſtinum lectitavit, qui Theologorum ſcripta nunquam vidit, qui ſuam & inſcitiam, & malevolentiam palam lingua & calamo prodere affectat?

Lib. 14. cap. VII. tom. 3. pag. 140.

V. Inconcuſſa eſt igitur, aut ſaltem, quod ad præſens ſufficit inſtitutum, ab omni cenſura immunis tradita a nobis, immo ab Auguſtino, *actualis gratiæ* definitio; neque aliud adverſus hanc opponi poteſt, niſi præter *caritatem*, & delectationem, dari alia bonorum operum principia, quemadmodum præter *caritatem* dantur virtutes aliæ, ut fides, ſpes, timor: Auguſtinum vero illam motionem gratiæ, ideſt, *ſanctæ dilectionis inſpirationem*, præſertim commemoraſſe, quæ uſitatior eſt, & communior, alias minime denegando. At futilis eſt hæc objectio; cui & in Opere de Theologicis diſciplinis, & in præcedentibus diſſertationibus non ſemel reſpondimus. Neque enim nos in illa univerſali prævenientis auxilii deſcriptione *dilectionis* & *caritatis* nomine intelligimus inſpirationem *amoris benevoli*, ſed *bonam voluntatem*, quæ actus omnes ſalutares præcedit; id, quod nobis nemo jure negabit, nemo in nobis jure reprehendet: tum quia mentem hanc noſtram rotundis verbis explicavimus, ut adverſus conviciatorem oſtendimus capite ſecundo 1. diſſertationis; tum etiam quia hac quoque in re Auguſtini ſenſum & verba ſecuti ſumus: cujus hæ ſunt loquendi formulæ: *Quid eſt dilectio vel caritas, niſi amor boni? Quid eſt boni cupiditas, niſi caritas? Quid eſt aliud charitas, quam voluntas? Caritas dicitur voluntas bona.* Vide lib. 8. de Trinit. cap. 10. lib. 2. contra duas Epiſtol. Pelag. cap. 9. num. 21. lib. de Gratia & lib. arbitrio cap. 17. num 33. in Pſalmum 36. ſerm. 2. num. 13. &c. Omitto reliqua, ne in re notiſſima ſim verboſiſſimus, & loquacitatis, qua utitur adverſarius, faſtidioſiſſimus imitator. Abunde enim hæc pro vindicanda priori noſtra propoſitione ſufficiunt; & ſi quid habet adverſarius quod muſſitet, promat, & eructet: illi namque aures vellam iterum, exoletamque memoriam refricabo.

Tom. VIII. pag. 878. tom. X. pag. 444. 445. & 735. Tom. 4. pag. 272.

VI. Quum nil habeat affinitatis cum damnato ſenſu Janſenii prior noſtra propoſitio, qua prævenientem gratiam deſcripſimus, eamque locavimus in mentis illuſtratione, atque in inſpiratione ſanctæ dilectionis; videndum eſt modo, num Janſeniana dicenda ſit altera, *Gratia efficax eſt victrix delectatio, ſive caritas quæ ſuperat contrariam cupiditatem.* De hac dicturi rurſus ab adverſario noſtro petimus, cur argumenta, maxime Auguſtini textus, quibus eamdem theſim demonſtravi, ſilentio prætereat. Quid enim ſignificant verba illa S. Patris de gratia, qua egent in vitæ hujus certaminibus filii Adæ, libro de Corrept. & gratia cap. IX. num. 31. hæc diſſerentis: *Secunda (gratia) plus poteſt, qua etiam ſit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat?* Quid alia, quæ leguntur de Spiritu & litt. cap. 29. num. 51. *Inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum Sanctum facit* (Deus) *plus delectare quod præcipit, quam delectet quod impedit?* Quid vero quæ leguntur eodem libro cap. 35. num. 63. *Fieret ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad juſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis doloriſve impedit, delectatio illa ſuperaret?* Quid, ut cetera mittam, ſignificant Auguſtini verba, quæ leguntur 2. de Peccat. meritis & remiſs. cap. 19. num. 32. *Nos autem quantum conceſſum eſt, ſapiamus & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideo etiam ſanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non a ſe ipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem, qua det fructum ſuum terra eorum?* His utique in locis glorioſiſſimus Gratiæ vindex appellat auxilium efficax *ardorem dilectionis*, & *voluntatem ſpiritus*, qua voluntas carnis contraria concupiſcens vincitur ac ſuperatur: appellat *delectationem* animi, quæ ſuperat quodcunque impedimentum alterius voluptatis aut doloris; appellat quoque expreſſis terminis *certam ſcientiam*, ac *delectationem victricem*, adeo, ut in meridie cæcutiat neceſſum ſit quiſquis negat præmiſſam propoſitionem noſtram eſſe Auguſtini.

Tom. X. p. 767. Eodem to. pag. 114. Ibid. pag. 122. Eodem to. pag. 57.

VII. Ut de hac tamen re addamus aliqua, nubemque omnem concretamque adverſarii caliginem ſcindamus, atque exſufflemus; noſtram illam de Gratia efficaci conſtituenda *in victrici delectatione* ſententiam probant Theologi cujuſcumque ſectæ Catholicorum, tametſi non conveniant in ipſa gratia efficaci explicanda. Atque ut primum loquamur de Moliniſtis, qui ajunt gratiam reddi efficacem duntaxat a conſenſu, ideoque gratiam ſeipſa effectricem negant, & indifferentem ſolam propugnant; ut hi diſcrimen ſtatuant inter gratiam primi hominis & Angelorum, ac inter gratiam medicinalem, hanc in *delectatione* repugnantes animos demulcente, illam vero in ſola mentis *illuſtratione* conſtituunt. Audiatur Stephanus Dechamps Bituricenſis ita mentem ſuam exponens, ac ſcribens lib. 3. de H. Janſeniana diſp. 3. cap. 16. num. 3. *Age, vaſtiſſima Auguſtini Opera percurre, tractatus omnes, in quibus vel obiter, vel ex profeſſo de illa Angelorum & Adami gratia diſputat, diligenter evolve: ne ſemel quidem nuncupatam ab eo invenies ſpiritum caritatis, inſpirationem caritatis, infuſionem caritatis, caritatem per Spiritum Sanctum diffuſam, dilectionem, inſpirationem dilectionis, amoris divini gratiam, amoris Dei inſpirationem, concupiſcentiam bonam, cupiditatem boni, bonam voluntatem, ſuavitatem, delectationem, condelectationem, jucunditatem, voluptatem. Ex tot nominibus, quibus motiones voluntatis S. Doctor exprimere ſolet, quæque alte ejus animo inſederant, ut nullum fere de gratia medicinali verbum faciat, quin plura uſurpet, & quaſi acervatim congerat: ex tot, inquam, nominibus ne unum quidem vel ſemel adhibet, cum de gratia Adamo & Angelis ad perſeverandum conceſſa tam multis variiſque in locis diſſerit.* Eadem repetit cap. 19. num. 3. pag. 565. ubi definitionem gratiæ a nobis præcedenti propoſitione traditam, & ex libro 4. ad Bonifacium cap. 5. petitam affert & ipſe, probatque, affirmans Auguſtinum in hoc ſtatu, præter cæleſtem illuminationem, requirere *gratiam actualem voluntati impreſſam, eamque interiori ſuavitate demulcentem.* Jam vero cum gratia *medicinalis* univerſim deſcripta fatente Dechamps ſit *jucunditas, ſuavitas, delectatio, voluptas, caritas*: quid, obſecro, erit gratia efficax (undecunque hujus efficacia petenda ſit) niſi efficax jucunditas, efficax ſuavitas, efficax delectatio, efficax voluptas, efficax caritas? Ad hæc, ſi motione voluntatis ſita in hac jucunditate & delectatione, quæ voluntatem contraria concupiſcentem attrahit ac demulcet, non egebat creatura innocens; manifeſtum eſt, nunc motione iſta voluntatis, ſive inſpiratione jucunditatis atque delectationis homines indigere, quoniam in hoc miſeriarum ſtatu caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Quare noſtra cum Moliniſtis concertatio nunquam fuit, an gratia efficax ſit qualitas, aut motio, aut amoris inſpiratio, ſed an ab eventu, & voluntatis aſſenſu, an vero ex præmotione, quæ in nobis velle operetur, atque ad actum voluntatem noſtram prædeterminet, efficientia prævenientis auxilii ſit repetenda. Id ſi neget Anonymus, ad limina Theologiæ redeat, aut, quemcunque ei libuerit, auctorem legat, rime-

Dechamps pag. 551.

Idem Dechamps pag. 565. Vide etiam Tournely de Gratia qu. 2. art. 1. pag. 25. edit. Ven. nec non Sylv. Mauri lib. 6. qu. 88. num. 15. & 16. tom. 2. edit. Rom. pag. 216.

De Theol. diſcipl. tom. 3. pag. 149.

rimetur, pervolutet, desinatque lacessere patentissimam veritatem.

VIII. Ii etiam, qui ajunt prævenientem gratiam efficacem habere infallibiliter conjunctam actionem *ex præscientia conditionata*, qua Deus prævidet habituram effectum *si detur in talibus circumstantiis*, ut loquitur Franciscus Suarez lib. 3. de Præd. cap. 10. nu. 9. Prolegom. 2. de Grat. cap. 1. num. 7. Vasquesius P. p. disput. 67. aliique vulgo *Congruistæ* appellati, haud negant efficacem gratiam esse *victricem delectationem*; ac nobiscum tantum decertant de modo, quo efficax dici debet, num scilicet ex illa præscientia conditionata, num ex antecedenti, & absoluta Dei prædefinitione. Vasquesius enim, quem nuper laudavi, de gratia efficaci pertractans 1. p. disput. 88. cap. XI. num. 51. postquam ait vocari illam ab Augustino epist. 107. *secretam & altam vocationem*, ac lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 3. & alibi sæpenumero, *secundum propositum*, subjicit: *Denique lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remissione cap.* 19. *vocat certam scientiam; quia Deus optime novit effectum habituram, vel quia certa quadam cognitione minime perturbata ostenditur nobis per eam vocationem bonum ipsum. Appellat etiam victricem delectationem, eo quod vincat voluntatem, & ad se libere eam trahat, superatis omnibus difficultatibus. Dixerat enim peccatum accedere, aut ex eo quod ignorantia est in intellectu, hoc est, defectus cognitionis; aut quia bonum cogitatum, quod a peccato retrahere deberet, non delectat.* Eadem prorsus repetit in 1. 2. disput. 186. cap. XI. num. 56. Igitur neque Congruistæ negare audent efficacem gratiam, juxta Augustinum, esse *victricem delectationem*.

Suarez. p. 1. pag. 345. de Grat. tom. 1. pag. 31. Vasquez p. 1. pag. 261.

Vasquez ibidem pag. 373.

Tom. 2. in 1. 2. pag. 274.

IX. Hoc idem, quod Vasquesius ac Suarez, docuit Eminentissimus Bellarminus lib. 1. de Grat. & lib. arbitrio cap. 12. ubi nititur demonstrare quomodo gratia trahat animum, non physice illum prædeterminando, sed invitando atque alliciendo iis demonstratis, quæ congrua sunt ei, qui vocatur ac trahitur. Ibi enim inter cetera ita Bellarminus loquitur: *Idem Augustinus hoc ipsum satis aperte declarat tractat. 26. in Joannem, ubi explicat quomodo Deus trahat homines ad fidem, & faciat eos velle credere, nam quemadmodum Pastor trahit ovem cum demonstrat ei ramum viridem, quo scit illam delectari, & pueros parentes alliciunt ostensis nucibus, quæ ætati illi congruunt: sic etiam Augustini sententia, Deus homines trahit inspiratione interius oblata, qualem scit aptam esse, ut ab eis non respuatur.* Quare cum iis, qui hanc sententiam sequuntur, minime nobis disceptandum est, num gratia efficax sit inspiratio dilectionis, num animus voluptate ac delectatione trahatur, num congrua sit vocatio, quæ voluntatem refragantem contraria delectatione allicit, demulcet ac trahit; id enim, ut audis, fatentur: sed idcirco decertamus, & ab illis divellimur, quoniam præter moralem illam attractionem, seu vocationem & suasionem congruam, arbitramur nos ad gratiæ efficacitatem requiri, ut Deus inspirando *certam scientiam, & victricem delectationem* physice in nobis operetur velle, ac tam robustam voluntatem efficiat, ut quælibet duritia cordis frangatur. Enimvero moralis illa attractio, quæ sita est in propositione objecti delectabilis, cujusmodi est ostendere ovi ramum viridem, & puero nuces, quamvis inspiratio interna sit, nihil est aliud, quam mentis illustratio, vel gratia, quæ menti aperit quod latebat, non autem inspiratio dilectionis, qua suave fit quod non delectabat; ideoque est gratia intellectus, non voluntatis, & gratia, juxta ea quæ diximus num. 7. naturæ innocentis, non per peccatum corruptæ. Verum quidquid de efficacia gratiæ sentias, nos enim sententiam nostram explicamus, alienam non rodimus; certissimum est victricem delectationem neque a Congruistis posse negari.

Tom. IV. novæ edit. pag. 230.

X. Quid vero *physicæ prædeterminationis* assertores, ac Sancti Thomæ discipuli? Hi non conveniunt quidem, an gratia sit qualitas, an sit indeliberatus motus intellectus & voluntatis, quatenus a Deo *immediate* procedit, & an sit divina motio ipsos indeliberatos actus præcedens; & videtur sententia hæc postrema, quæ in definitione gratiæ a nobis superius vindicata comprehenditur, esse apud Thomistas communior: eamque acerrime propugnant Thomas Lemos tom. IV. Panopliæ tract. 7. & Joannes Gonzales Controversia 1. cap. 4. at in hoc proculdubio conveniunt, quod gratia efficax contrariam concupiscentiam vincat, a nullo duro corde respuatur, atque operetur velle & perficere. Thomistarum aliqui cum Antonino Massoulié diss. 2. de libert. creata q. 6. art. 6. docent divina motione perfici libertatem, eo quod ex S. Augustino, & Sancto Thoma victricem delectationem immittat. *Et quidem* (ait vir ille doctissimus) *frequentissimam esse apud D. Augustinum eam phrasim, gratiam esse victricem delectationem, aut divina gratia delectationem ingenerari in anima, qua voluntas illecta sponte trahentem gratiam sequatur, nemo vel a limine sanctum virum salutavit, qui facile id non animadverterit.* Demonstrat vero scriptor præstantissimus nil esse aliud suavitatem atque delectationem, quam inclinationem ipsam voluntatis ad bonum rationi consentaneum, & conveniens naturæ: addit nihil esse, quod efficacius & suavius voluntatem attrahat, ut præstat delectatio, a qua ita se vinci sinit voluntas, ut vix resistendo vires habeat, & licet possit, nolit tamen non vinci: profert plura Augustini testimonia, idem sonantia ac superius præmissa: ostendit ex Doctores Angelico, Opusc. 61. cap. 19. naturam humani cordis cognatam esse actioni dilectionis, unde experimur amore animum pertrahi: ex 1. 2. qu. 24. art. 1. delectatione perfici operationem, ac neminem convenientem vitam agere sine alicujus boni perceptione aut delectatione; atque ex q. 35. Deum naturæ institutorem operationum gratia delectationes posuisse. Producit Poeticum illud etiam ab Augustino laudatum tractatu 26. in Joan. *Trahit sua quemque voluptas*: inquit cum eodem majorem esse voluptatem animi quam corporis, & mentis quam ventris; concludit divina motione non lædi, sed perfici libertatem, *cum ea nihil aliud sit quam quædam immissio, & impressio cælestis cujusdam suavitatis, qua anima perfunditur*, & frequentissimam Augustini de *victrici delectatione* sententiam, & communem loquendi modum cum severioris Theologiæ Thomisticæ principiis ad amussim convenire. Atque hæc, si Thomistarum aliquis nostram de victrici delectatione sententiam vellicabit, eo magis fas nobis erit reponere, quod Antoninum assecutum fuisse *mentem Doctoris Angelici* téstantur eruditi Censores Operibus ejus præmissi, inter quos eximii duo Ordinis Prædicatorum Magistri & Socii Raymundus Ertz, & Franciscus Blunco. Complures item alii Opus Antonini Massouliè comprobarunt, ex Ordine Minorum, Carmelitarum, Minimorum, Clericorum Regularium, aliorumque, atque illud appellarunt *opus egregium*, menti Sancti Thomæ *perenniter consonum*, referens doctrinam, *quam in Urbe omnium fere Ordinum Theologi, paucis exceptis, tuentur*, nil *quod sapiat novitatem*, sed *sanam doctrinam* ubique continens, felicissime *cavillos omnes & sophismata* dispellens, ac tale, ut *quocunque calamo exarari Sanctus Magister debuisset, non potuisset certe vel majori, vel meliori*. Nec facultate tantum consueta Romanis typis impressum fuit, sed peculiari quoque licentia Eminentissimorum Cardinalium Generalium Inquisitorum, emanata feria 4. die 23. Nov. 1689. in Generali Congregatione S. Officii. Quare interdum testimoniis hujus auctoris, non tamen solius, sed aliorum quoque multorum, objectum crimen retundam. Ergo ad alios.

Lemos Panop. tom. 4. pag. 217. 218. 222. & ibid. p. 2. pag. 124. 125. 128. Gonzales pag. 17. edit. Leodii.

S. Thomas sui interpr. tom. 1. pag. 348. & seqq.

XI. Antoninus etiam Reginaldus ex eadem Prædicatorum familia, quo nullus uberiori stylo de Gratia efficaci disseruit, in Opere, cui titulus *de Mente Concilii Tridentini* part. 1. cap. 52. scribit: *Porro hanc gratiam tam aperte docuit Augustinus, ut mirum sit, si quis ipsa ejus scripta legerit, & eum illam non asseruisse, sibi suadere, aut dicere valeat. Prolixius foret omnia D. Augustini loca, in quibus hanc gratiam a se assertam, & a Pelagianis eorumque Reliquiis impugnatam describit, ad longum recensere: ad præsens sufficiet ejus notas ex ipso Augustino velut in compendium redigere. Igitur Augustinus his verbis hanc gratiam circumscribit: Quæ est victrix delectatio supra ipsum liberum arbitrium, sic dicta ab effectu, quia ejus vincit duritiam & renisum; qua Deus operatur in homine voluntatem, ipsam volitionem, ipsum velle, occultissima & efficacissima potestate; qua, quando Deus tangit cor, homo præparat cor; qua reluctanti (sive in homine reluctante) prius aditus divinæ vocationis procuratur; qua homines fiunt ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes; quæ est magna & efficacissima vocatio; qua sic adjuvatur homo, ut faciat quod jubetur; qua Deus facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati; qua ut gratia potentiore convertit; quæ sit auxilium quo fit, non sine quo non fit; quo nonnisi perseverantes sint qui illud habent: qua gratia voluntas insuperabiliter & indeclinabiliter agitur; ratione cujus Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas, & habet humanorum cordium quo placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem; qua fit ut sic velle vel nolle in hominis volentis aut nolentis sit potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem; qua fit ut voluntati Dei humanæ voluntates non possint resistere; auxilium quo non solum possibilitas juvatur, sed voluntas & actio; quæ non solum dat posse, sed dat velle & agere; quæ operatur ipsum velle; per quam possibilitas cum effectu in sanctis provenit; quæ est doctrina quam omnis qui audit a Patre, non solum potest venire ad Christum, sed venit; ubi & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est; qua fiunt ex nolentibus*

Regi naldus pagina edit. Antuerpiensis 496. & 497.

lentibus volentes, non ſicut facit doctor homo, ſed intus operatur ipſum velle per inveſtigabiles vias ſuas; quæ a nullo duro corde reſpuitur, qua idcirco tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur; quæ mirabili modo operatur & velle; qua voluntas agitur & agit; quæ flectit & inclinat voluntates quas vult, cum vult, & ubi vult; quæ eſt vocatio ita effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur. Agnoſco verba Auguſtini accurate ex ejus Operibus in unum collecta; iiſque ultro libenterque ſubſcribo. Quis autem his perlectis gratiam efficacem eſſe victricem delectationem, quæ ſuperat cordis duritiam, & contrariam carnis concupiſcentiam, negare poterit?

XII. Thomiſtarum utique bene multi a nobis eo in capite diſſident, quod tam in ſtatu innocentiæ, quam in ſtatu infirmitatis ad recte agendum gratiam *ab extrinſeco efficacem* eſſe neceſſariam exiſtimant; at non proinde definitionem, de qua diſputationem inſtituo, ulla ratione repudiant. Nam gratiam efficacem collatam fuiſſe Angelis ſanctis, ſinguli uno ore ſe demonſtrare ajunt ex Auguſtino lib. XII. de Civit. Dei cap. 5. ubi legimus Angelos, qui ſteterunt, fuiſſe *amplius adjutos*, atque amplius hoc adjutorium fuiſſe * *magnam per Spiritum Sanctum datam abundantiam caritatis Dei.* „ *Quis enim dicat* (ait præ-laudatus Reginaldus p. 2. cap. 31.) *magnam illam abundantiam caritatis Dei, quæ fuiſſet etiam Angelis malis data ſi ſtetiſſent, & quæ conſequenter data eſt illis qui ſteterunt, eſſe gratiam ab arbitrii nutu determinabilem? Qui exercitati ſunt in ſcriptis Divi Auguſtini norunt profecto, nihil in ejus Operibus uſitatius eſſe, quam quod gratiam illam, de qua cum Pelagio contendebat, explicet nomine bonæ voluntatis, caritatis, abundantiæ divini amoris, & aliis ſimilibus terminis.* Et paullo infra: *Hoc auxilium, quod ſignificatur per hanc abundantiam caritatis, non aliud eſt quam gratia per ſeipſam efficax.* Cenſent itaque Thomiſtæ etiam gratiam efficacem datam ſanctis Angelis fuiſſe inſpirationem uberioris caritatis, & vividioris delectationis. Cum vero teneantur iidem Thomiſtæ fateri gratiam efficacem hujus ſtatus differre a gratia efficaci collata ſanctis Angelis, & hanc eſſe illa *potentiorem*, ut de Corrept. & gratia cap. 11. ait Auguſtinus, diſcrimen iſtud inde repetunt, quod illa gratia non ſubjiciebat rebellantem appetitum rationi, hæc ſubjicit; ideoque ajunt Auguſtinum vocaſſe illam gratiam Adami *lætiorem*, quia tunc nulla erat pugna, hanc vero *potentiorem*, quia domat & ſubjicit renitentem ſibi concupiſcentiam, ut inquit ſequenti cap. 32. idem Reginaldus. Sive ergo creatura innocens indiguerit, ſive non indiguerit gratia *ab intrinſeco* efficaci, Thomiſtæ nobis concedunt hanc gratiam eſſe inſpirationem dilectionis, & caritatis victricis: aut ſi mavis, motionem, & qualitatem, qua iſtiuſmodi dilectio & caritas inſpiratur; non enim ullibi contentioſe inveſtigavimus, num delectatio victrix ſit ipſa *eſſentia* gratiæ efficacis, vel id quod divina ſupernaturali motione in nobis producitur: ſed utrumque, ut diximus, propoſitione noſtra complexi ſuimus; utrumque etiam, ſi recte rem perpendamus, commonſtrant hæc duo Auguſtini verba, *Inſpiratio ſanctæ dilectionis.*

XIII. Tenuit, propugnavitque noſtram de gratia efficaci ſententiam Franciſcus Macedo ex Jeſuita Minor Sancti Franciſci, nunquam de Janſeniſmo ſuſpectus, ſed Janſenianæ hæreſis profligator in Opere, cui titulus, *Mens Innocentii divinitus inſpirata*, & in aliis Theologicis ſcriptis, quorum potiſſimum teſtimoniis Eminentiſſimus Noriſius, ut conſtat ex quinque diſſertationibus Hiſtoriæ Pelagianæ adjectis, depulit omnem Janſeniani erroris illatam ſibi calumniam: Ergo Pater Macedo in *Cortina*, ſeu in *Oraculis ex D. Auguſtino editis* pag. 20. hanc theſim 69. proponit: *Efficacia Gratiæ in propria virtute intrinſeca ipſius gratiæ victricis ſita eſt, cujus victoria in delectatione & ſuavitate conſiſtit; opponitur ſuggeſtui & motui concupiſcentiæ, & diaboli delectationi ad malum incitantis.* Atque hanc theſim P. Macedo decem & octo S. P. Auguſtini citatis locis confirmat. Luculentius id commonſtrat alio in Opere, quod *Scrinium*, & *Mentem Auguſtini de duplici adjutorio* appellavit: unde nonnulla promam proximo, qui ad hunc conſequetur, paragrapho.

XIV. Prætermittere nolo, etſi dicta abunde ſufficiant, quæ docet Eminentiſſimus Cardinalis Laurentius Brancatus de Laureа in Opuſculo 3. de Gratiis actualibus: cujus eximii viri eo magis ſententia probanda eſt, quod certiſſimis monumentis conſtat hoc Opuſculum edidiſſe, quum ætate, ſcientia, hujuſque controverſiæ, in qua ante annos novem, ſcilicet anno 1678. Noriſianis ſcriptis adverſabatur, pleniſſima præditus erat cognitione, ſiquidem tria Opuſcula Romæ in lucem emiſſa ſunt anno 1687. Itaque citato Opuſculo 3. num. 316. probat vir eximius efficaci gratia infallibiliter fieri bonum opus abſque læſione libertatis, quoniam *voluntas prædita gratia illa faciente facere, ſeu efficaci, quantum eſt in ſe poteſt eam non ſequi, ſed maxima delectatione, ac ſuavitate afficitur a gratia, ab eaque ſuaviter trahitur, ſed cum ſua libertate.* Explicans deinde num. 330. & ſeqq. quomodo gratia efficax agat *cum ſuavitate, ac delectatione voluntatis*, id primum evincit congerendo multa Auguſtini loca, ſcilicet ex lib. de Peccat. merit. & remiſ. cap. 17. Enarrat. in Pſ. 118. lib. 2. ad Boni. fac. cap. 9. de Spiritu & lit. cap. 3. & 19. de Corrept. & grat. cap. 2. in Pſal. 33. & 84. priorem argumentationem concludens: *Docet*, Auguſtinus, *quomodo Deus per gratiam ſuam faciat nos operari bonum*, *dicens* hom. 29. cap. ult. *inſpirando virtutem, dando menti tuæ cæleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur.* Deinde ſententiam ſuam, ac noſtram probat ſcriptor clariſſimus firmiſſimis argumentis auctoritate Auguſtini ſuffultis: quorum unum num. 338. petit *ex modo operandi connaturali humanæ naturæ*, quæ ad opus trahitur *delectatione ac ſuavitate.* Nam primo, inquit, *omnis peccans ideo peccat, quia delectationem, gaudium, & ſuavitatem percipit & guſtat in quovis peccato: & licet res hæc notoria ſit, & quilibet purus viator, concupiſcentiæ tyrannidi ſubditus hanc miſeriam experiatur; tamen eam ſanctus Doctor pluribus in locis probat, incipiens a primis parentibus, qui etiamſi concupiſcentiæ miſeriam adhuc non contraxiſſent, nihilominus ex delectatione pomi, & deſiderio ſcientiæ boni & mali peccarunt: ita* in lib. de Gen. contra Manich. *Et de omnibus aliis peccantibus omni peccatorum genere proſequitur probare, quod ideo peccant, quia delectationem ex peccatis percipiunt*; ita in lib. 22. contra Fauſtum cap. 18. in lib. 2. de Bapt. cap. 10. lib. 83. qq. q. 86. *Et alibi ſæpe. Unum locum adducam per extenſum, eſtque* ſerm. 6. de Verb. Apoſt. cap. 1. Quidquid eſt peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur niſi ex mala cupiditate, niſi ex illicita delectatione, *&c. Suppoſita, inquam, hac inclinatione, & facilitate hominis ad peccandum ex mera cupiditate ac delectatione, ait Sanctus Auguſtinus: Sapientiſſimus, potentiſſimus, ac benigniſſimus Deus, ut hominem ad delectationes malas, ac terrenas deditum, ab illis averteret, & ad bona opera virtutum vitiis illis contraria per gratiam induceret, delectationes ac ſuavitates ſpirituales, longe majores, ac dulciores, per gratiam voluntati hominis infundit, & ſic illecta & inflammata voluntas ad ea opera bona, ſive præcepti, ſive conſilii, ſive ſupererogationis prorumpit.* Producit tum Cardinalis doctiſſimus ea Auguſtini loca, quibus doctrina hæc traditur atque explicatur, ex lib. de Contin. cap. 3. ex ſerm. 6. de Verbis Apoſt. cap. 9. & ex ſerm. 17. de Verbis item Apoſt. cap. 1. illinc inferens num. 339. *Dei ſapientiam & miſericordiam, ut miſeros homines ad mala objecta, malaſque circa ea operationes ex delectatione concupiſcentiæ propenſos, ab eis avertat, ac ad objecta & opera eis contraria convertat, atque trahat, ut Salvator dicit, per gratiam majorem & nobiliorem delectationem voluntati inducentem, id facere*, &c. Præterea num. 340. & ſeq. hæc omnia confirmat aliis ex eodem Auguſtino productis locis, quibus gratiam, qua avertimur a malo, & facimus bonum, ita circumſcribit, ut nos ad opus trahat, *faciens vere cognoſci verum bonum, & ingerens delectationem ac ſuavitatem*: quod revera Auguſtinus docet lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 17. & 19. aliiſque in locis, ex quibus Laureа eamdem infert conſecutionem, id-eſt, *Quod Deus per ſuam gratiam ſic operatur cum voluntate humana, ut omnia quæ præcipit, vel conſulit alicui, a quo vult ut impleantur, ea reddit clara ut cognoſcatur eorum bonitas ac veritas; & delectabilia ac ſuavia, ut præferantur objectis oppoſitis pernicioſe delectabilibus, & hiſce ſpretis illa amentur & amplectantur.* Tandem Emin. Cardinalis præcedentes ratiocinationes corroborat illuſtratque plurium ſanctorum exemplis; præſertim Martyrum, quibus, ut Auguſtinus ait lib. 18. de Civit. Dei cap. 7. *in abundantia gratiæ ſpiritus illius, qui ubi vult ſpirat, datum eſt ut tantum Chriſtum amare poſſent, ut cum tanto vitæ diſcrimine negare non poſſent.* Talis, inquit, fuit Stephanus plenus gratia & fortitudine, de quo canit Eccleſia, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*: talis Laurentius, qui præ dulcedine moriendi pro Chriſto tyrannum deridens ajebat, *Aſſatum eſt jam, verſa & manduca*: talis Andreas Apoſtolus clamans, dum ad crucem raperetur, *O bona crux diu deſiderata, ſollicite amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando concupiſcenti animo præparata!* tales Marcus & Marcellianus, qui ad ſtipem alligati, claviſque confixi, *Nunquam* (dixere) *tam jucunde epulati ſumus, quam hæc libenter Jeſu Chriſti cauſa perferimus.* Ex his, aliiſque exemplis *luculenter patet*, inquit Laureа, *quod in obſervantia præceptorum Deus concurrit cum gratia reddente illam dulcem, ſuavem, delectabilem, & jucun-*

Pag. 469. Pag. 475. Arch. Angel. Biblioth. to. 42. pag. 131.

Cardin. Laur. Opuſc. pag. 469. Ibidem a pag. 477. uſque ad pag. 489.

* De Correp. & gratia cap. 10. num. 27. Reginald. pag. 698.

eundam etiam in cruciatibus, adjiciens exemplis Sanctorum quotidianum experimentum, quo unusquisque contra concupiscentiam agens *delectatur & gaudet*; quemadmodum Abraham jam senex se, Ismaelem filium suum adolescentulum, & vernaculos domi suæ circumcisioni subjecit, ac deinde ad filium suum Isaac immolandum processit: sanctissimi viri ludibria, verbera, vincula, & carceres experti sunt; atque innumeri sponte sese jejuniis, corporisque afflictationibus dederunt; quod nequaquam fecissent, nisi Deus in iis incommodis perferendis inspiraffet *delectationem ac suavitatem*. Absolvit num. 346. dissertationem his verbis: *Sic ergo benignissimus Dominus, & amantissimus parens nobiscum operatur, cum præcepta, vel consilia, vel supererogatoria sunt adimplenda; facit enim veritatem boni apparere, inspirat, & inflammat, ut amplectatur, & delectationem, ac suavitatem in exequendo largitur*. Erit ne in posterum, qui sententiam constituentem auxilium efficax in delectatione victrici tamquam Jansenianam vellicet & infamet? At illam innumeris Augustini testimoniis, quorum aliqua producta sunt, aliqua tantum indicata, insignium Theologorum approbatione, argumentationibus, exemplis, rerumque experientia, veram, certam, inconcussam, firmissimamque hactenus demonstravimus.

XV. Hanc proinde sententiam instituti nostri Theologi unanimi consensione propugnant, quamquam inter nos divisi sumus, & aliqui ex nostratibus Ægidiani, aliqui vero Augustiniani dici amant. Nam Ægidiani, ut apparet ex Friderico Gavardi, qu. 2. de Grat. art. 1. & 2. uti gratiam universim locant *in actibus indeliberatis, quibus cognoscimus, & diligimus Deum, nobis donatis & infusis in cordibus nostris*, ita energiam gratiæ efficacis in hoc constituunt, *ut per ipsam homo velit, & Deum diligat, atque tanto ardore diligat, ut roboretur voluntas ad superandas carnis concupiscentias, quæ ipsum a Dei amore conantur avertere*; ac producunt & ipsi, quæ de adjutorio *Quo*, sive gratia efficaci, cap. 11. de Corrept. & Gratia ait S. Pater: *Qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*. De iis vero, qui Augustiniani dicuntur, nulla oriri potest dubitatio, ut constabit legenti Opera Norisii, de quo paullo infra, Aurelium Piette p. 3. cap. 2. Clenaerts in Opusculo, cui titulus, *Augustinus per seipsum docens*, cap. XI. Philippum Van-Waure in erudito contra Jansenium Opere, quod inscribitur, *Augustinus Europæus perperam dictus*, Nicolaum Girken in Summa Tractat. x. qu. 2. dub. 6.

Gav. tom. 4. pag. 301. & 303.

To. 3. pag. 153.

XVI. Reliquum est, ut nonnulla dicantur de parte systematis nostri postrema, in qua statuimus sanctam delectationem non esse eamdem in omnibus, sed gradus habere, & modo efficacem, modo inefficacem esse: quod, si nonnihil sapio, ex dictis est apertissimum atque manifestissimum. Nam si gratia universim definita est superna illustratio mentis, & inspiratio sanctæ dilectionis; gratia autem efficax ea est, quæ inspirat certam scientiam, ac delectationem victricem: quoniam de fide est, omnem gratiam non esse reipsa effectricem, nec semper homines gratia præventos tanto ardore diligere, ut voluntas spiritus vincat voluntatem carnis contraria concupiscentem; consequens erit, admittendam esse voluntatem spiritus parvam atque robustam, delectationemque majorem atque minorem: quarum robusta ac major concupiscentiam superans sit gratia efficax; parva autem & minor sit gratia inefficax, quam Schola *sufficientem* appellat, vocabulo, ut postea dicetur, non in eadem significatione ab omnibus Catholicis usurpato. Et quanquam doctrina hæc ex præcedentibus consequatur; illam tamen demonstravi ex Augustino lib. de peccat. meritis cap. 5. de Gratia & lib. arbitrio cap. 15. serm. 17. de verbis Apostoli, lib. 6. Confess. cap. 5. aliisque locis perspicuis, quæ necessum non est ut repetantur, necnon ex ipsa notione gratiæ medicinalis, quæ refertur ad hominis peccati vulnere affecti infirmitatem, atque languorem.

V. de Tomo 3. pag. 155. 156. 336. 337. & e.

XVII. Hinc Norisius, cujus paullo supra dixi mentionem a me hoc in loco faciendam esse, describens in *Calumnia sublata* cap. 3. auxilium *sine quo non* dans *posse*, non *agere*, quod idem omnino est, ac auxilium sufficiens Scholasticorum, prout distinguitur ab efficaci, *Jam vero*, inquit, *adjutorio* sine quo non *movetur voluntas ad eliciendos actus debiles, nempe desideria, conatus, orationes minus fervidas pro adimplendis mandatis, in ordine ad quorum executionem adjutorium* sine quo non *est tantum auxilium remotum, impetratorium tamen auxilii* quo, *sive gratiæ efficacis atque victricis, qua sola mandata reapse implentur*: productisque verbis Patris Macedi in *Scrinio* pagina 65. *Igitur ad hujusmodi actus imperfectos, * quæ sunt inchoata desideria boni in peccatoribus & justis, istud adjutorium* sine quo non *& exigitur & invenitur*; prosequitur Norisius: *Augustinus lib. de Grat. & libero arbitrio cap. 17. scribit*: Qui vult ergo facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam. *Illa bona voluntas est ab adjutorio* sine quo non, *quo desiderium præcepti implendi excitatur, qui tamen motus est invalidus, nisi adjutorio* quo *roboretur*. Similia Norisius ad *Germanitatem* VIII. XIII. & XIV. prope finem primi Voluminis. Nec poterat Cardinalis amplissimus sententiam nostram, ac suam expressius exponere, quam admittendo gratiam, quæ inspirat desiderium implendi præceptum, & voluntatem bonam, sed parvam, & invalidam, quæ gratia est auxilium ab Augustino appellatum auxilium *sine quo non*, & a Scholasticis auxilium *sufficiens*; & rursus admittendo gratiam, qua motus invalidi roborantur, & inspiratur voluntas, quæ proxime, & absque alia gratia sufficit ad implenda mandata; quam gratiam Augustinus vocat auxilium *quo*, Scholastici autem appellant auxilium *efficax*. Plura sequenti §. Interim perspicuum est ex Augustino & Norisio gratiam modo parvam & invalidam, modo autem robustam & flagrantissimam caritatem inspirare; atque ut ait S. Pater lib. 2. de Peccator. mer. & remiss. cap. 5. num. 6. adjuvare illum tantum, *illum autem non tantum*; *istum illo, illum isto modo*: ac perspicuum itidem est, systema, quod Anonymus illusorie simul ac pueriliter nunc *Bellellinum*, nunc *Bertinianum* appellitat, Norisianum & Augustinianum esse, nos vero ludificationibus, ineptiisque suis cohonestari plurimum, & Augustiniani systematis propugnatores, ac vindices declarari.

* *qui, sed ita habetur in Scrinio.*

To. 3. pag. 1079.

XVIII. Et quoniam Cardinalis Norisius paullo supra meminit Patris Macedi; is in *Scrinio*, sive Mente Augustini *de duplici adjutorio* cap. 7. hæc habet: „ Constat esse in nobis parvas quasdam & infirmas voluntates bonas, quæ conatus & impetus quidam ad virtutem sunt: quæ in peccatoribus præsertim vitiis deditis, & inveterato usu peccandi obstinatis inveniuntur, ac eorum pulsant, excitantque voluntates, sed non movent efficaciter, & tantum actus inchoatos & imperfectos eliciunt, qui velleitates dicuntur. In sanctis vero & justis eosdem sæpe videmus: nam non semper ii perfecte operantur, & easdem velleitates experiuntur. Igitur ad hujusmodi actus imperfectos, quæ sunt inchoata desideria boni, in peccatoribus & justis istud adjutorium & exigitur & invenitur, quod illos tantummodo operetur. Deinde cum vel iidem peccatores peccata multiplicant, & justi a recta via primum peccando deficiunt, & quoties postea delinquunt, toties iis hujusmodi gratia adest, quæ cum leviter pulset ac inefficax sit, & similis illi adjutorio gratiæ, proculdubio illa gratia est, quæ adesse debuit ex ea ratione generali, qua dicitur, *In eo quod vitari non potest, peccari non posse*, & cum adesset, victrix non fuit, atque adeo efficax non fuit, quod est ipsum adjutorium *Sine quo non*, non *Quo*: unde deducitur evidenter fuisse gratiam *inefficacem*, idest, ipsum adjutorium *sine quo non*: cujus in hoc statu virtus est imminuta, ratione naturæ vitiatæ & corruptæ, & arbitrii *inclinati* & *infirmati*, & *attenuati*, secundum doctrinam Concilii Arausicani cap. 8. 13. 26. a nobis superius expositam. Hanc differentiam adjutorii inefficacis ab efficaci ita declaratam ex Augustino accepi. Et quidem ea clara est circa primam partem auxilii efficientis *parvas illas & infirmas*, ut Augustinus loquitur, *voluntates*: nam illas non esse a gratia magna & efficaci, idest adjutorio *Quo*, per se constat, & perspicue tradit lib. 2. de Peccat. meritis & remissione cap. 4. & 5. & 19. clarissime, & lib. de Sp. & lit. cap. 4. expresse, nec minus lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 4. & 15. & lib. de perfectione justitiæ prope finem, & aliis plerisque locis, in quibus docet per motus inchoatos, & imperfectos per Gratiam factos in voluntate non impleri mandata: nam sunt voluntates, & impetus, qui tandem *in mediis conatibus ægri deficiunt*. Qui tamen non deficerent, si augeretur gratia, & per eam auctam & robustam voluntas valida & robusta redderetur; per hanc enim præcepta implerentur „ Hæc, aliaque bene multa Franciscus Macedo, de quo rursus in hujus Operis progressione: ista enim ad id commonstrandum, quod in præsentia disquiritur, faciunt satis superque. Porro si huic Scriptori, aut Norisio nostro audeat quis Jansenianæ hæreseos inferre calumniam, aut asserat nos ab horum systemate vel latum unguem discessisse, proximo paragrapho refutabitur, tametsi refutatus sit hactenus, modo absque livore tribus operibus ante oculos positis, idest, *Quinque* Norisianis *dissertationibus*, cum separatim, tum nuper in tertio Volumine editis, *Scrinio* P. Macedi, & tertio *De Theologicis disciplinis* tomo, quæ nunc exscripsimus aut laudavimus, a lectore nec penitus rudi, nec

Pag. 65. & seq.

invi-

invidentia excæcato, nec partium ſtudiis addicto, diligentiſſime conferantur. Habes, ut opinor, tres illas propoſitiones initio poſitas, quas ſyſtema Auguſtinianum, noſtrumque comprehendunt, & quibus inſcius & inofficioſus Anonymus molem fictitii *Janſeniſmi Redivivi* ſuperſtruit, ab omni erroris inſimulatione, & ſuſpicione purgatas.

§. II.

Vindicantur quæ in ſuperiori ſyſtemate ab adverſariis redarguuntur.

BEne habet, inquis: quod gratia parvam, & robuſtam voluntatem inſpiret, quod ſi victricem tribuat delectationem ſit efficax, quod in illuſtratione mentis, & inſpiratione dilectionis conſtituenda ſit actualis gratiæ natura, Catholicum ſyſtema eſt, atque, ſi ita illud appellare lubet, Auguſtinianum: ſed tria ſunt, quæ Janſenianum redolent dogma, & quinque damnatarum propoſitionum ſunt fons & origo, a quibus novi Janſeniani, quos inter eminent duo haud dubie ſpurii Auguſtinienſes, minime abhorrent. Horum primum eſt, quod non tantum in delectatione victrici reponunt gratiam efficientem, ſed in delectatione victrici, quæ ſuperat minores gradus concupiſcentiæ, ſive in delectatione *relativa*, non abſoluta. Alterum, quod negant in delectatione inferioris gradus *potentiam proxime expeditam*, ad hanc requirentes ex parte potentiæ & actus primi robuſtiorem delectationem, ideoque gratia inefficax, ſive adjutorium *ſine quo* ab ipſis deprædicatum, non eſt vera gratia *ſufficiens*, neque Moliniſtico ſenſu, neque Thomiſtico; cum gratia ſufficiens communi ſenſu Catholicorum conferat ipſam *potentiam proxime expeditam*. Tertium, quod hinc conſequitur, veram gratiam ſufficientem e medio tollunt, a cujus etiam nomine fraudulenter & inſidioſiſſime abhorrent, illam potius inefficacem, quam *ſufficientem* appellantes. Atque hæ ſunt Janſeniani erroris notæ, hi characteres. Demonſtrarunt id productis compluribus Janſenii textibus cum Stephano Dechamps Antijanſeniani permulti, necnon Theologorum præſtantiſſimi, quorum monimenta ſingula collegit ætate noſtra Tournelius. Ego vero, tametſi omnium Antijanſenianorum commendo ſtudium, firmiſſime tamen, & abſque ulla hæſitatione pronuntio, tria doctrinæ capita nuperrime commemorata nequaquam erronea eſſe, nec damnatarum propoſitionum principia; ſed aliquos Janſenii quidem refutandi zelo permotos, ſed propriæ ſententiæ præjudicio abreptos, quid Catholicum ſit, quid erroneum ac damnatum minime diſtinxiſſe, atque ex horum lucubrationibus veritate ac falſitate permixtis anſam arripuiſſe ſciolum & incautum Anonymum, & ſi qui alii ſunt, curtæ eruditionis & pinguis minervæ homines, inconcuſſa Auguſtini dogmata, quæ velint, nolint, ſunt eadem ac noſtra, tamquam portenta hæreſum calumniandi. Quod ubi de tribus hiſce punctis pertractatum erit, vel inviti conviciatores ſinguli fatebuntur, ac magna illi *Janſeniſmi Redivivi* machina, quæ adinſtar ſimulacri regis Aſſyriorum ſuperbiſſime erecta eſt, in minutiſſimum pulverem comminuetur, pudebitque fabricatorem malevolum permiſcuiſſe ſe bona, ac mala elementa, molemque nulla ligatura compactam luteis erectam cruribus ſtatuiſſe.

I. Ergo quod gratia efficax ſita ſit *in delectatione victrici*, quæ gradu robuſtioris caritatis, & bonæ voluntatis ardore ſuperet carnis concupiſcentiam, Orthodoxi, & nulla Janſeniani erroris ſuſpicione laborantes, apertiſſime tradiderunt. Ac primum ii auctores, qui docent auxilium *ſine quo non*, ſive gratiam ſufficientem, prout diſtinguitur ab efficaci, inſpirare *parvam* & *invalidam voluntatem*, & auxilium *quo*, ſive efficax inſpirare voluntatem *magnam* atque *robuſtam*, qua ſuperetur voluntas carnis terrenis voluptatibus inhians, in qua ſententia ſunt Noriſius, & Macedo, prout ſuperius oſtendimus, abſque ulla ambage, abſque ullo verborum involucro locant effectricis gratiæ energiam non in delectatione *abſolute*, ſed in delectatione *robuſtiori*, ac majori, qua contraria concupiſcentia ſubſternitur. Hactenus dicta ſufficiunt unicuique probo, ingenuoque Theologo: at pervicacis adverſarii cæcutientes oculos provoco ad ea, quæ ſequuntur, clariora ſole horis meridianis fulgente.

II. Franciſcus Macedo, cujus doctrinam, ut diximus, non ſolum amplectitur, probatque Noriſius, verumetiam ea utitur *in Germanitatibus*, *in Calumnia ſublata*, & *in Parallelo* ad ſe vindicandum, & ad repellendam arcendamque inſimulationem Bajaniſmi & Janſeniſmi, in præcitato *Scrinii* Opere cap. 7. gratiæ auxiliatricis gradus primum demonſtrat ex motibus concupiſcentiæ, ad quos frænandos nobis eadem gratia divinitus inſpiratur. *Illius enim concupiſcentiæ*, inquit, *interdum tam parvi ſunt, tamquam tenues motus, ut eos voluntas non curet, præſertim ſi ſit homini juſti, & ſancti: interdum creſcunt & intenduntur, ita ut faceſſant negotium voluntati, & opus ſit cum iis exertis omnibus viribus voluntatis luctari, & aliquando in ea lucta contingere juſtum hominem deficere, & ſuperari. In his quatuor (tot ſunt quippe) eventibus ſemper eſt libera voluntas, & tamen diverſo modo libera, & in eodem ſtatu libere, diverſi tamen ſunt gradus libertatis, concupiſcentiæ tentantis motibus reſpondentes. Idem in eodem actu videbis inchoari amorem pulchritudinis, & paulatim intendi, donec inflammetur, ardeatque voluntas, & tandem victa conſentiat. An non per gradus ardor ille cupiditatis crevit uſque ad flammam, quæ in conſenſum erumpit, decurſo ſpatio libertatis, infra quod ignis ille concurrit? Ecquis enim ab illis carceribus primi conatus uſque ad metas conſenſus liberi, curriculum eſſe non videt latum, amplumque libertatis? imo in eo diverſos gradus, ſtationeſque, in quibus ipſa libera vis poteſtaſque conſiſtit? Hæc eſt germana & genuina Auguſtini mens, de motibus tum libertatis, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ.* Huic ratiocinio, quod num rectum firmumque ſit, idoneumque ad ſententiam noſtram corroborandam, poterit unuſquiſque proprio comprobare experimento, addit vir doctus complura teſtimonia ex Auguſtini libris petita, quorum aliqua diſpeſcunt motus voluntatis *in imperfectos*, & *inchoatos*, & *in validos ac perfectos*, reſpondentes, ut inquit, *aptis & accommodatis gratiæ pulſibus*; alia vero demonſtrant ejuſdem gratiæ minoris, & majoris gradus, ſive, ut ait, *intentionis & remiſſionis accommodate ad voluntatem*. Teſtimonia prioris generis exſcripta ſunt ex lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. & 17. ſerm. 3. de verbis Apoſtoli, lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 3. lib. de ſp. & lit. cap. 34. & habentur pagina *Scrinii* 69. Teſtimonia autem alterius ordinis, & pag. 70. producta, extant lib. 2. de peccat. merit. & rem. cap. 5. de Grat. & lib. arbit. cap. 15. de corrept. & Grat. cap. 11. quibus recitatis, *Hinc patet* (inquit Pater Macedo) *alias eſſe vires parvas a parva gratia, alias majores a majori, alias efficaces ab efficaci, alias efficaciſſimas ab efficaciſſima*. Idem confirmat exemplo Martyrum: *Ecquis enim neget invictam illam Martyrum conſtantiam Dei beneficium & gratiam fuiſſe, quæ voluntates eorum vehementius excitatæ, mundum cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vicerunt?* ſubjicit pag. 71. Profert eo loci & rationem Theologicam, propterea quod ſi cum gratia *omnino invariata, ac indifferente ſine ullo pulſu motuque vehementi*, voluntas intenſiorem illum motum exerceret; gratia a voluntate *vires & intenſionem* accipere diceretur. Teſtatur pag. 72. *Auguſtinum delectationes carnis delectationibus ſpiritus opponere, & in ea pugna concupiſcentiam cum gratia committere, & fortiori victoriam aſſignare*: nec teſtatur tantum; probat quoque ex lib. 1. de ſerm. Domini cap. 12. ſerm. 6. de verbis Apoſt. cap. 10. de corrept. & Grat. cap. 8. unde verba producit, decem ac novem aliis locis indigitatis. Quiſquis Janſenianum hunc auctorem fuiſſe putat, magno in errore verſatur, ſiquidem, ut dixi, illius verbis exornavit Noriſius vindicationes ſuas, & quinquies reportavit de accuſatoribus victoriam; qui autem hujus auctoris ſententiam a noſtra vel tantillum diſerepare monſtrabit, magnus erit nobis Apollo.

Pater Macedo Scrin. pag. 68.

III. Nec ſoli Noriſius & Macedo, quibus ſubſcribunt quotquot Auguſtiniani dicuntur, verum etiam ii, qui inter Noſtrates Romani Ægidii ſectandæ ac propugnandæ doctrinæ totos ſeſe devoverunt, illud de Gratia ſyſtema ab Auguſtino traditum, Orthodoxum, & inconcuſſum exiſtimant. Petrus enim Manſo Hiſpanus, Doctor Salmanticenſis in Opere inſcripto, *S. Auguſtinus ſui interpres & aſſertor*, quamquam acerrime impugnet ſyſtema Janſenianum, in quo ſola delectatio victrix indeliberata, & voluntas in quolibet motu neceſſitatis vinculo conſtricta adſtruitur nefario & hæretico ſenſu, de qua re dicturus ſum poſtmodum; docet tamen quæſt. v. §. 1. num. 14. juxta Auguſtinum adjutorium *Quo* eſſe *velle illud fortiſſimum, cui Deus contulit vires efficaciſſimas ad vincendas omnes difficultates internas, & externas*; quod S. Pater de Grat. & lib. arbitrio cap. 17. vocat *ardentiſſimam voluntatem*: ac adjutorium *ſine quo non*, ait Manſius eſſe *amorem, & quoddam velle indeliberatum, quo voluntas inclinatur ad ſervanda Dei mandata, & aliquando vult libere & deliberate, ſed languide & imbecilliter*, ſubjiciens verba S. Patris eidem adjutorio adtribuentis voluntatem bonam, ſed adhuc *parvam & invalidam*. Quæſt. autem VIII. §. 4. demonſtrat gratiam effectricem, quam repetit eſſe adjutorium *Quo*, non abſolutam eſſe, ſed *reſpectivam, non ſolum reſpectu operis, quod juxta majorem, vel minorem difficultatem petit majorem, vel minorem gratiam, ſed etiam ſubjecti*, laudans auctores quoſdam idem omnino ſentientes, ut Montalvum, Albeldam, Maſſouliè. Atque id Manſius demon-

Manſ. edit. Sal. 1718. pag. 201.

pag. 469. & ſeq.

monſtrat argumentationibus plurimis: quarum num. 41. prior illa eſt, quod *ſi gratia* eadem pro gravi & levi tentatione ſufficeret, eo quod habeat efficaciam abſolutam, non eſſet neceſſarium addere gratiam, quantumcunque creſceret *tentatio*: ratio altera num. 42. in eo nititur, quod *omnis difficultas operis conducentis ad finem vincenda eſt per amorem finis*; ideoque *quo major eſt difficultas operis, eo major debet eſſe amor finis, quo vincitur*: tertia num. 44. petitur ex principiis SS. Auguſtini & Thomæ, qui docent duo eſſe, quæ voluntatem impediunt ne faciat bonum, & ne motio Dei perfectam operationem producat, ignorantiam ſcilicet, atque cupiditatem: *Sed contraria* (inquit Manſius) *contrariis curantur, & cupiditas noxia amore honeſto curanda eſt*; *ergo amor & velle honeſtum voluntatis, ſi ſuperet cupiditatem, facit nos facere divina mandata*: quarta eodem numero promitur ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 17. art. 5. hæc ſcribit de voluntatis imperio: *Animus quando imperfecte imperat ſibi ut velit, hoc contingit ex hoc quod non perfecte impe-*
S. Thom. tom. XI. edit. Ven. pag. 38. 2. ad 1. *rat. Imperfectum autem imperium contingit, quia ratio ex diverſis partibus movetur ad imperandum, vel non imperandum; unde fluctuat inter duo, & non perfecte imperat*: quibus verbis recitatis, *Ecce* (inquit Manſius) *niſi amor boni honeſti ſuperet contrarium amorem boni delectabilis, non poteſt voluntas plane imperare actus ſubſequentes ad primum velle, ſed fluctuabit inter duos amores: ergo ut cum effectu imperet, & faciat, debet ita amare & fortiter velle, ut reipſa ſequatur facere. Quo vides noſtrum velle habere gradus, & eſſe reſpectivum ad ſubjectum, & ad difficultatem operis faciendi.* Argumentatio quinta depromitur ex ipſa natura gratiæ victricis, quæ nobis confertur, ut ſuperata operum difficultate eadem opera adimpleamus; ex quo ſequitur, ut gratia ad faciendum requiſita *habeat gradus juxta gradus difficultatis operis faciendi*; id quod demonſtratur exemplo, quoniam facilius eſt dare eleemoſynam, quam ſubire martyrium; *ergo amor Dei ſufficiens & efficax ad dandam eleemoſynam, non ſufficit ad ſubeundum martyrium*. Producit Manſius argumenta alia bene multa, ſed qui hinc Ægidiani ſcriptoris mentem non percipit, quibuſnam, obſecro, inſtrui poterit, ac permoveri? His cohærent, quæ ſcribunt Fridericus Gavardi tom. IV. Scholæ Ægidianæ
Tom. IV. Gav. pag. 393. q. 2. de Gratia actuali art. 2. Benignus Sichrovvsky Tract. X. q. 1. art. 3. pag. 14. Auguſtinus Gibbon Burgenſis diſput. 21. dub. ult. qui etiam laudat ex noſtratibus Aragonium 2. 2. q. 83. Aloyſium, & Baſilium Legionenſes, & alios; commonſtratque nu. 13. hujus ſententiæ a ſententia Congruiſtarum latiſſimam diſcrepantiam.

Gibbon tom. 4. p. 434. & 438.

IV. Non ſolum ab Inſtituti noſtri Theologis, tum iis, qui Ægidio Romano nomen dedere, tum iis, qui impenſius adhærere Auguſtino, & ab ipſo nominari maluerunt, gratia non *abſolute*, ſed *relative* efficax, prout ex dictis manifeſtiſſimum eſt, defenditur & propugnatur: ſed in ipſo quoque Thomiſtarum numero ac multitudine inveniuntur bene multi, quibus eadem ſententia quammaxime arridet, ac videtur principiis Doctoris Angelici concordiſſima. Quod enim Deus pro majori, vel minori hominum corruptela, & concupiſcentiæ ac tentationum pugna, gratiam nativa ſua entitate plus minuſve potentem conferat, ita ut quod in uno efficax eſt, in altero ob vividiorem concupiſcentiam ſit inefficax, affirmat 1. part. diſput. 58. ſect. 2. num. 1. Gonzales de Albenda, cujus hæc ſunt verba; *Non oportet, quod gratia præveniens intrinſece inhærens, quæ in uno eſt efficax, ſit etiam efficax in alio majori tentatione tentato. Ac proinde non eſt verum dicere, quod gratia præveniens intrinſece inhærens, quæ aliquando eſt efficax, debeat eſſe efficax ſemper, & in quocunque ſuppoſito æqualiter tentato*: & poſt pauca *D. Auguſtinus & D. Thomas explicant gratiæ prævenientis efficaciam per contemperamentum & congruentiam ejus cum ſubjecto, in quo reperitur, ut videlicet eo modo quis vocetur a Deo, ut impedimenta & tentationes temperentur a Spiritu Sancto, juxta modum, quantitatem internam inſpirationis, quam novit ſe dediſſe ei, qui vocatur*. Agunt de ſententia hujus auctoris Hya-
Serry p. 609. edit. Antuerp. cinthus Serry in Hiſtoria de Auxiliis lib. IV. cap. 27. & Antoninus Maſſouliè in *D. Thoma ſui interprete* tom. 2. diſſert. 3. q. 6. Nec deſunt, qui ſententiam Gonzaleſii ſic acceperunt, ut illum Congruiſtis adnumerarint,
Maſſoulié pag. 205. edit. Rom. immerito tamen, ut dicam proximo num. 8. Certe ſententia Albendæ plurimi eſt facienda, quum ſcripſerit poſt celeberrimas Congregationes de Auxiliis, in quibus pro ſententia Thomiſtica egregiam navaverat operam, ut Serrius teſtatur citato in loco.

V. Nec ſolus Joannes Gonzales adhæſit prælaudatæ ſententiæ de Gratia *relative* efficaci, ſed illam Thomiſtarum alii propugnarunt, patente Hyacintho
Grav. pag. edit. Rom. 343. de Graveſon de myſt. & annis Chriſti diſſert. 16. quo in loco explicata opinione antiquiorum Thomiſtarum docentium gratiam efficacem diſtingui *entitate*, ac natura ſua a gratia ſufficiente, *Secundo*, inquit, *alii Thomiſtæ, qui volunt gratiam efficacem non diſtingui ex entitate, ſeu ex natura ſua a gratia ſufficiente, ſed tantum penes intenſionem graduum efficaciæ, quibus ſuperat gradus malitiæ voluntatis creatæ, eamque convertit; docent, inquam, illi Thomiſtæ in ſolius hominis culpa eſſe quod gratia ſeipſa efficaci privetur. Idque illuſtrant hoc clariſſimo exemplo: ſupponunt quippe voluntatem alicujus hominis ex pravis habitibus ac diuturna peccandi conſuetudine ad octo, vel decem gradus obſtinationis perveniſſe; ſi itaque Deus huic homini male affecto gratiam conferat quæ plures & majores efficaciæ gradus habeat, quam ſint gradus obſtinationis, & malitiæ in voluntate, tum illa gratia ſuapte vi, ſeu victrice delectatione ſuperabit obſtinationem voluntatis, & erit reipſa efficax. At ſi Deus, ita exigentibus illius hominis demeritis, gratiam minus validam conferat, & quæ in gradibus efficaciæ ſuperior, major, ac fortior non ſit gradibus obſtinationis, ſeu malitiæ voluntatis; tunc illa gratia voluntatem quidem commovebit, ſed illam non convertet, nec illius obſtinationis gradus ſuperabit, eritque tunc temporis gratia tantum ſufficiens & inefficax, non quidem ex defectu ſui, cum reipſa, & vi ſua converteret voluntatem, ſi minor eſſet voluntatis reſiſtentia, ſed ex defectu voluntatis, quæ obſtinatione ſua magis obſiſtit. Perinde ac ſi admotum lignum ignis non comburat, id non oritur ex parte ignis, qui agit, & cui non deeſt vis agendi, ſed ex parte ligni, quod humiditate & aqua quum ſit oppletum, efficaciæ, & vi ignis magis obſiſtit, eamque extinguit.* En Graveſonius fatetur ſententiam de Gratia efficaci *relative*, & juxta graduum ſuperioritatem, eſſe aliquorum Thomiſtarum; ideoque idem auctor ubi in Epiſtolis *delectationem relative victricem* Janſenianum dogma appellat, intelligendus eſt de *victrici delectatione* ſuperiori gradu injiciente vinculum voluntati, eamque ad opus trahente abſque libertate indifferentiæ, & cum ſola immunitate a coactione, ut explicabo ſequenti paragrapho. Nunc enim illud tantum pronuntio, *delectationem victricem*, ut ſupra explicatam, atque a nobis, & a Thomiſtis illis, de quibus Graveſonius loquitur, defenſatam, tantum differre a *delectatione victrici* Janſeniana, quantum decretum *efficax abſolutum & gratia prædeterminans*, prout a Thomiſtis defenditur, differt a decreto efficaci & prædeterminatione Calviniana: ſiquidem nos, ac Thomiſtæ cum victrici delectatione & prædeſtinatione libertatem indifferentiæ, quam Calvinus & Janſenius minime agnoſcunt, agnoſcimus, profitemur, ac propugnamus.

VI. Joannem Gonzales, ac Thomiſtas, de quibus ſupra, non recedere a principiis Sancti Thomæ haud obſcure commonſtrant eadem principia, quibus Petrus Manſo gratiam *relative* efficacem ſtuduit comprobare. Vide quæ ſcripſi tertio numero hujus §. Verum ne a Thomiſtis, inter quos verſamus, diſcedat ſtatim oratio; Antoninus Maſſouliè prælaudata quæſt. 6. id prolixa diſſertatione ſtudet evincere: ac primo articulo affirmat conſentire *cum communi Sancti Thomæ diſcipulorum ſententia* eam, quæ conſtituit divinæ gratiæ efficaciam in quadam congruitate, qua divinæ gratiæ motio ſuperet malitiam, & reſiſtentiam voluntatis: *unde*, inquit, *pro varia diſpoſitione, & variis veluti gradibus malitiæ, cui ſuperandæ conſentanea gratia confertur, major in uno eſſe debeat, quam in alio, ita, ut in uno interdum effectum omnem habeat, quem habere poteſt, & ſuæ efficacitati proportionatum actum eliciat, & proprie efficax ſit; in altero vero non omnem effectum habeat ex reſiſtentia voluntatis, & tunc efficax quidem ſit ſua ipſa virtute, effectum tamen ex reſiſtentia, ut dixi, voluntatis non habeat, ſed tunc inefficax evadat.* Ad ſententiam hanc demonſtrandam, principio ait *varios eſſe poſſe, & reipſa eſſe obſtinationis & reſiſtentiæ voluntatis gradus; varios item gradus divinæ gratiæ, & motionis, quam ita Deus ex æquiſſimis ſuæ providentiæ legibus temperat, ut voluntatem pro libito impellat, vel concutiat ſolum, vel omnino convertat*: ex quo infert ea ratione efficacem, & ſufficientem gratiam diſtingui, *ut efficax major ſit, ſufficiens minor, quæ reſiſtentiam voluntatis omnino non vincat*. Deinde contendit hanc efficacis & ſufficientis gratiæ rationem cohærere communi Thomiſticæ Scholæ ſententiæ, eo quod etiam Alvarez inter nobiliores Thomiſtas non poſtremus diſput. 80. docuerit eamdem gratiam dici efficacem *reſpectu effectus imperfecti, quem efficit*, inefficacem vero, aut ſufficientem *reſpectu actus ultimi ac perfectioris, ad quem diſponit*. Idem confirmat ex diverſis motibus, quibus impius ad juſtificationem diſponitur, pulcherrima ex Angelico Præceptore q. 28. de Verit. art. 3. & ex 1. 2. q. 113. art. 7. proferens, quo in loco S. Thomas explicat juſtificationem exemplo *ſubſtantialis formæ*; quæ licet *in inſtanti*, ac momento, ut inquiunt Philoſophi, producatur, prius tamen materia *per alterationem* diſponitur, qua *alteratione* diſpoſitiones contrariæ depelluntur; quamvis perfecta converſio aliquando momento fiat, ut contigit

Tom. 2. P. 204. de Ant. Maſſoul. vide etiam ſupra §. 1. n. 10.

in

in Paulo, prout idem Sanctus Thomas docet cit. q. art. 10. Præterea Maſſouliè appoſite mentem ſuam explanat comparatione ignis, qui primo immittit aliquem calorem, ac diſpoſitionem aliquam producit. Deinde neceſſum eſt, ut majorem vel minorem calorem efficiat, quo lignum magis, vel minus diſpoſitum eſt, at juxta ſubjecti variam diſpoſitionem eadem aut ſimilis actio ignis in uno effectum producit, quem non producit in altero: atque hac comparatione varios gratiæ gradus, & relativam efficacitatem explicat vir doctus pag. 208. & ſequenti, quidquid ait Sancti Thomæ teſtimoniis illuſtrans. Secundo articulo a pag. 210. uſque ad 214. eamdem ſententiam corroborat, de efficacia divinæ gratiæ pertractans, eamque locans *in congruitate, & proportione*, ut illius utar verbis, *in eo poſita, quod ſuperet reſiſtentiam voluntatis*. Ait Sanctum Thomam in cap. 5. Epiſt. ad Rom. comparare gratiam medicinæ: verbiſque Sancti Thomæ productis, *Eſt igitur*, inquit, *gratia inſtar medicinæ, & proportionem quamdam requirit, ut ſcilicet ſua vi ſuperet vim, & effrænis cupiditatis impetum*. Et poſt pauca: *Ita ſi fortior ſit divinæ gratiæ motio, & ea motione accenſa caritas vincat, ſuperetque pravam cupiditatem, tunc motio divinæ gratiæ efficax eſt: quod ſi e contra vehementior ſit ipſa cupiditas, caſſa & inefficax redditur divina motio, aut ejus vis ita retardatur, ut licet effectum aliquem habeat, non habeat tamen perfectum, ad quem ex divina ordinatione refertur*. Fuſe id probat allato diſcrimine, quod inter cauſſam *formalem*, & cauſſam *efficientem* intercedit, quarum illa ſtatim effectum ſuum habet, & licet minima, contrariam *formam* expellit; altera autem gradatim agit, donec *exceſſu virtutis activæ poſſit ſibi paſſum ſubjicere*: atque ita, inquit, gratia ſanctificans, quamvis minima, omnia peccata mortalia omnino repellit, & tam in adulto, quam in parvulo effectum conſequitur ſuum; ſed gratia actualis pertinens ad genus gratiæ efficientis exigit contemperationem ordinemque diſpoſitionum, quibus vincat voluntatis reſiſtentiam, quod aſſequitur tandem, quando eſt major *eo cupiditatis motu, qui voluntatem hominis pertrahit, aut pertrahere nititur ad malum*. Hoc idem evincit ex diverſa tentationum pugna, ad quam ſuperandam divina gratia confertur, hinc inferens *majorem & ampliorem eſſe debere gratiam in eo, qui majori tentatione urgetur, quam in eo qui leviori pulſatur*. Idem probat ex diſcrimine & inæqualitate actuum, quos divina motio in nobis efficit. Demonſtrat ſubinde, quam facilius in hac ſententia de gratia *relative* efficaci vitentur incommoda, quam in aliis explicandi modis Scholaſticorum. Hinc enim apparet gratiam ſufficientem, quam Schola Thomiſtica admittit, eſſe veriſſime ſufficientem, nam motio E. G. quatuor *ſi interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat, ſed oritur ex prava diſpoſitione voluntatis, quæ ob pravum habitum intenſum V. G. ut quinque, ipſius actionis impreſſioni, & vi, ſeu efficaciæ divinæ motionis non ſubjicitur*; eo prorſus modo, quo ſi ignis admotum lignum non comburat, id non eſt adſcribendum igni, quaſi ei deſit ſufficiens vis agendi, ſed quod lignum humiditate, & aqua plenum vi & efficaciæ ignis obſiſtat. Illud etiam commodi ex hac ſententia proficiſci demonſtrat, quod rectiſſime imputatur homini ad culpam quod non agat, & divina præcepta non impleat, quando deeſt motio efficax; ſufficeret enim divina motio, *niſi pravo cupiditatis laqueo compedita voluntas teneretur: quod ſi in eo ſtatu pravæ cupiditatis, quæ voluntati dominatur, eamque conſtringit, præter eam motionem ipſi neceſſaria ſit, & majoris remedii ope egeat, imputet ſibi, & magnitudini morbi prava hominis voluntas, quæ ſeipſam ſua ſeſe malitia, & cupiditate conſtrinxerit*. Alterum etiam commodum ex ea ſententia reportatur, quod ea poſita optime explicetur, cur in iis, qui convertuntur, Dei miſericordia, in iis vero, qui non convertuntur, juſtum judicium ſit agnoſcendum; quod enim a Deo averſus *percipiat gratiam, quæ malitiæ vim & magnitudinem ſuperet*, ſolius divinæ miſericordiæ opus eſt; quod vero *minori motione pulſetur*, divinæ juſtitiæ eſt, cum ille abundantiori gratia privari omnino mereatur. Hæc Antoninus 2. articulo. In tertio, qui protenditur uſque ad 222. paginam, totus eſt in demonſtrando prædictam ſententiam certiſſime eſſe Auguſtini, qui innumeris in locis ſtatuit *efficaciam gratiæ in delectatione victrici, & tum delectationem a Deo immiſſam efficacem eſſe, cum ſuperat voluptatem terrenam:* & ne putes loqui hunc auctorem de victrici delectatione *abſoluta*, expende ſuperius dicta, necnon quæ ſequuntur: *Adeo virtus naturæ recte inſtitutæ conſentanea eſt, ſuaſque delicias habet, ut nemo iis ſe non allici ſineret, niſi alioquin pravæ cupiditatis adverſa voluptate detineretur. Atque inde illa inter cupiditatem, & virtutem perpetua pugna: nec vinceretur ea cupiditatis voluptas, niſi Deus majorem delectationem immitteret, quæ alterius vires minueret, & cupiditatis reſiſtentiam omnem ſuperaret. Ergo & in eo videtur eſſe poſita gratiæ efficacia, quod ſit delectatio victrix, alterius ſcilicet delectationis, quam ſibi ſubjicit, & cujus reſiſtentiam ſuperat*. Habentur hæc verba citata pagina 222. colum. 1. Poſtremo & quarto illius quæſtionis articulo demonſtrat Maſſouliè ſententiam, in qua defenditur gratiæ efficacitas per delectationem gradu ſuperiorem comparate ad pravam adverſamque cupiditatem, convenire cum ſententia inter Thomiſtas, quoad modum explicandi, communiorem; propterea quod etiam ſententia illa gratiam admittat ſeipſa efficacem, *quæ ſua vi per modum efficientis cauſæ, ac phyſicæ, conſenſum voluntatis efficiat, ipſumque prioritate naturæ & cauſalitatis antecedat*; habeatque connexionem cum effectu, non ex ſcientia media, *qua Deus futurum voluntatis conſenſum exploret, ſed ex ſua cauſalitate & infallibili vi agendi*, quam habet ex abſoluto antecedenti divinæ voluntatis decreto, tantam, vel tantam motionem tribuendo, quantam Deus videt neceſſariam eſſe ad actum prædefinitum, prout ſuperiori articulo 3. pag. 113. Maſſouliè demonſtraverat accuratius agens de ſua a Congruiſtis diſcrepantia. Quapropter in quarto articulo pag. 223. & ſeq. concludit, nullam aliam inter has duas Thomiſtarum ſententias differentiam adinveniri, niſi quod una utriuſque gratiæ, ſufficientis, & efficacis *propriam notionem ſeparans & diſtinguens, metaphyſica magis, & exacta diſtinguendi arte utatur*, ſiquidem etſi ſufficiens & efficax gratia interdum *minime entitate diſtinguantur*, & ſeparentur; dubitari tamen non poteſt, *quin utriuſque munera omnino diverſa ſint*, quæ diverſa munera in uno, eodemque auxilio inveniuntur, quamvis ſufficiens ab efficaci non diſtinguatur, niſi relate ad diverſam ſubjecti diſpoſitionem. De Antonino Maſſouliè, ejuſque ſententia legendus auctor Operis inſcripti, *Le Diſciple Pacifique de Saint Auguſtin*, editi Pariſ. an. 1715. Hic auctor cap. ultimo 2. p. a pag. 815. §. *Il y a un' autre maniere* uſque ad pag. 821. §. *Je ne puis omettre*, gratiam relative efficacem accuratiſſime exponit, commendat, laudatque. *Il y a un' autre maniere* (inquit) *que le Pere Maſſoulié juge tres-propre, & tres-utile pour expliquer cette difficulté qui regarde la concorde de la grace efficace avec le libre-arbitre, c' eſt de dire avec Gonzales celebre Thomiſte, que l'efficace de la grace eſt relative & non abſoluë, & que elle conſiſte dans une certaine convenance & proportion ſpeciale, & pour me ſervir de ce terme recû dans l' école, dans une certaine congruité de la grace, a l' égard del' effet pour le quel elle eſt donnée, la quelle convenance rend la grace tres-propre à vaincre la malice, & la reſiſtance de la volonté, & à ſurmonter les obſtacles, & les indiſpoſitions qui ſe rencontrent dans un ſujet pour le bien. Par exemple, à une volonté qui a ſix degrez d' obſtination dans le mal par une mauvaiſe habitude, il ſera beſoin pour la convertir d' une grace plus forte qu' à une volonté qui n' auroit que trois ou quatre degrez de obſtination: de ſorte, que la même grace qui ſurmonteroit trois ou quatre degrez d' obſtination, parce qu' elle ſeroit dans un degré tres-propre pour le ſurmonter, pourroit n' avoir pas la même convenence, ni par conſequent le même effet & le même ſuccés, ſi elle trouvoit ſix degrez d' oppoſition, d' obſtacle, & de reſiſtance*. Nemo, qui auctorem hunc legerit, Janſenianum illum fuiſſe ſuſpicabitur. Ex ejus verbis pagina 827. *P. François de Bonne-Eſperance Theologien de notre Ordre*, colligo fuiſſe Carmelitam.

VII. Mirum propterea eſt, Anonymum *Janſeniſmi Redivivi* auctorem in altera *Appendice* pag. 5. quam ſuo loco diſcutiemus, fateri nullam affinitatem habere cum hæreſi Janſeniana ſententiam, quæ repetit gratiæ efficaciam *a phyſica prædeterminatione*, necnon ſententiam alteram, quæ ponit efficaciam gratiæ *in delectatione victrici, modo victrix dicatur, non ex graduum ſuperioritate, ſed ex abſoluta voluntate Dei, qui novit, ac decrevit ita movere voluntatem humanam, ut certo & infallibiliter, licet liberrime, delectationi conſentiat*. Mira, inquam, res eſt: nam primo auctor iſte ignorat inter Catholicos eſſe bene multos, etiam ex Thomiſtis, qui efficaciam gratiæ in delectatione victrici *ex graduum ſuperioritate* conſtituunt, ut hactenus evidentiſſime demonſtravi; ideoque Catholicis notam *Janſeniſmi* imperite nimium, vel audacter impingit. Deinde nos *in delectatione ſuperiori* ſtatuimus gratiæ efficacitatem, non ad Janſenii trutinam poſtea ponderandam, ſed ad principia prædeterminationis phyſicæ, & delectationis abſolute victricis; ſiquidem & nos contendimus delectationem illam ſuperiorem pendere *ex efficaci & abſoluta Dei voluntate*, quæ inſpirat talem delectationem, quæ certo & infallibiliter, ſalva tamen indifferentia liberi arbitrii, trahat ad opus, vincendo contrarios motus concupiſcentiæ, imo fatemur ipſam gratiam efficacem, & delectationem victricem interdum eſſe *abſolutam*, idoneamque

Pag. 222. col. 1.

que ad ſuperandam omnem penitus duritiam cordis, ut conſtat legenti librum noſtrum XIV. cap. 8. ideoque quantum ad gratiæ efficientiam attinet, omnino cum aliis Catholicis convenimus. Præterea difficultas, quæ invenitur in concilianda libertate cum gratia per ſe efficaci, non eſt, an libertas indifferentiæ conſiſtere queat cum qualitate phyſica, cum motione divina, cum delectatione, aut *abſoluta*, aut *relativa*; ſed an conſiſtere poſſit cum decreto efficaci abſoluto & antecedenti, cum præmotione inferente certo & infallibiliter actum prædefinitum ante exploratum voluntatis conſenſum, cum prædeterminatione ad unum actum trahente liberum arbitrium, prius quam iſtud ſeſe ad agendum determinet. Hic nodus eſt; & hæc difficilis quæſtio, quomodo gratia conciliari poſſit cum libertate. Unde in hac quæſtione qui gratiam *per ſe* efficacem dari negant, objiciunt interitum libertatis, & principia tum Calviniana, tum Janſeniana, non tantum nobis gratiam effectricem locantibus in delectatione *relativa*, verum etiam Thomiſtis prædeterminationem phyſicam adſtruentibus. Quæ ſane quiſquis negat, prorſus ignorat, quæ Baſtida ceterique Mediſtæ Prædicatoribus oppoſuerunt; ignorat *Parallela* inter Calvinum & Banneſium ab adverſariis excogitata & objecta; ignorat argumenta, quibus auctor litterarum ad Alexandrum probare nititur Thomiſtarum & Janſenianorum eadem eſſe principia, eaſdemque conſecutiones. Falluntur ii quidem omnes; ſed turpius fallitur Anonymus ignorans quod in ſententia Thomiſtarum arduum magis ac difficilius adverſariis videtur ad conciliandam cum gratia libertatem; id nempe, quod nobis, ceteriſque omnibus præmotiones efficaces abſque adminiculo ſcientiæ mediæ tradentibus, commune eſt; ſed a nobis, ut noſtra fert opinio, longe facilius expeditur. Inſuper adverſarium rogo, atque obteſtor, ut mihi dignetur explicare, quomodo ſtet cum libertate indifferentiæ prædeterminatio phyſica, & delectatio *abſolute* victrix, non ſtet autem cum eadem libertate delectatio victrix *relative*; ſeu, quod idem omnino eſt, quare libertatem evertat inſpiratio ſanctæ dilectionis ad quinque E. G. gradus intenſa, ſibique ſubjiciens pravam cupiditatem ad quartum uſque gradum accenſam; & libertatem minime evertat delectatio victrix *abſolute*, omnemque concupiſcentiam, quantumvis robuſtam, ſupremiſque gradibus flagrantem, ſuperans ac ſubjiciens? Illud etiam peto, cur delectatio *victrix* dicatur, niſi comparate ad concupiſcentiam, quam vincit? Enimvero arbitramur, ipſamet vocabula ab Auguſtino uſurpata plurimum valere ad veritatem ſententiæ noſtræ corroborandam, atque ad revincendam Janſenianæ hæreſeos calumniam.

To. 3. pag. 161.

Vide Acta Congreg. de Auxiliis tom. 3. & 8. Livinum de Meyer Hiſt. de Auxiliis diſs. 1. cap. 5. & 6. Epiſt. 8. & 9. ad Alexandrum, &c.

VIII. Quid? quod etiam Congruiſtæ debent gratiam efficacem *relative* tantum adſtruere. In horum quippe ſententia ſufficiens gratia redditur *efficax*, ſi conferatur in tali congruitate loci, temporis, ſubjecti; atque ſine effectu remanet, ſi careat ejuſmodi congruitate. Efficax eſt ergo comparate ad ſubjecti extrinſecas, & intrinſecas diſpoſitiones, non *abſolute*. Hinc eſt, quod Congruiſtæ Joannem Gonzales de quo ſupra num. 4. ad partes trahunt ſuas, ſibique conſentire contendunt. Eſt tamen inter nos, & Congruiſtas diſcrimen maximum; quoniam illi putant conferri gratiam congruam, ſcilicet, hominem vocari in hac opportuna circumſtantia, ob præſcientiam boni uſus arbitrii; quia nempe Deus prævidit quod in tali opportunitate vocatus obtemperabit & præbebit aſſenſum: nos contra affirmamus, non pendere a tali præſcientia quod Deus talem gratiam inſpiret, ſed a voluntate efficaci, qua vult, ac prædefinit ejus, qui vocatur, conſenſum; & ne voluntas illa abſoluta ac divina fruſtretur effectu, inſpirat talem delectationem, quæ ſuperat pugnantem cupiditatem, & ex qua certo, atque infallibiliter, omnino tamen libere, effectus ipſe conſequitur. Ita docuit Antoninus Maſſouliè, ita Ægidiani noſtri, de quibus 2. num. ita nos lib. XVIII. cap. 8. & 9. Si præſcindamus itaque *a ſcientia media*, quam nec admittimus, nec admittemus unquam; nil in ſententia noſtra erit, quod adverſariis diſpliceat: ac tantæ demum criminationes in nos, quoniam heſternum commentum *ſcientiæ mediæ* refellimus, invidioſo Janſeniſmi nomine invenientur eſſe conflatæ. Dixi de Gratia *relative* victrici.

IX. Agam nunc *de potentia proxime expedita*, quod eſt hujus §. pars altera. Anonymus nunquam nobis objeciſſet, quod alicubi ſcripſerimus per adjutorium *ſine quo non* excitans in nobis parvas & invalidas delectationes, ſive per gratiam ſufficientem, prout diſtinguitur ab efficaci, non conferri potentiam proxime expeditam ab omni prorſus impedimento, ſi animadvertiſſet id a nobis eo ſenſu tradi, quatenus neceſſariam dicimus gratiam *ſeſe* efficacem, ut voluntas exeat in actum; ſi ad memoriam revocaſſet rejici a defenſoribus gratiæ efficacis æquilibrium illud, in quo voluntas per gratiam ſufficientem conſtituta habeat poteſtatem *æque expeditam* ad unam partem, & alteram; ac ſi legiſſet duntaxat Noriſii Opera, *Germanitates* præſertim, & *Calumniam ſublatam*. Etenim Noriſius in *Calumnia ſublata* cap. 1. demonſtrat ex Franciſco Suarez lib. IV. de Gratia cap. 4. num. 6. auxilium illud, quod eſt actu receptum, nondum eſſe proxime ſufficiens ad illum actum, ad quem illud auxilium præveniens dicitur eſſe neceſſarium, ſed tantum ſufficiens remote. *Ergo* (inquit) *auxilium illud, quod ſupponitur actu datum, eſt proxime ſufficiens ad illam priorem diſpoſitionem, & ita ad illam includit omnia auxilia prævenientia actu data, & reſpectu ulterioris actus eſt tantum remote ſufficiens.* Hanc Suareſii doctrinam confirmat Noriſius aliorum Theologorum auctoritate, roboratque Auguſtini verbis locupletiſſimis ex lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 15. & 17. & ex libro 3. contra Maximinum cap. 14. concludens, *Tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati, tametſi caruerit gratia proxime ſufficienti, qua poſſet exequi mandatum.* Cap. 2. probat Noriſius tali auxilio *proxime ſufficiente* privari aliquando etiam juſtos, dum urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſine gratia; quod rurſus demonſtrat ex Suareſio lib. IV. de Grat. cap. 18. num. 19. atque ex Baſilio Poncio 1. p. Relect. de Grat. cap. 17. num. 10. quorum verbis productis, ait: *Auxilium proxime ſufficiens ad reſiſtendum graviori tentationi illud eſt, quo habito nihil ulterius adjutorii a Deo dandum ſupereſt, ut tentatio poſſit reapſe ſuperari.* Demonſtrat ſubinde, juſtis quoque orandum eſſe, ne tentationi ſuccumbant, ex ſeſs. 6. Trident. cap. 11. & Auguſt. lib. de nat. & grat. cap. 43. hinc ſyllogiſmum iſtum conficiens: *Qui non habet potentiam proximam obſervandi præcepti, habet privationem auxilii proxime ſufficientis: ſed juſtus quandoque urgente præcepto non orans, non habet potentiam proximam obſervandi præcepti; ergo tunc habet privationem auxilii proxime ſufficientis.* Idem ex Patribus Africanis epiſtola ad S. Innocentium, atque ex aliis Auguſtini textibus compluribus doctiſſimus Cardinalis corroborat confirmatque. Cap. 4. ejuſdem Opuſculi profert verba Suareſii ſcribentis lib. 4. de auxiliis cap. 18. num. 19. *Dico ergo ſenſum Auguſtini eſſe, Adamum recepiſſe auxilium proxime ſufficiens ad perſeverandum ſi vellet, & ita ſufficiens, ut pro ſua libertate, & velle & perſeverare cum effectu potuiſſet, quod eſt veriſſimum. De hoc ergo eodem auxilio ita proxime ſufficiente negat Auguſtinus dari hominibus lapſis, qui cum effectu non perſeverant in pœnam primi peccati, &c.* Additque ſtatim auxilium ſufficiens naturæ lapſæ non eſſe tantum ac quale fuit in Adamo *propter fomitem, & alia impedimenta bene operandi. Non dicit tamen*, inquit, *Auguſtinus hujuſmodi homines in præſenti ſtatu nullum auxilium ſufficiens recipere ad perſeverandum; nam recipiunt ſaltem remote ſufficiens, in eis tamen propter conditionem hujus ſtatus tale eſt, ut non ſit proxime, ſed remote ſufficiens, & ut nunquam conſequatur effectum.* Unde conſtat illud tantum juxta Suareſium ac Noriſium eſſe auxilium in hoc ſtatu *proxime ſufficiens*, quod eſt efficax, ideſt, effectum conſequitur. Vide & reſponſionem Noriſii *ad Germanitatem* XV. prope finem primi Voluminis. Ex his evidentiſſimum puto eos, qui nos Janſeniani erroris inſimulant, propterea quod aliquando affirmaverimus gratiam ſufficientem, prout ab efficaci diſtinguitur, non dare potentiam *proxime completam & expeditam*, quoniam ad ponendum actum requiritur gratia uberior, nempe adjutorium *quo*, adverſus Noriſium, cujus & verba & ſenſus exſcribere conſulto ſtuduimus, acuiſſe ſtylum, atque ſub obſcuro nomine noſtro Cardinalem doctiſſimum & celeberrimum iterum fuiſſe aggreſſos. Et revera cum lib. 18. in quo diſputavi contra hæreſim Janſenianam, ubique Noriſii verba reddiderim, & ſæpe etiam laudaverim; Anonymus de Noriſio callide tacet, ne cogatur aſſerere me a tanto viro diſſentire: quod apertiſſimum foret mendacium, quemadmodum in eo quod ſpectat ad gratiam ſufficientem, & ad potentiam proxime expeditam, conſtat ex nuper dictis.

Tom. 3. pag. 1060. & ſeq.

Tom. 3. Noris. pag. 1094.

X. Priuſquam a Noriſio diſcedam, addendum eſt, auctorem Prodromi Velitaris cap. 1. hinc adverſus Auguſtinianum ſcriptorem moliri iniquam criminationem, quod is neget omnem gratiam proxime ſufficientem, cum tamen Gratia actualis vulgo in Scholis dividatur in proxime ſufficientem & efficacem; quarum illa dicit *plenam & proximam poteſtatem ab omni actu ſeparatam*, iſta vero *plenam poteſtatem agendi cum actu conjunctam*. Diſpunxit Noriſius hunc librum brevibus & eruditis notis propria manu additis ad libri marginem: in quibus ait, *Illa partitio non ponitur. Lege Suar. pag. 236. Macedo illam rejicit p. 88. Scrinii: In Cortina pag. 318. & 293. Gratiam datam Adamo dari etiam quandoque in hoc ſtatu ex Auguſtino affirmo; Illa eſt modo remote ſufficiens, & proxime ſufficiens ad orandum. Alii debilem gratiam dicunt, Jeſuitæ incongruam, Thomiſtæ remote ſufficientem, quatenus illa ali-*

Prodromus Veli. cap. 1. pag. 4. Cod. Angel. Bibliotb. LL. 4. 14.

aliquid efficacitatis deeſt in actu primo, ut ſequatur actus ſecundus. Lege Alvarez diſp. 92. num. 2. Si reſiſtit liberum arbitrium, non eſt victrix gratia, ſed victa: omnis autem qui vincitur, debilis dicitur eo ipſo quod a valido ſuperatur. Recte petit Eccleſia actum, quia illa ſola gratia (quæ dat actum) *plene ſufficit. Quid enim prodeſt*, inquit Auguſtinus cap. 15. de Grat. & lib. arbitrio, *ſi quod poſſumus, nolumus; aut quod volumus, non tamen valemus implere? Vide orat. in Feſto S. Norberti 6. Junii. Prudentium pag. 246. Auguſtinus ait in ſententia Pelagianorum tolli orationes, quia illi ponebant poſſibilitatem completam. Potentia proxima & expedita explicatur in Adam a Bellarmino lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 27. §. Ut igitur intelligamus.* Hæc Noriſius in notis ad pag. 4. & 5. Prodromi: ex quibus apparet juxta Noriſium a gratia ſufficienti, cui reſiſtitur, non dari *potentiam proxime expeditam*, atque completam: id affirmari etiam a P. Macedo, a Suareſio, ab Alvarez, a Bellarmino, id evinci ex orationibus Eccleſiæ, quibus juſti orant, ut bona opera adjuvante Domino valeant exercere: id tandem manifeſtum fieri Theologica ratione, quoniam poſita *poſſibilitate completa* tollitur oratio, qua divinum petitur adjutorium; & irriſoria foret oratio, qua petimus, ut facere poſſimus, quod facere jam poſſumus potentia proxima completa, expedita. Achilles Galliardus Societatis Jeſu in Congregat. de Auxiliis exhibuit Summo Pontifici ſcriptum in quo cap. 6. demonſtrat in ſententia Congruiſtarum ſolam gratiam *congruam, qua Deus ita contemperat, & accommodat aſſenſum, ut inde ſequatur, eſſe proxime ſufficientem*; hinc inferens non habere, juxta Congruiſtas, *gratiam proxime ſufficientem*, quiſque non habet *gratiam congruam*. Vide tom. 2. Mss. Congregat. de auxiliis pag. 28. Scriptum illud propria Jeſuitæ manu firmatum eſt. Eant modo, & rubore ſuffuſi fateantur ſe Noriſium, celebreſque auctores ab eo laudatos nunquam legiſſe, noterici illi, qui inter ſcita Janſeniana recenſent denegare *potentiam proxime completam* ad opus ſupernaturale, ubi deeſt auxilium *quo*, ſive gratia efficax, ex qua ſequitur actus ſecundus. Profecto ſi hæc legere non potuerant, quæ nos modo ex Mss. ſchedis in lucem proferimus, legere tamen poterant, quæ typis edita ſunt, ſuperiori numero commemorata, necnon eximios Theologos a Noriſio laudatos, nullique rerum Theologicarum ſtudioſo prorſus ignotos.

XI. Videndum modo eſt, an Noriſius recte pro ſententia noſtra Patrem Macedo, Alvarez, & Bellarminum laudaverit; nam de Suareſio id vidimus num. 9. Igitur Patris Macedi in *Scrinio* cap. 8. hæc ſunt verba: *Quod autem dicunt quidam, auxilium ſufficiens illud eſſe, quo voluntas ita præparatur, ut ſit in poteſtate proxima & expedita ad operandum, & tamen omnino indifferens maneat poſito illo auxilio, cujus domina ſit voluntas, quoque pro ſuo libito utatur, non utaturve: id ſane ab Auguſtini ſenſu, & recta ratione prorſus abhorret*; & proxima pagina negat cum auxilio ſufficienti, ut a plurimis Scholaſticorum accipitur, voluntatem *eſſe omnino indifferentem, & cum æquali & integra citra omnem inclinationem poteſtate*. Quæ non aſſerit tantum, verum etiam demonſtrat vir ille in Auguſtini lectione diu multumque verſatus. *In Cortina* item pag. 203. hæc de adjutorio *quo* ſcribit Macedo: *Secunda gratia Adami ſecundi, & hominis lapſi major erat, & potentior; quia ut donaret poſſe, ſanabat, & erigebat, & roborabat naturam vulneratam, proſtratam, infirmam; ſupplebatque virtute ſua, quod rectitudo, ſanitas, & integritas faciebant: unde non ſolum aderat potentiæ promptæ, expeditæ, ac præparatæ, ſed etiam liberabat & præparabat potentiam, & impedimenta removebat; itaque non ſolum oblata dabat proximum poſſe, ſed etiam inducta faciebat. In quo primum apparet major virtus gratiæ ſecundæ; quia prima ſupponebat potentiam expeditam & liberam: ſecunda impeditam, & ſervam; prima tantum explicabat in uſum poteſtatem agilem & promptam: ſecunda ipſammet poteſtatem ſuopte pondere tardatam & oppreſſam expediebat, &c.* & pag. 318. *Dari hodie in nobis pulſus gratiæ omnino ſimiles iis naturæ integræ: nam quos experimur inefficacis gratiæ motus, qui velleitates tantum excitant, eos ego exiſtimo ſimiles primo adjutorio ſanæ integræque naturæ; ſed eo tamen diverſos, quod ii ſatis omnino erant ad operandum in ſtatu recto, imo & cum iis in eo Angelos, & Adamum, quandiu bonus, operatos: nunc vero urgente mole cupiditatis auxilium illud inefficax nec ſatis omnino eſſe ad operandum, ſuppoſita infirmitate potentiæ, nec cum eo quemquam operari.* Recte ergo Noriſius aſſeruit etiam Patrem Macedo firmiſſime docuiſſe, quod in hoc infirmitatis ſtatu ſolum adjutorium *quo*, & per ſe efficax dat *potentiam proxime expeditam & completam*, quæ potentia in ſtatu naturæ integræ aderat cum ſolo adjutorio *ſine quo non*; præmonſtravitque nobis diſcipulorum ſuorum minimis (hoc enim nomine gloriamur magnopere) Noriſius noſter, quomodo ſi in nos, ut in ſeipſum olim, Janſenianæ labis probrum objiceretur, facili negotio noſmetipſos, ipſummet, & Auguſtinianæ doctrinæ cultores, adverſus veteres, novaſque calumniantium machinationes intrepide tuerentur.

P. Macedo Scrin. pag. 88. & 89.

Cortin. pag. 295.

XII. Eminentiſſimum quoque Bellarminum laudavit Noriſius fideliter, & accurate: nam citato lib. 5. de Grat. & libero arbitrio cap. 27. §. *Ut igitur intelligamus*, docet ille, *liberum arbitrium Adamo ante peccatum duabus in rebus potentius fuiſſe, quam noſtrum; nos enim etſi liberi ſimus in actu voluntatis, & poſſimus pro arbitrio velle & non velle, eligere & non eligere, tamen ſæpe non ſumus liberi in actibus aliarum potentiarum ſive in executione voluntatis, & pati cogimur rebellionem partis inferioris, & dicere cum Apoſtolo, Quod nolo, hoc facio. Adam vero ante lapſum liber erat non ſolum in actu voluntatis, ſed etiam in executione, cum nulla eſſet in ejus corpore rebellio, & omnia membra illi ſerv irent ad nutum.* Quæ verba aperte demonſtrant nos, etiam cum volumus, experiri rebellis carnis, & noxiæ cupiditatis impedimenta, nec habere ad exequendum id, quod volumus, expeditam illam potentiam, ac pleniſſimam, & in æquilibrio poſitam libertatem, quam habuit ante peccatum primus homo.

Tom IV. pag. novæ edit. 341.

XIII. Didacus Alvarez Archiepiſcopus Tranenſis, cujus meminit Cardinalis Noriſius, lib. VIII. *de Auxiliis divinæ gratiæ* diſp. 79. docet, quod ſi loquamur de auxilio ſufficiente, quo poſſumus *complete* operari, *Illud auxilium dicitur complete ſufficiens ad aliquam operationem, ultra quod nullum aliud auxilium eſt abſolute neceſſarium, ut illa operatio actu producatur*: ideoque Alvarez nullam potentiam *completam*, & expeditam in ordine ad actum ſupernaturalem agnoſcit abſque gratia efficaci, qua *operatio ipſa producitur*. Id vero debebat Alvarez neceſſario affirmare, poſtquam diſp. 18. pag. 148. docuerat auxilium efficax tribuere *voluntati ultimum complementum actus primi, ut inquit S. Thomas 3. contra Gentes cap. 66. & q. 3. de potentia art. 7. ad 7.* & diſp. 19. pag. 155. idem Alvarez tradiderat ſententiam S. Thomæ, ac Thomiſtarum eſſe, quod *auxilium Dei, ſive motio prævia, qua movet & applicat cauſas ſecundas ad operandum, ſit in illis aliquid reale diſtinctum ab earum operationibus, & eſſe quoddam complementum virtutis activæ, quo actualiter agat*. Ubi ergo talis motio, utique efficax, non reperitur, juxta Alvarez, alioſque Thomiſtas erit quidem auxilium *ſufficiens*, ſed non tale, quo detur *virtutis activæ complementum*, ſive ut nos cum Noriſio diximus, *potentia proxime completa, atque expedita*. De hac ſententia ſcribit Joannes Gonzalez de Leon, qui anno 1635. & ſeq. fuit Romani Collegii S. Thomæ Aquinatis Regens, in Controv. de Auxiliis contr. 5. art. 6. *Aliqui doctiſſimi Thomiſtæ arbitrantur minus congrue vocari ſufficiens illud auxilium, quod contra efficax dividitur, ſed appellandum eſſe auxilium generale in ordine gratiæ, vel communem vocationem, ſive auxilium ſine quo non poteſt recte operari, vel cum quo poteſt operari ſalutis opera: eo ducti, quia voces iſtæ ſunt antiquiores, & traditæ a Sanctis Patribus, & hæc vox ſufficiens aliquas patitur difficultates; & ſpecialiter quia Sanctus Thomas pluribus in locis accipit ſufficiens pro efficaci. Alii Thomiſtæ communiter cum omnibus Scholaſticis noſtri temporis, & cum aliquibus antiquis, judicant auxilium, quod contra efficax dividitur, recte appellari ſufficiens, & nullum ex hoc ſequi inconveniens. Quoad rem vero non dividuntur. Archiepiſcopus Tranenſis, Magiſter Herera, & alii aſſerunt in re non eſſe ſufficiens, ideſt, non reddere potentiam complete actuatam in ratione principii, ſed indigere auxilio efficaci, quod in illorum ſententia duo facit, & complet potentiam, & illam applicat ad operandum infallibiliter.* Satis, ut opinor, adverſarii noſtri perceperunt, aſſertum illud, *Gratia ſufficiens, prout diſtinguitur ab efficaci, non dat potentiam completam & proxime expeditam*, quam imperite vellicarunt tamquam Janſenianam blaſphemiam, non tantum indemnem eſſe, validiſque munimentis ſuffultam, verumetiam prolatam a clariſſimis cujuſcumque Scholæ Theologis.

Alvarez pag. 639. edit. Lugdun.

Gonzalez pag. edit. Leodii 330. Idem ſcribitur a Thoma De Lemos in Panoplia lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 2. pag. 38.

XIV. Verba, quæ ex Joanne Gonzalez nuper exſcripſi, exſufflant calumniam alteram, qua nobis *Janſeniſmus* imputatur, quia aſſerimus probare nos quidem maxime gratiam *ſufficientem Thomiſtico ſenſu*, ſed potius hujuſmodi gratiam attenta vi grammaticalis ſignificationis appellandam eſſe *inefficacem*. Hoc ſane affirmavimus libro XVII. cap. 3. Sed laudavimus Mediſtas omnes, ac Tournelium, Noriſium, Cumel, Lauræam, Macedum, Baſilium Poncium, & Sacram Facultatem Lovanienſem id aſſerentes. Debuerat Anonymus hos perlegere; quandoquidem ei & auctores, & loca indigitavimus. Nunc ne impoſtores, mendaceſque videamur; cogimur lectores tædio afficere, ac teſtimonia illorum auctorum recitare. Pro Mediſtis

Tom. 3. pag. 342.

ſtis unus ſufficiat Suareſius, qui lib. 3. de Auxiliis cap. 6. num. 4. hæc ſcribit: *De ratione auxilii ſufficientis, ſi proxime & actu ſufficiens ſit, eſt, ut includat omnia auxilia neceſſaria ſimpliciter, quæ per modum principii concurrunt ad ſupernaturalem actum, quia hoc auxilium eſt ſufficiens per modum potentiæ, potentia autem ut ſit ſufficiens, oportet ut habeat omnem virtutem neceſſariam ad agendum: & hoc ipſum præfefert nomen ſufficientis, nam ſi aliquod neceſſarium principium deeſt, ſine illo non poteſt aliud operari: ergo aliud non erat ſufficiens.* Cum itaque ſententia noſtra, omniumque Thomiſtarum, neceſſarium ſit auxilium efficax quod *per modum principii* concurrit ad ſupernaturalem actum; ſententia noſtra, omniumque Thomiſtarum nequit dari gratia *ſufficiens*, prout gratia *ſufficiens* explicatur a Suareſio, niſi ſit gratia efficax.

Suarez. Opuſcul. pag. 249. edit. Lugdun.

XV. Tournelius, quem ſecundo loco nominavi, P. 2. de Gratia q. 7. art. 4. concl. 3. inquit: *Non placet gratia ſufficiens, quæ numquam immediate ſuum effectum ſortitur defectu gratiæ efficacis phyſice prædeterminantis. Prob. 1. Quia gratia hujuſmodi reipſa nec ſatis ſufficiens ac utilis videtur homini ad obſervandum præceptum. Siquidem ea gratia reipſa inſufficiens & parum utilis videtur, quæ non complectitur id omne, quod requiritur ex parte principii, ut actus ponatur, vel ſaltem impetretur uberius auxilium, quo accedente actus ipſe ponatur; atqui talis eſt ſufficiens ſenſu Thomiſtico. Deeſt enim illi aliquid ex parte principii, ipſa ſcilicet phyſica præmotio: deeſt quoque auxilium, quo certo uberiorem gratiam homo impetrare poſſit, nempe gratia orationis, quæ non minus indiget auxilio phyſice præmovente, quam quilibet alius actus pietatis; ergo gratia illa vere ſufficiens nec eſt, nec dici poteſt.* Dicat nunc, quæſo, obtrectator: Auguſtinianus ſcriptor mavult auxilium ſufficiens appellari potius *inefficax*. Quo ſenſu *ſufficiens* appellandum eſt? *Proxime & complete*, ita, ut nullum aliud auxilium requiratur ad agendum, atque ut *efficax* ſit, deſideretur duntaxat cooperatio liberi arbitrii, ut inquiunt Mediſtæ? Hoc auxilium tali ſenſu *ſufficiens* non datur; neque admitti poteſt ab iis, qui gratiam *per ſe* efficacem propugnant. Vide Thomam Lemoſium lib. 4. Panopliæ Tract. 2. p. 2. cap. 6. & 7. egregie hujuſmodi auxilium *ſufficiens* impugnantem. Senſu ne Thomiſtarum? Admitto auxilium hoc ſenſu *ſufficiens*, ſed aſſero non ita appellandum juxta ideam notionemque illorum, qui ajunt non eſſe, nec dici poſſe *ſufficiens*, quod aliud auxilium petit ad ſupernaturalem actum eliciendum, ut ajunt Mediſtæ omnes, & Congruiſtæ, necnon Tournelius, quem neſciunt omnes cujus ſententiæ ſit homo. His ita ſe habentibus, quiſnam ſani judicii poteſt nos redarguere, quod fateamur admittendam eſſe gratiam *ſufficientem Thomiſtico ſenſu*, & aſſeramus, quod potius appellanda foret *inefficax*, quam *ſufficiens*? Profecto in re Thomiſtis, in nomine autem ceteris conſentimus: immo ut affirmat Gonzales, de quo num. 13. *aliqui doctiſſimi Thomiſtæ arbitrantur minus congrue vocari ſufficiens illud auxilium, quod contra efficax dividitur:* quod & fatetur prælaudatus Thomas De-Lemos eodem lib. 4. Tract. 3. cap. 2. pag. 38. hiſce verbis: *Aliqui ex diſcipulis S. Thomæ in iſta materiæ ſatis periti arbitrantur minus congrue auxilium illud, quod dividitur contra efficax, vocari ſufficiens.*

Tourn. pag. 544. & 545. edit. Venet.

Thom. De Lemos to. 4. p. 2. tract. 2. pag. 23. & ſeqq.

XVI. Laudavi in Opere de Theologicis diſciplinis etiam Franciſcum Cumel, (nam de Cardinali Noriſio dictum ſatis) qui tom. 3. Variarum diſp. d. 4. ſect. 1. tametſi admittit gratiam *ſufficientem* diſtinctam ab efficaci, quemadmodum admittunt Catholici omnes, ſcribit tamen: *Qui caret efficacitate auxilii gratiæ Dei, non habet omnino immediatam, & proximiorem virtutem, & potentiam ad operandum, quia hanc præſtat efficax Dei gratia; ſufficiens vero auxilium præſtat quidem vim potentiæ, non quidem omnino proximam cum ultima actualitate, ſed minus proximam, & quaſi mediatam, vel minus immediatam, & incompletam, ſeu inadæquatam.* Et ſectione ſecunda concl. 1. pag. 64. animadvertit ſe loqui de Gratia *Theologice*, non *grammaticaliter* ſufficiente; quoniam, *Auxilium gratiæ Dei, quod appellatur ſufficiens, non vocatur ſufficiens ex eo, quaſi ipſum ſolum ſit ſatis ad actu habendam illam operationem, ad quam ultimo ordinatur, quaſi non ſit aliquid aliud neceſſarium, niſi quod non ponatur impedimentum.* Idem prorſus nos tradidimus Tom. 3. pag. 342. de gratia ſufficiente differentes, & ſenſum *grammaticalem* diſtinguentes *a Theologico*; ubi ſcripſimus quæſtionem eſſe *grammaticalem*, an gratia *ſufficiens* Thomiſtico ſenſu ſit vere & proprie *ſufficiens*, in ſenſu Thomiſtarum vocabulum *ſufficientis* maxime nobis probari, at ſolam gratiam *efficacem* eſſe *proxime ſufficientem*, *ſi gratia ſufficiens accipiatur, quatenus cum illa poteſt poni actus abſque gratia validiori*; juxta hanc rationem dicendam, ſi daretur, *ſufficientem gratiam*, quam propugnant Moliniſtæ: Thomiſtarum tamen complures docere per gratiam ſufficientem potentiam reddi *completam*; mea denique nihil referre, utrum gratiam, quæ diſtinguitur ab efficaci, dixeris aut *inefficacem*, aut *ſufficientem*. Vide, num hæc litteris conſignaverim, & miraberis temeritatem eorum, qui me auſi ſunt Janſenianis adnumerare, quod dixerim gratiam *ſufficientem* non tribuere *potentiam proxime completam*; & ſi *grammaticalem* ſignificationem attendamus, *inefficacem* potius, quam *ſufficientem* eſſe appellandam.

Cumel tom. 3. pag. 58. & 59.

XVII. Quid nunc adverſarii noſtri dicturi ſunt de Thomiſtis, quos Joannes Gonzales, & Thomas de Lemos *doctiſſimos*, atque in his controverſiis *ſatis peritos* appellant? Quid de Henrico Cardinali Noriſio, & de Franciſco Cumel, quorum & ſententias & verba caute prudenterque uſurpavimus? Quid demum de Lauræa, aliiſque, quos non legulejorum more, ſed poſt accuratam aſſiduamque lectionem produximus? Et quidem Cardinalis de Lauræa, ut ad hunc pertranſeat diſſertatio, Opuſculo 3. cap. 4. num. 83. inquit: *Adv. quod verbum* ſufficit, *tam apud Grammaticos, quam apud ſcriptores prophanos, immo & ſacros, ſignificat verbum impoſitum ad oſtendendum aliquid idoneum, & aptum ad ponendum effectum aliquem in eſſe reali, & ſignificat idem, ac* ſatis eſt *ad faciendum.* Id- *Pag. edit. Rom. 357. &* eoque ſæpe cum aliis viris doctis miratus ſum, cur Theologi moderni gratiam illam divinam, qua homo vocatur, *358.* excitatur, illuminatur, & inſpiratur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cœperunt ſufficientem, *ad diſtinctionem efficacis, quæ ſemper habet annexum effectum, cum ſatis non ſit ad eum ponendum, ſicut efficax, quæ in rigore dici deberet* SUFFICIENS: & cap. 18. pag. 519. ubi de gratia *ſufficiente* prolixius pertractat, ait dari quidem iſtiuſmodi gratiam Theologico ſenſu *ſufficientem*, at non obvio & *grammaticali*; ſiquidem hoc vocabulum *ſufficiens* grammaticaliter ſumptum *ſignificat rem aliquam non indigentem aliquo alio in ſuo genere ad effectum aliquem producendum.*

P. Macedo pag. 313.

XVIII. Franciſcus Macedo, quem proxime laudavi, in *Cortina* ad hunc modum loquitur: *Illud auxilium abſolute, ut in ſe, ſufficiens eſt; cum eo enim voluntas, ſi expedita eſſet, poſſet operari: per accidens tamen non eſt ſatis, quia ſuppoſito ſtatu & impedimentis potentiæ majorem requirit virtutem, & intenſionem ad expediendam, applicandamque voluntatem. Ideo ſemper malui hujuſmodi auxilium* inefficax, *quam* ſufficiens *appellare.* In *Scinio* item cap. 8. hæc ſcribit: *Ego ſemper malui tum in* Cortina, *tum ſuperiori libro hujuſmodi auxilium* inefficax, *quam* ſufficiens *appellare:* & rurſus eodem capite: *Adjutorium illud* ſine quo non *inveniri in ſtatu naturæ lapſæ, ſed mutatum, deflexumque: atque adeo multo minus, quam tunc, ſufficiens; nam tunc ſatis eſſet omnino ex integro ad recte operandum, & perſeverandum nullo alio addito, ſed tantum concurſu voluntatis ſanæ, & ſanctæ, & integræ. At nunc illud non omnino & ex integro ſufficere propter infirmitatem, & vitia, & corruptionem naturæ, niſi per novam virtutem augeatur & creſcat, ſine qua eſt tantum remote & inchoate ſufficiens, non proxime, & perfecte ſufficiens. Quæ quidem eſt ipſiſſima Auguſtini, uti nos ex eo diſcendo accepimus, doctrina.* Et paucis interjectis: *Sin aliter judicant, & illud tantum auxilium* ſufficiens *dicunt, quod Suarius completum & integrum & proximum vocat, uti video recentioris nominis Theologos dicere, Auguſtinum certe ejus ſententiæ auctorem non habent: cum illud ipſum auxilium efficax ſit atque adeo inducens opus, &c.* Itidem Macedo eodem capite: *Auguſtinus auxilium ſufficiens* Efficax *dicit, cum proxime ſufficiens eſt, imo non putat ſufficiens, quod non habet effectum: & quidem meo judicio recte, nam ſi ſufficit, & datur ut ſufficiat, cur non efficiet id, propter quod datur? quod ſi non efficit, profecto non ſufficit. Nec ſolus Auguſtinus, ſed etiam alii Patres auxilium, quod Scholaſtici efficax vocant, ſufficiens appellant: ut obſervat Vaſquez, & probat ex Proſpero, in 1. 2. diſp. 185. cap. 11. nu. 55.* Hæc Macedo, qui adverſus Janſenium ſtrenue certavit, nobiſque patronum alium nunc exhibet, cui adverſarii noſtri obmuteſcentes aſſurgent, ſcilicet, Gabrielem Vaſquez fideliſſime a ſe citatum.

Scrin. pag. 81. 86. 90. 91.

Vaſquez tom. 1. in 1. 2. pag. 274. edit. Lugdun.

XIX. Sacra demum Academia Lovanienſis in *Juſtificatione* Cenſuræ ſuæ edita anno 1588. num. 177. inquit: *Addimus & hoc, qualecunque ſubſidium, quod aliquando ſubminiſtrari dicitur in iis, qui neque credunt, neque converteruntur ad Dominum, non fuiſſe ſufficiens ad fidem aut converſionem. Quippe gratia ad converſionem ſufficiens ipſa convertit, quæ vero non convertit, non ſufficit. Quod vel ex eo ſatis elucet, quia pro quolibet non converſo orandum eſſe putet Eccleſia, ut convertatur. Ea eſt gratia, quam petimus deprecantes, Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam a nobis:* & infra pag. 140. *Docet Auguſtinus Chriſti gratiam ſufficienter præparantem non illuminare tantum, ſuadere, excitare, pulſare, quæ omnia & Pelagius agnoſcebat, ſed ipſam quoque corrigere infidelitatem, ac donare fi-*

Juſtif. edit. Pariſienſ. pag. 119. & ſeq.

dem,

dem, cordisque converſionem. In hac ergo *Juſtificatione* die 17. Auguſti prædicti anni 1588. probata omnium Sacræ Facultatis Doctorum concordi judicio, ut conſtat ex pag. 159. apertiſſime traditur illam tantum gratiam eſſe *ſufficientem*, ſive *ſufficienter præparantem*, quæ *convertit*, donatque cordis *converſionem*, gratiam ſcilicet efficacem. Demonſtratum eſt itaque gratiam *ſufficientem*, prout ab *efficaci* diſtinguitur, etſi illius nomen retinendum ſit, reipſa *inefficacem* potius eſſe, quam *ſufficientem*; ſi tamen gratiæ *ſufficientis* nomine eam intelligas, quæ ex parte principii nullum aliud auxilium requirit, ut liberum arbitrium prodeat in actum. Demonſtratum eſt, eum gratia, quæ non ſit delectatio victrix, adjutorium *Quo*, & auxilium *efficax*, haberi quidem potentiam, ſed non ita *completam*, ut poſſit ponere actum ſine gratia ipſa victrice, ſive potentiam ab omni impedimento expeditam, nulloque alio adjutorio indigentem, ut exeat in actum. Demonſtratum eſt, quod tunc delectatio eſt *victrix*, & auxilium efficax, quando robuſtiori inſpiratione ſanctæ dilectionis vincitur prava cupiditas, & carnis concupiſcentia: atque hæc tria aſſerta clariſſimorum Theologorum Auguſtinenſium, Thomiſtarum, Scotiſtarum, Mediſtarumque teſtimoniis, argumentis, & auctoritatibus tradita, probata, & confirmata fuere, ideoque aut inſigniter malevoli, aut omnino imperiti ſunt, quicunque ob tres illas aſſertiones Opera noſtra Theologica ſcatere Janſenianis hæreſibus pronuntiarunt. *Unde ergo* (abſolvam hoc paradigma, ſive hanc noſtræ cum doctrina aliorum Catholicorum comparationem, verbis Proſperi Aquitani) *unde ergo hæc diligentia tam ſeveri emerſit examinis? Unde in hanc auctoritatem ſupercilio ſe tetricæ frontis armavit, ut menſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioſus ſcrutator eventilet, magnumque ſe aliquid conficere præſumat, ſi Catholico prædicatori notam erroris affigat? Quaſi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit impetatur, ac non illa his morſibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis eliſit?* doctrina ſcilicet Auguſtini, quam eamdem eſſe ac noſtram tot, tantique viri ſuperius commemorati fatentur.

S. Proſp. lib. contra Collator. n. 2. in Append. tom. x. Oper. S. Auguſtini pag. 171.

§. III.

Traditur Janſenianæ hæreſeos duplex character.

IN quo ergo ſita eſt Janſeniana hæreſis, ſi ea minime conſiſtit in tribus illis capitibus ſuperius vindicatis? In aliis proculdubio, ac præſertim in his duobus, quod in præſenti infirmitatis humanæ ſtatu Janſenius neque libertatem *indifferentiæ*, neque aliud gratiæ adjutorium, quam *efficax*, ſive cum effectu conjunctum, agnoverit: id vero, etſi perſpicuum eſt ex propoſitionibus in ipſo Janſenio damnatis; magis tamen ex his, quæ ſubjiciam, deprehendi poterit.

I. Revera ſi Janſeniana hæreſis minime continetur in iis articulis, qui in anteceſſum fuerunt diſcuſſi; in quo ſita erit, niſi in duobus hiſce capitibus nuperrime commemoratis, in quorum uno tollitur e medio *libertas*, in altero autem denegatur gratia *ſufficiens* ab efficaci diſtincta? Sane hæc duo aſſerta, vere hæretica, erronea, atque antea in Calvino damnata, in Janſenianis propoſitionibus enunciantur; de illis autem prioribus, ſeu in iiſdem propoſitionibus, ſeu in Theologorum cenſuris, quæ illarum damnationem præceſſerunt, nulla fit mentio, nullumque adinvenitur veſtigium. Præterea in ſyſtemate duarum delectationum, prout traditur a Janſenio, & a nobis deſcriptum eſt libro XVII. cap. 1. verbis ipſius Janſenii, non ſolum habetur gratiam eſſe inſpirationem dilectionis, gratia efficaci inſpirari delectationem victricem, pugnam eſſe concupiſcentiam inter & gratiam: verum etiam delectationem eſſe vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter ligatur & continetur, ut quandiu iſto conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem; atque gratiam & opus bonum ita reciprocari, ut quemadmodum ex gratia data infertur effectum mox conſecuturum eſſe, ita vice verſa ex defectu operis inferatur gratiam non fuiſſe collatam. Ex quibus aſſertionibus quæ priori loco recenſentur, & quæ ſpectant ad gratiæ inſpirationem, ad delectationem victricem, atque ad pugnam concupiſcentiæ, ab Orthodoxis traduntur, & propugnantur: quæ vero attinent ad libertatis vinculum, & ad denegationem gratiæ ſufficientis & inefficacis, ab omnibus Catholicis refelluntur; ideoque in ſyſtemate duarum delectationum hæc poſtrema & Janſenii propria, non priora illa & Orthodoxis communia, damnata & proſcripta cenſeri debent: qui vero hæc poſtrema & Janſenii propria rejicit & damnat, nequit ob ea, quæ etiam a Catholicis defenduntur, appellari Janſenianus.

Tom. 3. pag. 316.

II. Ut id luculentius pateat, per ipſa Janſenii ſcripta aliquantulum divagemur, & loca ejus aliquot, quæ ad gratiam & liberum arbitrium attinent, exſcribamus. In libro 6. de Gratia, qui eſt primus de libero arbitrio, cap. 6. ait juxta Auguſtinum duplicem reperiri neceſſitatem, *unam quæ operatur effectum ſuum etſi nolis, ſeu quantumcunque renitaris; altera, qua ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine reniſu voluntatis*; ad quam diſtinctionem, quæ vera eſt, ſed non adæquata neceſſitatis partitio, explicandam, quibuſdam ex Auguſtino recitatis verbis, *Doctrina igitur Auguſtini eſt*, inquit, *neceſſitatem illam primam prout etiam naturam ſic explicatam complectitur, nec aliud eſt reſpectu voluntatis, quam quædam vis aut violentia aut coactio, qua operatur id quod poteſt etiam nolente voluntate, capitaliter repugnare libertati, eamque funditus perimere, non autem illam neceſſitatem, quæ eſt ſimul voluntaria, qua ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate*. Hinc infert, *quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem*; & quod neceſſitas illa, *qua ſine coactione ſimpliciter aliquid neceſſarium eſſe dicitur, libertatem non lædat, ſed potius hoc ipſo, quod voluntatem affert, ſtatuat*. Proximo cap. 7. pergit idem oſtendere duobus exemplis; *primo ex voluntate beatitudinis, quæ in hac vita caret indifferentia contrarietatis, in futura etiam contradictionis; ſecundo ex voluntate juſtitiæ, quam habet Deus, quam certiſſimum eſt eſſe ad juſtitiam omnimodo determinatam, & indifferentia carere contradictionis*. Huc etiam refert doctrinam Scoti ſcribentis in fine Quodlibeti 16. Deum permanere *libere bonum*, quoniam *propria voluntate* bonus eſt, non extrinſecus adveniente neceſſitate, aut aliena & violenta oppreſſione. Id confirmat 8. cap. ex libertate beatorum hominum & Angelorum, qui *inamiſſibiliter & inſeparabiliter amant juſtitiam*, neque ab amore Dei ceſſare poſſunt, & nihilominus ſunt in amando liberrimi; unde Janſenius infert, *paradoxum in Auguſtini doctrina inauditum eſſe, quod actus aliquis voluntatis propterea liber ſit, quia ab illo deſiſtere voluntas, & non agere poteſt*; & rationem libertatis, quam Auguſtinus tradit, tantum diſtare a libertate indifferentiæ, quam propugnant Scholaſtici, *quantum arcticus polus* diſtans eſt *ab antarctico*. Nono capite eadem adſtruere nititur ex libertate Chriſti Domini, cujus voluntas liberrima fuit, etſi *in contrarium non poterat immutari, nec a deteſtanda iniquitate ceſſare*; additque Janſenius hac tantum libertate, quæ ſolam coactionem excludit, Chriſtum Dominum præcepto Patris obtemperaſſe, & illud compleſſe, Auguſtinum vero toties a Pelagianis de libertate laceſſitum, *nullam vel tenuem umbram* in tot ſcriptis ſuis reliquiſſe, *quod libertas arbitrii in indifferentia collocanda ſit*, ac ſumma facilitate libertatem Chriſti & beatorum expedire, *ſub cujus premente mole tota Scholaſticorum multitudo fatigata ſuſpirat*. Ad ſtatuendam hanc ſolam libertatem, cui nihil repugnet præterquam neceſſitas coactionis, & violentia, toto eo libro ad paginam uſque 731. omnem ingenii ſui molem, niſumque Janſenius admovit. Libro autem ſeptimo, qui eſt ſecundus de libero arbitrio, præmiſſam de libertate notionem applicat doctrinæ ſuæ circa gratiam efficacem, ſeu victricem delectationem; ac demonſtrare nititur, idcirco hanc non officere libertati, quoniam ſi *voluntatem* inſpirat & efficit, etiam facit ut *libere velit*, cum nihil aliud ſit libertas, quam voluntas: *Cum enim* (inquit cap. 3.) *hoc ſit liberum Auguſtino, quod eſt in poteſtate, ſeu quod fit cum volumus, neceſſum eſt illud ipſum, quod arbitrio volendi nolendique cauſa fuerit, etiam cauſam eſſe libertatis*. Hinc ait fieri *libere* quidquid fit *cum delectatione*, quoniam delectatio voluntatem demulcet, immo delectatione ipſa voluntas fit libera, ideoque *libertati arbitrii ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium, ſeu ſpontaneum, hoc ipſo eſſe liberum*. Innixus his principiis Janſenius rejicit ſententiam Scholaſticorum affirmantium libertatem exerceri in electione mediorum; & contra ipſe contendit magis eluceſcere libertatem in appetitione finis, quoniam *cum maxime ſit liberum quod minime coactum, ſeu vi neceſſitatis exactum eſt, neceſſe eſt motum in finem eſſe maxime liberum, quia maxima voluntate, minima neceſſitate provocatum*. Ulterius progreditur, & cap. 14. ejuſdem libri affirmat, quod, *ſi non eſt alia libertas vera voluntatis, quam agendi & non agendi, ſeu faciendi, & abſtinendi ab eo quod facis, graviſſima abſurda evitari nequeunt, quibus non ſolum tota doctrina Sancti Auguſtini funditus concutitur, ſed etiam ſenſus Chriſtianæ pietatis læditur, & communis offenditur*. Infinitus forem, ſi omnia hujus generis loca ex Janſeniano Opere vellem exſcribere. At ſatis ſuperque hæc pauca demonſtrant, Janſenium in delectatione victrici

Jan. edit. Lovanii pag. 628 632. cap. 6.

Cap. 7. pag. 635.

Pag. 637.

Cap. 8. pag. 639.

Pag. 646.

Pag. 647. Cap. 9. eadem pag. 647.

Pag. 649.

Lib. 7. cap. 3. pag. 739.

Cap. 4. pag. 472.

Cap. 14. pag. 798.

ctrici ſolam *libertatem ſpontaneitatis ac lubentiæ* agnoviſſe, libertati *coactionem* ſolam, non vero *neceſſitatem* oppoſuiſſe, libertatem indifferentiæ tanquam paradoxum, & tanquam Pelagianum commentum rejeciſſe; nullam denique ab ipſo libertatem admitti ſub gratia, ſanctam delectationem inſpirante, præter libertatem illam, qua voluntas fertur in finem, qua homo appetit beatitudinem, qua Deus permanet bonus, qua beatorum ſpiritus maxima jucunditate ac voluptate adhærent ſummo Bono clare viſo, qua Chriſtus Patrem diligebat, qua (verbo dicam) volentes agimus, non coacti. Hanc eſſe hæreſim Janſenianam circa libertatem ſub gratia dixi ubicunque de hac re inſtitui ſermonem, præſertim libro IV. cap. 13. lib. V. cap. 3. lib. 10. cap. 13. libro 12. cap. 10. lib. 14. cap. 8. & 11. lib. 17. cap. 1. & 3. atque alibi paſſim, atque hoc idem Janſenianum dogma ab Eccleſia jure meritoque damnatum prolixa diſſertatione refutavi libro 16. cap. 2. & 3. ſive tom. 3. a pag. 265. uſque ad pag. 299. ubi prædicta, aliaque omnia Janſenii ſophiſmata rejecta & eliſa fuere. Quare in iis, quæ ad libertatem ſpectant, & perſpicue Janſenianam hæreſim explicavimus, & valide etiam, pro noſtra ſaltem virili, confutare & oppugnare ſtuduimus: obſecramuſque ingenuum lectorem, ut præcitata loca legere non gravetur, ac deinde de noſtra diligentia, fide, & perpetua a Janſenio diſcrepantia judicium ferat, ſimulque propriis oculis intueatur, quænam ſit in adverſariis noſtris æquitas, quænam doctrina, quodnam criterium.

Tom. 1. pag. 379. & 406. tom. 2. pag. 307. tom. 3. pag. 156. 197. 201. 316. 343.

III. Æque manifeſtum eſt alterum Janſenianæ hæreſis caput, in eo poſitum, quod Janſenius negat dari gratiam *ſufficientem* diſtinctam ab ea, quæ eſt *efficax*, & conjuncta cum actu: immo gratiam illam inutilem, monſtruoſam, a Semipelagianis confictam, atque Auguſtino, aliiſque Patribus ignotam auſus eſt appellare. Janſenius etenim lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 1. inquit: *Sufficientem illam gratiam, quam Scholaſtici multi in Theologiam velut adjutorium Salvatoris intulerunt, ab Auguſtino deſtructam, funditusque everſam eſſe, libens fateor.* Et quamvis eo loci videatur loqui duntaxat de Gratia *Moliniſtice ſufficiente*, de ea ſcilicet, qua poſita nihil aliud requiritur ex parte Dei *per modum principii*, ut homo actu velit, & operetur, quam utique gratiam ſufficientem nequeunt admittere quotquot ad actu operandum neceſſarium ulterius putant auxilium efficax; & quamvis affirmet dogmatiſta ſe controverſiam non agere de illa gratia ſufficiente, ut a quibuſdam dicitur, præter quam adhuc neceſſarium eſt aliud adjutorium, ut homo de facto operetur, qualis eſt in hoc ſtatu adjutorium *ſine quo non*, & gratia ſufficiens ſenſu Thomiſtico; nihilominus hanc ipſam gratiam in hoc infirmitatis ſtatu penitus e medio tollit. Id primum evidens eſt ex ſecunda Janſeniana, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, quæ aperte excludit omnem gratiam ſufficientem, ſenſu quoque Thomiſtico, ut oſtendam infra §. v. num. 3. & 4. Deinde excludi a Janſenio quamcumque ſufficientem gratiam ab efficaci diſtinctam demonſtrant innumeris Janſenii teſtimoniis productis Antijanſeniani omnes Theologi, quibus adde librum inſcriptum *Triumphus Catholicæ Veritatis*, editum Pariſiis anno 1651. necnon *Memorias Hiſtorico-dogmaticas* tom. 2. ad an. 1653. pag. 303. & ſeq. ubi narratur, & evincitur gratiam omnem ſufficientem, quæ non ſit efficax, a Janſenianis derideri & explodi. Et quidem Janſenius lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 2. pertractans de Gratia, quæ diſtinguitur a Gratia efficaci dante *poſſe*, & *ſimul velle quod poſſumus*, quæ utique eſt gratia ſufficiens juxta Thomiſticam Scholam, (ſufficiens enim Moliniſtice dat etiam velle & operari abſque efficacis gratiæ adjutorio) gratiam illam ab efficaci diſtinctam appellare non veretur *inutilem ac perniciosam* affirmans non apparere in ejuſdem gratiæ collatione *effuſam Dei bonitatem*, *ſed ſummam potius ſeveritatem ejus*. Ad hæc proximo cap. 3. ait gratiam omnem, quæ ſuo fruſtratur effectu, in Scholis adſtrui *non ſine inſigni abſurditate*: & ne in re extra controverſiam poſita conteram tempus, Janſenius lib. 2. cap. 27. negat apertiſſime dari aliam Chriſti gratiam, præter efficacem ac potentiſſimam. *Quicunque* (en ejus verba) *animadvertit omnia, quæ de adjutorio gratiæ medicinalis ex Auguſtino diximus, de gratia quadam potentiſſima, quam efficacem recentiores ſuo ſenſu vocant, eſſe intelligenda, conſequenter hoc etiam animadvertere debet, non aliam Chriſti gratiam medicinalem in ſcriptis ejus reperiri. Proinde fatendum ſibi eſſe, quod aliam nobis procudendo, novum gratiæ genus Chriſtianis afferat, quod nec Auguſtinus, nec ullus Latinorum Patrum, qui de Gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex profeſſo decertarunt, nec Eccleſia in Conciliis generalibus vel provincialibus ab Apoſtolica Sede probatis agnovit unquam, nec agnoſcere potuit, niſi principia, quibus ipſa per antiquos Patres medicinalem Chriſti gratiam defendit, funditus evertantur.* Quum itaque hæc ſit Janſenianæ hæreſeos pars altera, nullam dari Chriſti gratiam, præter efficacem, a Janſenio longiſſime diſtare cenſendi ſunt, qui propugnant gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam; quemadmodum nos, quidquid obganniat conviciator, lib. 14. 17. 18. aliiſque in locis innumeris propugnavimus.

Janſ. lib. 3. de Grat. Chr. cap. 1. pag. 249.

Cap. 2. pag. 257.

Cap. 3. col. 259.

Lib. 2. col. 213.

IV. Ad duo præcedentia capita revocandam Janſenianam hæreſim clariſſimi Theologi docuerunt. Legatur ex Jeſuitis Stephanus Dechamps diſp. 3. cap. 1. num. 3. & 4. ubi ait: *Hinc conſtat Janſenianæ doctrinæ capita eſſe duo, &c.* quorum caput primum productis Janſenii verbis in hoc ſitum eſſe concludit, quod Janſenius innocenti tantum creaturæ tribuerit libertatem indifferentiæ, ſive, ut inquit Dechamps, *Quod vulgo jactatur, voluntas gratiæ aſſentiri poteſt vel diſſentiri.* Aliud vero inſolentis doctrinæ caput, & quod a communi ſenſu abhorret magis, & Concilii Tridentini decreta aperte convellit, in eo poſitum eſt, quod Janſenius docuerit non eſſe Chriſti gratiam, *cui voluntas aſſentiatur ut velit, & non aſſentiatur ſi nolit, ſed quæ volendi & aſſentiendi neceſſitatem imponat.* Quæ a Stephano Dechamps veriſſime dicta eſſe conſtat ex præcedentibus. Similia docent illi, qui adverſus Janſenium ſcripſerunt, ut ex Noſtratibus Philippus Van-Waure in Opere inſcripto, *Auguſtinus Europæus*. pag. 290. 291. 327. ex Prædicatorum familia Antoninus Maſſouliè tom. 2. pag. 362. col. 2. & pag. 372. col. 1. Cardinalis Gotti tom. 9. pag. 5. aliique permulti.

V. de Th. diſc. l. 14. c. 8. p. 147. 148. 149. 160. 161. l. 17. c. 3. p. 340. 343. l. 18. c. 8. p. 440. 446. 450. 459. &c. Steph. Dechamps lib. 1. diſput. 3. pag. 47. edit. Paris.

V. Hinc apparet Janſenianam hæreſim in iis præſertim, quæ ad gratiam & libertatem attinent, a Calviniana parum, aut nihil differre: quod ego probe, ni fallor, intelligens utramque ſimul refutandam eſſe putavi, ut conſtat ex libro 16. *Theologicarum diſciplinarum*; tametſi contra Janſenium rurſus ſtylum exercui. Revera hæreſiarcha Calvinus nullam aliam libertatem agnovit, niſi quæ opponitur *coactioni*, ut inquit lib. 1. Inſtitut. cap. 15. lib. 2. adverſus Pigh. in Antidoto Concil. Trid. ad can. 5. ſeſſ. 6. atque in locis aliis, quæ cum Janſenianis diligenter comparavit Franciſcus Annatus: qui tamen Janſenianos appellans qui tribuunt potentiam *proximam* gratiæ efficaci, hanc calumniam Theologis Orthodoxis, inter quos Suareſius, impingit. Vide præcedenti §. num. 9. & ſeq. Atque hoc eſt, quod ſummopere etiam in Adverſariis noſtris miramur, Catholicorum nempe ſententias incaute permiſcuiſſe damnatis, nimiamque ſuarum partium Theologis fidem adhibentes, in heterodoxos ſimul & Catholicos tela vibraſſe, atque excitatis inter nos diſſidiis Novatorum pervicaciæ, quæ firmiſſimis principiis, non dubiis Scholaſticorum placitis frangenda eſt, ſcandalum, & ridendi materiam exhibuiſſe. At revertamur ad Calvinum, qui etiam *ſufficientem* gratiam ab efficaci diſtinctam cum aliis noſtrorum temporum hæreticis infectatur, præſertim lib. 6. de libero arbitrio, lib. 2. Inſtit. cap. 3. num. 13. & aliis in locis, quæ lib. 1. diſp. VIII. Dechampſius late perſequitur. Et tamen in hac quoque Dechampſii diſſertatione temperamentum aliquod deſideratur; ea namque ſententia, quæ aſſerit *privari ſufficiente gratia eos, qui diuturna peccandi conſuetudine obduruerunt*, quam Stephanus cap. 6. num. 7. ejuſdem diſſert. vellicat tanquam a Janſenio traditam, atque a Calvino, & Davide Paræo hauſtam, cum certiſſime a Catholicorum plurimis teneatur, non debebat tali charactere depingi. Non enim omnia, quæ hæretici ſcripſerunt, ſunt hæretica, cujuſmodi hæretica ſunt illa duo liberteti, & gratiæ, cui reſiſtitur, adverſantia; in quibus Janſeniſtæ & Calviniani conſentiunt.

Annat. La Conduitte de l'Egliſe, Troiſieſme partie pag. 275. & ſeqq. Annat. 3 p. pag. 195.

Dechamps pag. 120. & ſeq.

Dechamps pag. 128.

VI. Sudarunt propterea Janſeniani, ut ſuam a Calvino diſcrepantiam circa illa duo capita ſuaderent, prout colligitur ex *Parallelo, ſeu comparatione S. Auguſtini, Janſenii, Calvini*, an. 1651. furtivis typis excuſo; quem librum editum arbitror a Liberto Fromondo Leodienſi. In eo autem libro nulla eſt Janſenianæ & Calvinianæ doctrinæ comparatio, niſi circa gratiam ſemper efficacem, & libertatem a ſola coactione immunem; unde magis, magiſque apparet, hæc potiſſimum duo Janſenianis crucem figere, atque hinc totum fere proſcriptum dogma manare.

Mſs. Bibl. Ang. Arch. ſecret. to. 38. pag. 530.

VII. Circa eadem tempora, anno ſcilicet 1652. & priuſquam ab Innocentio X. quinque Janſenii propoſitiones damnarentur (contigit enim hæc condemnatio die ultima Maji anno 1653.) prodiit Lutetiæ Pariſiorum liber inſcriptus „ La doctrine du Livre intitulé, *Cornelii Janſenii Iprenſis Auguſtinus* „ In eo libro quatuor primæ Janſenii propoſitiones conſimilibus propoſitionibus Calvini æquiparantur, ac decernitur in ſingulis eadem dogmata, eamdemque doctrinam contineri. Quænam vero eſt hæc doctrina? Illa

quidem, quæ docet liberum arbitrium adeo captivum esse, ut vel pondere concupiscentiæ, vel divinæ caritatis impulsu, simplici quadam necessitate ad bene, vel male agendum trahatur. „ Ces quatre Propos-
Pag. 33. tions des Calviniſtes (ita eo in libro legitur) cy deſſus ſont cenſurées par la Faculté de Theologie comme heretiques ; partant les quatre des Janſeniſtes, qui contiennent manifeſtement une meſme doctrine, ſont pareillement condamnées comme heretiques. La ſixieme Propoſition des Calviniſtes ; *que l' homme eſt comme captif, & qu' il ne peut rien du tout*, eſt la meſme Propoſition que la trois des Janſeniſtes, *que la liberté & la neceſſité s' accordent enſemble ; mais non pas la contrainte ;* d' autant que par le mot de captivité les Calviniſtes n' entendent *qu' une neceſſité ſimple* : c' eſt pourquoy ils diſent *que l' homme eſt comme captif* : ce qui fait voir qu' il n' entendent pas une captivité de contrainte, mais une captivité ſimple, qui eſt une neceſſité. Les termes de Janſenius, au tome 3. livre 1. chap. 4. *Captivitas arbitrii in eo ſita eſt, quod voluntas concupiſcentiæ terrenæ viſco intime penetrata, ſemper & in omni actu & motibus ejus feratur, & referatur, imperio ejus & ponderi ſerviens indeſinenter, eodem plane modo, quo voluntas beatorum in omnibus omnino motibus ſervit divinæ caritati* ; interpretent l' une, & l' autre des Calviniſtes, & la troiſiéme des Janſeniſtes ; & comme les quatre propoſitions, ſçavoir eſt la 6. la 11. 13. & 14. des Calviniſtes ſont une meſme choſe : pareillement les 2. 3. & 4. des Janſeniſtes ſont une meſme choſe, & ne ſont differentes qu' en termes „. Janſenianæ itaque propoſitiones ob ſenſum, quem continent, Calvini libertatem indifferentiæ negantis, & neceſſitatem arbitrii ad bonum, aut malum perpetrandum invincibili pondere inclinati adſtruentis, etiam antequam damnarentur ab Apoſtolica Sede, rejectæ fuerunt, ac reprobatæ, eumdemque ſenſum Apoſtolica Sedes confixit, ut ſequenti §. oſtendam.

VIII. Quoniam ex dictis evidens eſt, in eo ſitam hæreſim Janſenianam, quod ſub gratia efficaci ac victrici delectatione nullam aliam libertatem adſtruat, præter illam, quæ non patitur coactionem, qualis libertas reperitur in voluntate beatorum Deo jucundiſſima neceſſitate adhærentium ; quod recte ante condemnationem quinque Propoſitionum Pariſienſes animadverterant, ego vero hactenus ſatis ſuperque demonſtravi : neceſſaria conſecutione infertur illis per ſummam calumniam dogma Janſenianum objici & imputari, qui ſub quocunque aut concupiſcentiæ, aut ſanctæ delectationis gradu *libertatem indifferentiæ* propugnant. Id a nobis præſtari neque injuſtus Conviciator negare audet : ſed cum omnia fraude ac malitia dici confidentiſſime aſſerat ; noſtrum de libertate ſyſtema, & quomodo liberum arbitrium cum gratia conciliare ſtuduimus, benigno lectori audire non pigeat. Egimus de libertate, ejuſque eſſentia pluribus in locis, quæ laudavimus 2. numero hujus paragraphi ; ſed unum tantummodo nunc expendam : ubique enim eadem conſtantiſſime tradita ſunt. Vide ergo quæ ha-
Tom. 2. pag. 506. & ſeq. bentur lib. XII. cap. 10. Primum eo loci de iis, quæ ad arbitrium conſtituendum concurrunt, ita loquor : *Conſtituitur ergo libertas voluntate, & ratione, non tamen ex æquo, ſed voluntas eſt ipſa poteſtas, quæ poteſt in utramlibet partem inclinari : ratio autem vis intelligendi, qua voluntati objectum proponitur, & ſine qua non poteſt in bonum libera deliberatione propendere. Etenim ut Auguſtinus ait in* VIII. *de Trinit. cap.* 4. *Nemo amare poteſt incognitum*. Hæc doctrina eſt S. Thomæ 1. p. q. 83. art. 3. & 4. & 1. 2. q. 1. art. 1. ubi ait : *Eſt autem homo dominus ſuorum actuum per rationem & voluntatem ; unde liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis & rationis* ; item 2. 2. q. 24. art. 1. ad 3. rurſus de malo q. 6. art. 1. necnon q. 24. de veritate art. 5. nec arbitror quempiam ratione præditum reperiri, qui id vertat in dubium.

To. X. pag. 277. to. XI. pag. 1. 2. tom. XI. p. 2. pag. 56. tom. VIII. pag. 139. 2. ibid. pag. 446.

Hinc infero, abſque ratione non dari libertatem, ſiquidem *ea propenſio, qua natura quælibet fertur in bonum abſque ductu rationis, non poteſt opus voluntatis appellari, alioqui prædita forent arbitrio etiam animalia bruta, & creaturæ reliquæ, in quibus philoſophi plures appetitum quemdam conſtituunt ſenſitivum, aut naturalem*. Atque hæc pariter eſt doctrina extra controverſiam poſita, ac tradita a S. Thoma citata quæſt. de verit. art. 2. ubi ait : *Secundum quod aliquid ſe habet ad rationem, ſic ſe habet ad liberum arbitrium. Ratio autem plene & perfecte invenitur ſolum in homine, unde in eo ſolum liberum arbitrium plenarie invenitur. Bruta autem habent aliquam ſimilitudinem rationis*, &c. Similia docet S. Thomas 1. p. q. 19. art. 1. & 1. 2. q. 1. art. 2. ad 3. & alibi.

Tom. VIII. pag. 444. to. X. pag. 45. 2. tom. XI. pag. 2. 2.

Profequor ego ita ſcribens : *Profecto in ratione liberum arbitrium conſiſtere nequit* formaliter : *cum non ſit in noſtra poteſtate objecta percipere & cogitare ; alias peccaret quiſquis ante conſenſum voluntatis, dum mentem ſubit cogitatio aliqua falſa & perverſa, nec ulla daretur ignorantia, quæ a peccato excuſaret, quandoquidem eſſet in poteſtate hominis ipſamet ignoratio. Quapropter S. P. Auguſtinus in lib. de Sp. & lit. cap.* 34. *ait :* „ *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem ; ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt* „. *Ex quibus ſatis revincitur error Durandi ſtatuentis in* 2. *diſt.* 24. *naturam libertatis tam in voluntate, quam in ratione*. Hæc pariter conſonant S. Thomæ, qui 1. p. q. 83. art. 4. docet *liberum arbitrium nihil eſſe aliud, quam voluntatem, ad quam pertinet electio* ; & 1. 2. q. 13. art. 1. demonſtrat ad voluntatem, judicio quidem intellectus præeunte, *ſpectare electionem*. Prima etiam parte q. 79. art. 2. ait intellectum creatum eſſe *potentiam paſſivam, quoniam comparatur ad intelligibilia, ſicut potentia ad actum*, &c.

To. X. pag. 277. 2. tom. XI. pag. 31. 1.

Hæc deinde trado litteris : *Cum itaque ratio motum voluntatis præcedat ; in illius judicio radicem, ut inquiunt Scholæ, liberi arbitrii ſtatuunt jure ac merito docti celebreſque Theologi*. Inter quos principem tenet locum S. Thomas, cujus 1. p. q. 83. art. 1. hæc ſunt verba : *Conſiderandum eſt quod quædam agunt abſque judicio, ſicut lapis movetur deorſum, & ſimiliter omnia cognitione carentia. Quædam autem agunt judicio, ſed non libero, ſicut animalia bruta. Judicat enim ovis videns lupum eum eſſe fugiendum naturali judicio, & non libero, quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc judicat : & ſimile eſt de quolibet judicio brutorum animalium. Sed homo agit judicio, quia per vim cognoſcitivam judicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum. Sed judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis ; ideo agit libero arbitrio, potens in diverſa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppoſita, ut patet in dialecticis ſyllogiſmis, & rhetoricis perſuaſionibus. Particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia, & ideo circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum. Et pro tanto neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo quod rationalis eſt*. Et 1. 2. q. 13. art. 1. *Manifeſtum eſt, quod ratio quodammodo voluntatem præcedit, & ordinat actum ejus, in quantum ſcilicet voluntas in ſuum objectum tendit ſecundum ordinem rationis*.

To. X. pag. 260. To. X. pag. 276. To. XI. pag. 31. 2.

Affirmo præterea, judicium illud, quo intellectus fertur in prima principia, cum naturale ſit, & circa neceſſaria, non circa contingentia verſetur, ac motum naturalis inſtinctus, quo voluntas judicio illo rapitur in bonum in communi, necnon in Deum per lumen gloriæ viſum ut eſt in ſe, non ſufficere ad libertatem ; ſed ad hanc requiri judicium indifferens, cum quo ſtet in voluntate poteſtas motum illum cohibendi, ſive poteſtas agendi, vel non agendi ; *Et quoniam* (ita proſequor) *ad bonum in communi, & ad Deum in ſe viſum dari nequit indifferentia judicii, cum nulla in his apprehendi poſſit ſpecies mali, etſi voluntas in hujuſmodi objecta ſponte ac lubenter protendat ; non habet veram libertatem, quæ eſt poteſtas ad utrumlibet, nulla neceſſitate impellente ; neceſſario enim amatur, quod adeo apprehenditur, ut alio animus a vero, aut apparenti bono rapi non poſſit. Quæ ſatis lib.* IV. *cap. ultimo, & lib.* X. *cap.* 13. *ſunt explicata*. Ne quis autem hæc a mente Doctoris Angelici crederet aliena, mea prolixius explicata ſententia, hanc expono & confirmo his verbis depromptis ex 1. parte q. 82. art. 2. *Intellectus naturaliter ex neceſſitate inhæret primis principiis, & voluntas ultimo fini. Sunt autem quædam intelligibilia, quæ non habent neceſſariam connexionem ad prima principia ; ſicut contingentes propoſitiones, ad quarum remotionem non ſequitur remotio principiorum, & talibus non ex neceſſitate aſſentit intellectus. Quædam autem propoſitiones ſunt neceſſariæ, quæ habent connexionem neceſſariam cum primis principiis ; ſicut concluſiones demonſtrabiles, ad quarum remotionem ſequitur remotio primorum principiorum : & his intellectus ex neceſſitate aſſentit cognita neceſſaria connexione concluſionum ad principia per demonſtrationis deductionem. Non autem ex neceſſitate aſſentit, antequam hujuſmodi neceſſitatem concluſionis per demonſtrationem cognoſcat. Similiter etiam ex parte voluntatis. Sunt enim quædam particularia bona, quæ non habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quia ſine his poteſt aliquis eſſe beatus, & hujuſmodi voluntas non de neceſſitate inhæret. Sunt autem quædam habentia neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quibus ſcilicet homo Deo inhæret, in quo ſolo vera beatitudo conſiſtit. Sed tamen antequam per certitudinem divinæ viſionis neceſſitas hujuſmodi connexionis demonſtretur, voluntas non ex neceſſitate Deo inhæret, nec his quæ Dei ſunt. Sed voluntas videntis Deum per eſſentiam de neceſſitate inhæret Deo, ſicut nunc ex neceſſitate volumus eſſe beati*. Eadem tradit S. Thomas de malo quæſt. 6. ſive de electione humana ad 7. ubi hæc leguntur : *Ad 7. dicendum, quod activum non ex neceſſitate movet, niſi quando ſuperat virtutem paſſivi. Cum autem voluntas ſe habeat*

To. X. pag. 271. Tom. VIII. ſive in Quæſt. diſp. pag. 140.

beat in potentia respectu boni universalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis quasi ex necessitate ipsam movens, nisi id quod est secundum omnem considerationem bonum, & hoc solum est bonum perfectum, quod est beatitudo, quod voluntas non potest non velle, ita scilicet quod velit ejus oppositum, potest tamen non velle actu, quia potest avertere cogitationem beatitudinis in quantum movet intellectum ad suum actum, & quantum ad hoc nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult. Sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum a se repellere cum vellet. His cohærent quæ habentur quæst. 24. de veritate art. 7. ubi demonstrat liberum arbitrium nullo particulari bono necessitari, quoniam in hoc *differt natura rationalis prædita libero arbitrio ab omni alia natura; quod alia natura ordinatur ad aliquod particulare bonum, & actiones ejus sunt determinatæ respectu illius boni; natura vero rationalis ordinatur ad bonum simpliciter. Sicut enim verum absolute objectum est intellectus, ita & bonum absolute voluntatis: & inde est, quod ad ipsum universale bonorum principium voluntas se extendit, ad quod nullus alius appetitus pertingere potest, & propter hoc creatura rationalis non habet determinatas actiones, sed se habet sub quadam indifferentia respectu materialium actionum.* Eadem S. Thomas docet 1. 2. q. 10. art. 2. ubi quæstionem instituens, utrum voluntas moveatur de necessitate a suo objecto, *Si proponatur*, inquit, *voluntati aliquod objectum, quod sit universaliter bonum, & secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit, non autem poterit velle oppositum. Si autem proponatur sibi aliquod objectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuscunque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona, & secundum hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari a voluntate, quæ potest in idem ferri secundum diversas considerationes.* Sequitur immediate, oppositæ argumenta diluens: *Ad primum ergo dicendum, quod sufficiens motivum alicujus potentiæ, non est nisi objectum, quod totaliter habet rationem motivi; si autem in aliquo deficiat, non ex necessitate movebit, ut dictum est. Ad secundum dicendum, quod intellectus ex necessitate movetur a tali objecto, quod est semper, & ex necessitate verum; non autem ab eo, quod potest esse verum, & falsum, scilicet a contingenti, sicut & de bono dictum est. Ad tertium dicendum, quod finis ultimus ex necessitate movet voluntatem, quia est bonum perfectum; & similiter illa, quæ ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest, sicut esse, vivere, & hujusmodi. Alia vero, sine quibus finis haberi potest, non ex necessitate vult, qui vult finem: sicut conclusiones, sine quibus principia possunt esse vera, non ex necessitate credet, qui principia credit.* Perpetuo sibi constat S. Thomas, & proxima q. 13. art. 3. demonstrat *electionem* nullo modo esse circa finem, in quem voluntas naturali fertur instinctu, sed circa ea, quæ sunt ad finem, atque ita de actibus virtutum electionem dari, secus de beatitudine, ad quam *fines proprii virtutum ordinantur, sicut ad ultimum finem.* Videat, obsecro, lector, an a Sancti Thomæ doctrina, vel minimum discrepet regula, quam nos tradidimus lib. 4. cap. 13. conciliandi libertatem cum divinis prædefinitionibus, & cum gratia effectrice. Videat insuper, num eadem regula recte ne, an male usi fuerimus dirimentes lib. XIV. cap. 11. argumenta eorum, qui ipsam gratiam *per se* efficacem oppugnant. Videat quoque, num delectationi victrici lib. XVII. cap. 1. necessitatem, an potestatem reluctandi alligaverimus; nam quisquis hæc viderit, vehementer admiretur necessum est confidentissimi Anonymi mendacissimam garrulitatem, qua ad ravim usque clamat, nos ex Jansenianis scriptis vaferrime deprompsisse, quæ Jansenio dogmati e diametro sunt adversa, & quæ ex sancti Thomæ aurea doctrina, locisque nuper adductis, seria ponderatione a nobis semel, iterum, tertio, ac rursus fuerunt producta.

Tom. VIII. pag. 447.

Tom. XI. pag. 28.

Ibid. pag. 32. 2.

De Theolog. discipl. tom. 3. pag. 197. & pag. 317.

Verum ne ab illo decimo capite libri duodecimi recedamus; animadverto ibidem, Jansenium ceterosque novantes *voluntarium* & *liberum* permiscuisse, & ea, quæ voluntatis sunt, ut finis prosecutio, cum iis, quæ pertinent ad arbitrii libertatem, confudisse: *Ad Novatorum vitanda sophismata* (hæc mea verba sunt) *distinguendum accuratius est inter voluntarium & liberum, sive, ut recentiores quidam loquuntur, inter libertatem voluntatis & libertatem arbitrii: libertas enim voluntatis opponitur coactioni, libertas arbitrii adversatur necessitati, &c.* Id quoque acceperam a S. Thoma q. 24. de Veritate art. 1. ad 20. ubi inquit: *Habemus respectu ejus* (idest, finis ultimi) *liberam voluntatem, cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundum Augustinum 5. de Civit. Dei: non autem liberum judicium proprie loquendo, cum non cadat sub electione:* & 1. p. quæst. 82. art. 1. ad 1. ubi ait: *Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis, &c.* Nos ergo cum S. Thoma non solum libertatem *voluntatis* oppositam coactioni, sed etiam voluntatem *arbitrii*, ad quam requiruntur liberum judicium & electio, admittimus contra Jansenianos: de quorum allucinatione plura etiam diximus lib. 16. cap. 3. sive Tom. 3. pag. 288. & sequenti. Ex laudata nuper quæstione 82. primæ partis percipitur illud etiam, quod adversarii nostri ægre ferunt, ac se non capere ostendunt, quomodo scilicet sub delectatione victrici semper remaneat *potestas indifferentiæ*, & *libertas a necessitate*, quotiescumque non sit delectatio summi boni, quo clare viso voluntatis appetitus omnino expleatur. Nam ut eo loci scribit S. Thomas art. 2. ad 2. *Movens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota ejus possibilitas moventi subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis & perfecti, non subjicitur ejus possibilitas tota alicui bono particulari: & ideo non ex necessitate movetur ab illo.* Similia præcitata quæstione 6. de malo, sive de electione humana.

To. X. pag. 271. 2.

To. X. pag. 272. 2. & Tom. VIII. pag. 140.

IX. Placuit hæc late prosequi, ut percipiat Anonymus unde hauserim Regulam conciliandi libertatem cum gratia, & cum delectatione, quæ voluntatis capacitatem non explet, & quæ relinquit indifferentiam judicii, veramque libertatem a necessitate, Jansenianis ignotam; quæ non est extrinseca, & in solo objecto sita, ut ille comminiscitur, sed ipsi voluntati inhærens, & rationali creaturæ adeo intima, ut intima est ratio de particulari bono formans judicium indifferens, ipsaque voluntas, quæ particularia bona, ipsumque bonum incommutabile nondum in se inspectum, libera electione prosequitur. Sed Anonymi dicteria singula, nugasque nugacissimas (quamquam id jam factum esse arbitramur) postea singillatim discutiam. Interim sciat regulam illam conciliandi libertatem cum delectatione victrici, quoad omnia capita, luculentissime demonstrari ab Antonino Massouliè Volumine 1. a pagina 238. usque ad ejusdem voluminis extrema folia: Quem auctorem si lustraverit Anonymus, uti nos fecimus antequam Regulam illam constitueremus, tunc cognoscet nec falsa esse, nec difficilia, nec intelligentiæ nostræ reservata quæ hactenus in hoc argumento dilucidando typis edidimus.

S. Thomas sui interpres dissert. 2. de libertate creata.

X. Hæc cum ita sint, manifestum puto in hoc Jansenianam hæresim præsertim consistere, quod Jansenius sub vehementiori concupiscentiæ pondere invexerit necessitatem, qua voluntas impellatur ad malum, & sub robustiori & victrici delectatione spiritus necessitatem, qua voluntas inclinetur ad bonum; sive, quod prorsus idem est, libertatem solam voluntatis oppositam coactioni, non vero libertatem arbitrii oppositam necessitati, ex principiis, quæ si probe intellecta & explicata sint, inconcussa sunt, Augustiniana, ac Theologis magni nominis probatissima, non satis accurate libratis, damnatas illas consecutiones inferens, quas inde deduci nos præfixa præcedenti regula negamus & pernegamus. Ita viri docti, & a præjudiciis immunes fatentur nos Jansenianam hæresim affabre delineasse, sollerter ab Augustinianis remotissimam demonstravisse, eamque ex principiis Augustini, quibus Novatores abuntur, directe, & valide oppugnasse: quod ægre ferentes qui soli Antijansenisti videri volunt, & Scholæ nostræ placita, suis antiquiora & meliora, ut olim Calvini, nunc Jansenii fermento infecta iniquissime clamant, immani & cæco furore in nos debacchantur; quando si vere Jansenianos, non Orthodoxos, horumque doctrinam odissent; gratulandum illis foret, quod iidem Jansenisti ab universis Catholicis, & in unoquoque horum systemate refutentur. Ac ne videar hæc nimia jactantia a me dici, tametsi tot ac tanta momenta præmiserim, quæ conviciatores obruunt penitus atque obtundunt, unum addam, privatum utique, sed maximum, & singulare. Dedi operam anno 1739. statim ac lucem priora tria Volumina Theologicarum disciplinarum aspexerunt, ut Parisios ad manus cujusdam Eminentissimi Cardinalis pervenirent. Cujus jussu litteris Lutetiæ datis eodem anno 1739. die 22. Junii, cum ipse podagra laboraret, hæc mihi fuerunt rescripta: „ Quelques Theologiens, qui ont lû votre ouvrage, m'ont dit qu'ils en sont contents. Vous y developpez parfaitement les principes de Saint Augustin, & les soûtenez d'une maniere, qui met ses vrais disciples à l'abry de toute censure. Vous avez raison de faire consister l'erreur de Jansenius dans la grace & la cupidité tour a tour necessitantes, c'est a dire en ce que cet auteur pretend que sous l'impression actuelle de la grace & de la concupiscence,

S. Thomas tom. VIII. pag. 443. 2.

& tant que dure cette impreſſion, l' homme n' a point de pouvoir pour le parti oppoſé. Ce qui eſt deſtruire abſolument la liberté, qui ne conſiſte pas, comme Janſenius le pretend, dans le ſimple volontaire, mais dans le pouvoir *ad oppoſita*. Vous expliqués parfaitement bien ce pouvoir, en diſant après Saint Thomas, que la reſerve de l' amour du bien en général, tout autre objet, Dieu même connu & aimé de maniere, dont nous ſommes capables de le connoître, & de l' aimer ſur la terre, ne remplit pas tout la capacité du cœur de l' homme, & qu' ainſi l' homme conſerve toujours le pouvoir de s' en détacher même ſous l' impreſſion de la grace la plus efficace, dont l' action eſt bien differente de celle de la viſion beatifique, qui remplit de ſon object tout la capacité de l' homme, & ne lui laiſſe point de pouvoir pour s' en détacher & ne le point aimer. C' eſt la véritable maniere de faire voir, que la grace la plus efficace n' ôte point l' indifference, qui eſt neceſſaire pour meriter; indifference bien differente de celle que Janſenius fait quelquefois ſemblant d' admettre, mais qu' il rejette en effet, puiſqu' il ne reconnoit ſous l' impreſſion actuelle de la grace & de la cupidité dominante d' autre pouvoir *ad oppoſitum*, qu' un pouvoir *de mutabilité*, c' eſt a dire que comme l' impreſſion actuelle de la grace & de la cupidité dominante n' eſt point permanente & perpetuelle, comme celle de la viſion beatifique, l' homme qui aime Dieu peut ne le point aimer, parce que la grace qui le lui fait aimer, peut ceſſer; ce qui ne peut arriver dans la viſion beatifique, dont l' impreſſion eſt permanente & perpetuelle. Et voilà pourquoi il convient en quelques endroits que l' homme ſous l' impreſſion de la grace conſerve un pouvoir *ad oppoſita*, qu' il n' a point ſous l' impreſſion de la viſion beatifique. Cette erreur capitale de Janſenius eſt la ſource des autres erreurs, qu' on a condamnées dans cet auteur, & dans ſes diſciples, comme vous le remarqués bien, &c. „ His conſimilia mihi die 29. ejuſdem menſis litteris Lutetiæ Pariſiorum datis ſignificata fuere, in quibus additur Pariſienſes quoſdam doctores perlectis tribus illis voluminibus, ea quoad omnes partes probaſſe, Janſenianam hæreſim a me adeo perſpicue confutatam eſſe affirmantes, ut nullus futurus ſit (in ſe ſcilicet Theologica verſatus, & a præjudiciis immunis) qui audeat traditam a me ſententiam vellicare. Doctorum autem Sorbonæ unus non tantum me innumeris laudibus (quas illi acceptas refero) proſequi dignatus eſt, verum etiam ſcripto hæc ad alium Pariſiis commorantem, die præcedenti ad epiſtolam ad me ſcriptam, ſignificavit: „ Je voudrois bien, que la Theologie du Pere Berti peut être repandue dans ce païs ci. Ce ſeroit un bon moyen d' arreter le progrès du Moliniſme qui gagne tous les jours par les diſcredit ou on a mis nos auteurs Auguſtiniens en les accuſant du Janſeniſme. C' eſt aſſurement ce qu' on oſera dire de l' ouvrage du Pere Berti qui condamne ſi nettement ces erreurs, &c. „ Hujuſmodi Epiſtolæ ſervantur autographæ Romæ in Bibliotheca Angelica ad calcem *Janſeniſmi Redivivi*, quibuſdam adnotationibus noſtris diſpuncti.

XI. Obiter ex dictis plura ſunt colligenda. Primum eos, qui ajunt ſyſtema Janſenianum ſitum eſſe in adſtruenda delectatione per gradus ſuperiori, verum dicere ſi loquantur de ſuperiori delectatione, cui inſit ſola libertas voluntatis, & immunitas a coactione: falſum omnino aſſerere, & complures Catholicos calumniari, ſi contendant illos, qui delectationem per gradus victricem ſimul propugnant, & cum tali delectatione libertatem arbitrii, & *a neceſſitate* defendunt, damnato Janſeniano dogmati conſentire. Secundo eos, qui exſcriptis Janſenianis locis propemodum infinitis niſi ſunt demonſtrare, ut fecit Tournelius, quinque damnatas propoſitiones inferri ex ſyſtemate duarum delectationum, inter Catholica, & Janſeniana dogmata non diſtinxiſſe, atque uno verbo refutari, dicendo nempe, hæreſim Janſenianam ſitam quidem eſſe in delectatione ſuperiori *inferente neceſſitatem*, non autem in delectatione ſuperiori ita alliciente & permulcente animum, ut non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate liberrimus trahatur ad opus. Tertio falſiſſimum eſſe, quod Auguſtiniani omnes ſtatuant efficaciam gratiæ in delectatione *abſolute* victrici, non autem in delectatione victrici *relative*, & quod in hac non conſtituant prædeterminationem phyſicam aliqui Thomiſtarum, adeo, ut ſint Janſeniſtæ qui *relativam*, ſint Catholici qui *abſolutam* delectationem propugnant: quum utrique Catholici dicendi ſint, qui ſub delectatione, aut abſolute, aut relative victrici, agnoſcunt libertatem indifferentiæ. Quum hæc ſint evidentiſſime demonſtrata, in fumum abiit ludicra illa machina, idolumque phantaſticum, *Janſeniſmus Redivivus*.

Non appello idolum Phantaſticum *hæreſim Janſenianam*, *ſed opus inſcriptum*, Janſeniſmus Redivivus.

§. IV.

In primam Janſenii propoſitionem, oppoſitam Auguſtinenſium æque, ac Thomiſtarum ſyſtemati. —

AGe modo, quoniam de Scholæ noſtræ a Janſeniano dogmate in iis, quæ ad principia attinent, diſcrimine, prolixe & quantum videbatur neceſſarium eſſe, diſputavimus; quinque damnatarum propoſitionum ſenſum inveſtigemus. Prima propoſitio ita ſonat: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Hujus propoſitionis damnatus ſenſus eſt, aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia hominibus juſtis, qui ea præcepta ſervare volunt, ad ea obſervanda nituntur, & idcirco eſſe impoſſibilia, quia niſi illis divinitus inſpiretur gratia victrix, quæ pugnantem concupiſcentiam, in juſtis quoque vigentem, vincat atque ſubſternat, neceſſum eſt, ut iidem juſti ſuccumbant & tranſgrediantur præcepta, abſque arbitrii in oppoſitum poteſtate, in culpam tranſgreſſionemque inevitabili lapſu ruentes. Ab hoc autem errore Theologi illi quamlongiſſime diſtant, qui docent nulli mortalium hominum in hac peregrinatione certantium impoſſibilia eſſe præcepta Dei, tametſi illorum aliqui aut infidelitatis tenebris obvoluti, aut inolita peccandi conſuetudine preſſi gratia ſufficiente ſint deſtituti; ideoque multo magis divina præcepta poſſibilia eſſe juſtis, qui dum volunt & conantur illa adimplere, ſunt divina gratia ſuffulti: immo hæc gratia ſemper eis adeſt, quoniam *Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur*, ut inquit Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 11. Quem locum non tantum exponendum eſſe *de juſtitia habituali*, quæ nunquam juſtis ſubtrahitur, niſi Deum peccato mortali deſerant, ut ſcripſere Sylvius, Eſtius, Alvarez, Ledeſma, aliique citati ab auctore Scholæ Thomiſticæ vindicatæ, verum etiam *de gratia ſufficiente*, demonſtravi lib. 17. cap. 3. contra Janſenianos, priorem duntaxat expoſitionem amplectentes. Veriſſimum tamen eſt aliquando hominibus, etiam juſtis, deeſſe gratiam *per ſe efficacem*, quæ ſola dat *potentiam* ita completam, & *proxime expeditam*, ut nihil ulterius requiratur ad opus perficiendum. Nam ſi hæc gratia ſemper juſtis adeſſet, cum illa, cooperante libero hominis arbitrio, ſit conjuncta cum actu; a juſtitia nemo unquam decideret. Quamobrem audacter & imperite inſimulantur tamquam aſſertores primæ Janſenianæ propoſitionis Theologi illi, qui ajunt juſtos aliquando carere potentia *completa*, & *proxime* ab omni impedimento expedita, ut loquitur Cardinalis Noriſius in *Calumnia ſublata* cap. 1. & 2. & cum Noriſio ſentiunt Theologi præſtantiſſimi, quos commemoravi §. 2. a numero 9. uſque ad ultimum. *Norit tom. 3. pag. 1060. & 1065.*

I. Hunc eſſe damnatæ propoſitionis ſenſum ex verbis, quibus conflata eſt, manifeſte deducitur. Ubi enim in illa propoſitione agitur de potentia omnino *completa*, neque adjutorium aliquod uberius exigente, ut voluntas erumpat in actum? Qua dictione, qua phraſi iſtiuſmodi *potentia* in hæretica illa poſitione delineatur? At damnatus Janſenii ſenſus eſt, ut ſæpenumero diximus, *quem verba præferunt*: neque tantus aliis ſcriptoribus, quantus ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus, impendendus eſt honor, ut quidquid dixerint expendatur, atque explicetur. Profecto theſis, ut ſonat, hæretica eſt, Calviniana, anathemate non ſemel proſcripta, impia, temeraria, ac blaſphema. Ita Eccleſia definivit, ita ſentiunt omnes Catholici, ita nos libro XVII. cap. 3. pag. 328. & docuimus, & demonſtravimus. Clemens XI. Pontifex Maximus in Apoſtolica Conſtitutione, *Vineam Domini Sabaoth*, num. 21. conqueritur inquietos homines abuti litteris ab Innocentio XII. deceſſore ſuo datis die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1694. ad Epiſcopos Belgii, in quibus ſignificavit, pronunciavitque, *quinque propoſitiones ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba exhibent ac præſeferunt, damnatas eſſe*; homines autem illos inquietos, & veritati non acquieſcentes, conſtitutiones Apoſtolicas temperare, & reſtringere, aſſerentes id Innocentium pronuntiaſſe, *non de ipſomet obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatus fuit*. Cum hæc Janſeniſtarum, aut, quicunque fuerint, inquietorum illorum hominum circumventio turbare Eccleſiam, hujuſque definitiones implicare & involvere conaretur; idem Sanctiſſimus Pontifex Clemens XI. §. 25. ad præcidendam occaſionem omnem erroris ſaluberrime decrevit, ut unuſquiſque non ſolum ore, ſed etiam corde, abſque ulla reſtrictione, nec alia mente, animo, aut credulitate, formulæ ibidem num. 16. inſertæ ſubſcriberet, & rejiceret ac damna- *Bullarium Clem. XI. edit. Rom. pag. 45. col. 2.*

damnaret ut hæreticum, *damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenianis libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur*, nullatenus Jansenii doctrinam corde animoque reprobare detrectans. Quo ergo jure Jansenistæ dicuntur, qui illos propositiones damnant, adesse in Jansenio libro non negant, sensum *quem verba præseferunt* improbant, subscribunt formulæ, nullumque Jansenii patrocinium suscipiunt? Videas nunc quæ de singulis Jansenii propositionibus diximus citato capite 3. & quid de subscribendo *Formulario* subjecimus cap. 6. ejusdem libri XVII. & miraberis Anonymi hæresim Jansenianam Scholæ nostræ objicientis intolerabilem procacitatem. Quæ hactenus dixi de sensu in Jansenii libris damnato, ea probat quoque Antoninus Massoulié tom. 2. diss. IV. q. 3. ubi ait: *Dicendum præterea est sensum illum singularem in Jansenio proscriptum, eum existimandum esse, quem ipsa series verborum, ipsaque verba planissimo sensu intellecta exhibent: & frustra eos laborare qui reconditum aliquem sensum ut reperiant, aut aliunde quam ex ipsa propositione eruant, ingenia sua torquent.* Id doctissimus Thomista demonstrat animadversionibus Suaresii in articulos Baji: de qua re plura me scripsisse memini differt. 1. §. 3. quæ ut memoria repetantur, oro, obtestorque.

II. Ne autem adversarius ad sinistra judicia pronus hæc ita a nobis dici opinetur, quasi Jansenii librum ab errore primæ propositionis immunem esse intimo sensu arbitremur; repetendum ducimus, revera propositionem primam contineri libro 3. de Gratia Christi cap. 13. pagina 326. columna 1. quemadmodum demonstravimus in Opere nostro de Theologicis disciplinis. Si vero hac quoque in re nos subdole gessisse Anonymus, mirabilissimus animi nostri spectator, ausus fuerit asserere; addemus alia, præsertim quod dogmatistes lib. IV. de *Hæresi Pelagiana* cap. 16. reprehendit, refellitque quod ad virginem Demetriadem scripsit Pelagius, *Nec impossibile aliquid voluit imperare, qui justus est*: quæ verba absolute pronuntiata sunt vera; tametsi Catholica sit sententia, non posse absque gratia, & solius arbitrii viribus divina impleri præcepta. Quare authores *Thesium* Antuerpiensium haud recte inquiunt Jansenianam illam propositionem, de qua est sermo, fuisse proscriptam, quoniam Jansenius *de statu nat. lapsæ* cap. 15. affirmavit *non posse sine gratia superari ullam tentationem, nec sine ea ullum præceptum impleri, aut vitari peccatum*. Nam quamvis gratia necessaria dicatur ad singulas tentationes vincendas, & ad implenda præcepta; non inde tamen fit consequens, præcepta esse *impossibilia*, sive dicamus gratiam adesse singulis, ut ajunt Theologorum plures, sive, quod nos verissimum arbitramur, singulis esse paratam, oblatamque, a singulis autem actu, & reipsa non recipi occulto judicio Dei, atque ob impedimentum, quod libere ponitur ab hominum pravitate. At de his plura inferius. Illarum ergo Thesium auctores injurii fuerunt suarum quoque partium scriptoribus: *nullam* quippe *tentationem etiam minimam* vinci posse *sine auxilio gratiæ per Christum*, docuit Franciscus Cardinalis Toletus, * quo nemo melius novit pernicioſam Baji doctrinam; ut mittam ceteros, quos præcedenti dissertatione laudavi. Primæ itaque Jansenianæ propositionis sensus est, inductam fuisse peccato Adæ *peccandi necessitatem*, & contra dari gratia Salvatoris *necessitatem bene operandi*; ac proinde eos, qui tali gratia necessario, ac delectatione invincibili nondum attracti non bene operantur, id nullatenus posse, sed in peccatum fatali necessitate dilabi. Blasphemiæ hujus assertionis Jansenium reum esse demonstravi §. 3. compluribus ejus testimoniis productis. Adde, Jansenium, quoniam solam gratiam efficacem, & conjunctam cum actu admisit, ad errorem suum confirmandum inexpiabili temeritate adulterasse ea verba Augustini, *De natura & grat.* cap. 43. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*, a sacrosancto Tridentino Concilio sess. 6. *de Justificat.* cap. 11. consecrata. Ita enim Jansenius lib. 3. *de Grat. Christi* cap. 13. præclarissimam hanc Augustini, & Synodi Œcumenicæ sententiam interpretatus est: *Et si exaudiat, adjuvat ut possis*, qua interjecta clausula demonstrat etiam justos, quamvis conentur, velint, & Deum orent, attamen *nisi exaudiantur a Deo*, & robustæ voluntatis, seu victricis gratiæ munere adaugeantur, carere illo adjutorio, quo divina præcepta possunt impleri. Nostrates ergo justis sufficiens adjutorium, & Christi gratiam adesse profitentes, quamquam bene sapienterque doceant non semper iis adesse adjutorium *quo*, plenissimamque illam potestatem, quam tribuit auxilium efficax; distant toto cælo ab errore Jansenii: atque ii præsertim, quorum vestigia sectati fuimus, illa Janseniana clausula, *Et si exaudiat*, dispuncta, suam nostramque doctrinam sartam, tectamque demonstraverunt. Lege Opus-

culum Petri Clenaerts inscriptum *Augustinus per seipsum docens*, cum Thesibus Bernardi Desirant *de divinis auxiliis* §. XIV. num. 13. ejusdem Desirant *Dialogos Pacificos*, Dialog. 12. & Cardinalem Norisium in *Calumnia sublata* cap. 2. Ex illo Jansenio capite, quod omnis gratia sit *efficax*, & detur inter operationem & gratiam *reciprocatio*, Jansenius coactus est denegare gratiam actualem justis, qui non perseverant, sed in peccata labuntur. Quare celeberrimum illud Augustini effatum, *Deus non deserit, nisi deseratur*, sive, *dignos deseri tantum deserit*, quod habetur in libro *de nat. & gratia* cap. 23. num. 25. & confirmatur a Beato Prospero *ad* 11. *objectionem Gallorum*, & ad 7. *Vincentianam*, necnon a Tridentina Synodo citato cap. 11. ita Jansenius interpretatus est, quod nunquam Deus justos deserat *subtractione justitiæ*, sive gratiæ sanctificantis, priusquam ab illis voluntario in crimen lapsu deseratur; quamquam eos deserat non impertiendo auxilium actuale, sine quo, juxta fabricatum a Jansenio nefariumque dogma, necessario peccant, & stare non possunt. *Objici solet* (inquit Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 19.) *quod Deus non deserat, nisi deseratur. Ergo nemini negat auxilium sufficiens, si non ante desertus fuerit. Respondetur sententiam illam haberi in Concilio Tridentino, & ex D. Augustino desumptam esse. Tam vero Tridentinum, quam Augustinus perspicue indicant se sic illam intelligere quod Deus neminem deserit ab eo discedendo, ipsa scilicet subtractione justitiæ, nisi homo prius Deum per inobedientiam deserat*: & infra eodem capite col. 367. *Nam si desertionem Dei, quæ fit actualis gratiæ subtractione, spectare voluerimus, nimis enormiter ab Augustini mente discedunt, qui ei istud paradoxum, & quidem postquam per Adami lapsum in statum damnationis & iræ Dei præcipitati sumus, imponere volunt.* Et post pauca: *Nihil enim celebrius in Augustino, quam quosdam a divino adjutorio deseri, etiam justos, ex occulto judicio Dei.* En aperte Jansenius docuit præcepta Dei aliquibus esse impossibilia: docuit impossibilia esse iis, qui gratia per se efficaci sunt destituti, sine qua ait inevitabilem fieri lapsum; & docuit justis subtrahi adjutorium illum gratiæ actualis, quod necessarium est, ut præcepta possint impleri. Quapropter in sensu ipso Jansenii prior illa propositio tanquam impia, hæretica, omnibusque censuris dignissima rejici debet, ac refutari, ac rejicitur, & refutatur a Theologis omnibus, qui negant aliqua Dei præcepta esse impossibilia; qui negant hominem delectatione victrici destitutum ruere impellente necessitate in peccatum; qui denique negant justos deseri a Deo subtractione cujuscunque gratiæ actualis, antequam ipsi Deum deserant.

III. Si quis dicat, Igitur in eorum sententia, qui ajunt Dei præcepta non posse impleri absque gratia, erunt eadem præcepta impossibilia iis, qui gratia sunt destituti; cujusmodi sunt nonnulli infideles, atque obdurati: & item in sententia eorum, qui ajunt non dari absque delectatione victrici & gratia efficaci potentiam *proximam* & *completam* ad bonum opus agendum, etiam justi tali gratia carentes non habent potentiam *proximam* implendi præcepta: si quis, inquam, id dicat; respondebimus & eos, qui auxilia sufficientia singulis dari negant, & eos, qui ad potentiam *proxime expeditam* exigunt efficax adjutorium, plurimum a damnata Jansenii propositione distare. Libro enim decimo octavo cap. 8. demonstravi in ea sententia, quæ docet nonnullos gratia sufficiente destitui, fatentibus Theophilo Raynaudo & Vasquesio, stetisse Augustinum, Prosperum, Fulgentium, Thomam Aquinatem; sententiam vero illam omni dubio procul tradidisse Ledesmam, Lemosium, Godoy, Gonetum, Bannesium, Alvarez, Gonzales, Lovanienſem, & Duacenſem Academias, Theologos Ordinis nostri universos, aliosque quamplurimos. Quibus si immerito ac falso sententiam hanc adtribuimus; ostendat Anonymus errorem fraudemque nostram, & loca opposita recitet: si autem, quod certissimum est, fideliter auctores ipsos allegavimus; fateatur Jansenianos nequaquam esse, qui omnibus a fide alienis, & obcæcatis auxilium sufficiens dari negant; aut si tantam habet frontem, nobiscum viros illos omnes Jansenianis adnumeret. Quod si fecerit; respondendum nobis erit, quod Juliano adversariorum suorum impudentissimo Sanctus Augustinus: *Cernis cum quibus tua maledicta substineam, cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nulla consideratione sobria pulsare calumniis, & expugnare conaris? Cernis quam tibi perniciosum sit tam horribile crimen objicere talibus; & quam mihi gloriosum quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace.* Lib. 1. contra Julianum cap. IV. num. 12.

IV. Neque enim Theologi, qui nobiscum gratiam sufficientem impiis & infidelibus aliquando denegari senserunt, his aut conversionem, aut aliorum divi-

Ibid. pag. 45. colum. 1.

S. Thomas sui interpres pag. 336. colum. 1.

De Th. discipl. tom. 3. pag. 327.

Jan. to. 1. pag. 218. col. 2.

Th. Jesuit. cap. 2. pag. 65.

* Vide Vasq. 1. 2. disput. 190. cap. 18. n. 174. tom. 2. pag. 354. edit. Lugdun.

Jan. pag. 326. col. 1.

Desirant theses. Lovanii 1687. Dialog. Pacific. Bruxellis, pag. 77. Norris tom. 3. col. 1067.

Jans. tom. 3. pag. 365. col. 1.

Tom. 3. de Th. discipl. pag. 439.

To. x. pag. 502.

norum præceptorum adimpletionem dixere *impossibilem*; ac multo minus id affirmaverunt de justis, de quibus præsertim, ac data opera loquitur damnata thesis, & quibus auxilium sufficiens ab efficaci distinctum semper adesse, nos, memorati Theologi, & Catholicorum omnes firmissime profitemur. De justis dicturus postea, præmitto nunc laudatos Thomistas, si ab his petas, quomodo ille salvari possit, qui destitutus est actualis gratiæ auxilio, facillime responsuros. Posse utique, *Quia ut homo dicatur potens salvari, sufficit quod licet non habeat gratiam dantem potentiam, possit tamen illam recipere, & Deus possit illam conferre, quod totum verificatur de homine quandiu est in hac vita, & ideo vere dicitur posse salvari.* Ita cum aliis respondet Joannes Baptista Gonet disput. 5. de Reprobat. art. 6. §. 2. num. 219. Similia habet Lemos in Panoplia lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 16. num. 244. *Ut nihil præcipi dicatur impossibile, satis est ut in Dei virtute ac bonitate sit paratum sufficiens auxilium, quo omnes possint salvari, licet de facto non omnes illud habeant sibi collatum.* Haud secus Alvarez lib. 11. de auxiliis Div. Grat. disput. 112. §. 9. ubi solvens hoc argumentum num. 3. „ Quilibet peccator, quandiu est in vita, potest ad Deum converti. Ergo quilibet peccator, quandiu est in via, habet auxilium sufficiens ad salutem „ inquit: *Ad tertium respondetur, quod sicut dicit S. Thomas q. 6. de Veritate, art. 3. ad 7.* Aliquid potest dici posse dupliciter, uno modo considerando potentiam, quæ in ipso est, sicut dicimus quod lapis potest moveri deorsum: alio modo considerando id, quod ex parte alterius est, ut si dicerem lapidem posse moveri sursum, non per potentiam, quæ in ipso sit, sed per potentiam projicientis. *Proportionaliter nos dicimus in præsenti, quod cum asseritur quemlibet peccatorem, quandiu est in hac vita, posse pro quolibet tempore & momento ad Deum converti & salvari; hoc potest dupliciter intelligi. Primo quod possit converti per potentiam proximam, & physicam, quæ actu sit in illo pro quolibet tempore & momento. Secundo per potentiam, seu auxilium speciale, quod Deus, quantum est ex parte sua, paratus est omnibus dare pro quolibet momento, ut supra explicatum est: & in hoc secundo sensu propositio illa est verissima; non autem in primo, quoniam per solam facultatem naturæ non potest homo potentia proxima ad Deum converti & salvari.* Utuntur communiter eadem responsione Thomistæ alii, asserentes divina præcepta semper servari posse, quoniam impleri possunt cum divino auxilio, quod is, qui non habet, potest habere, & producentes verba S. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 4. *Ad 2. dicendum, quod illud, quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi in 3. Ethicorum: Quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.* Vide Sylvium in hunc S. Thomæ articulum, ubi post alia permulta hæc habet: *Sive detur aliqua gratia, quæ tantum est sufficiens & non efficax, sive non detur (qua de re q. 111. differendi locus est) ea secundum rei veritatem est impertinens ad salvandum quod homo non possit divina mandata servare; partim quia ut ipsa illa fervet, ea gratia sola non sufficit, sed oportet quod etiam adsit gratia efficax, quæ a solo Deo pendet, & gratis seu sine merito tribuitur; partim quia juxta communem sententiam gratia sufficiens non semper datur, & tamen homines viatores semper possunt divina mandata servare, ac per consequens etiam tunc, quando non habent gratiam sufficientem: ergo ut observatio mandatorum dicatur esse possibilis, non est necesse venire eo, ut dicatur quod habeant gratiam * sufficientem.*

Gonet tom. 1. edit. Paris. pag. 103. col. 1. Lemos edit. Leodii pag. 85. col. 1. Alvarez pag. 890. edit. Lugd. Sylv. to. 2. edit. Antuerpiæ pag. 651. & 652. * Legitur eo loci sufficientiam.

V. Adhibere solent Thomistæ responsionem alteram, videlicet, quod, etiamsi homini gratia sufficiente destituto insit hebetudo aliqua & impotentia ad implenda præcepta; nihilominus hæc nequeunt dici impossibilia *absolute, nec ex aliqua causa antecedente ejus malam voluntatem; sed sibi reddi impossibilia per ejus malam voluntatem sive actualem, sive qua in primo parente peccavit*; ita enim scribit cap. 20. prælaudati Tractatus tertii num. 284. Thomas De-Lemos; eique assentitur Joannes Gonzales de Gratia sufficienti art. 8. his verbis: *Præcepta enim divina possibilia sunt. At si quis potentiam illa adimplendi culpabiliter a se abstulit, non adimpletio illi imputatur, ut jam clare supra ostendimus ex S. P. Augustino, & D. Thoma.* Nolo hic Tempus insumere hanc responsionem ab adversariorum objectis vindicando: nam & id memorati duo Theologi abunde præstiterunt; & hoc mihi sat est, si concedatur juxta inculpatæ fidei scriptores divina præcepta neque iis *absolute* dicenda esse impossibilia, quibus auxilium sufficiens occulto Dei judicio negatur.

Lemos pag. 92. col. 1. Gonzalez pag. 462 edit. Leodii.

VI. Affirmavit pariter necessariam non esse sufficientis auxilii actualem collationem, ut præcepta Dei dicantur possibilia, Sacra Lovanienſis Facultas; cujus in Censuræ suæ *Justificatione* cap. 12. hæc sunt verba: *Respondemus primo, ut homo possit converti non requiri ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore quo posse dicitur, sed satis esse si habere illam & obtinere, quæ sufficiat, possit. Quomodo homo dicitur posse manducare panem etiam cum panem non habet, nec etiam quicquam unde sibi panem comparet: ut etiam dicitur videre posse qui non habet lucem, sed in tetrum carcerem conjectus est; quamvis sine luce visurus sit nunquam. Et attendendum, cum dicitur neminem posse converti sine gratia, illud, sine gratia, vel ad posse, vel ad converti adjungi vel referri, quamvis posterius longe sit usitatius. Siquidem communiter dicimus neminem converti posse sine gratia Dei, eo quod conversio sine gratia nunquam sit, licet gratia quoque absente non desit ipsum posse converti. Quemadmodum nemo potest credere sine fide, etsi credendi facultas eis insit, qui non credunt. Notandum interim illud quoque, potentiam credendi vel convertendi sese, æstimari dupliciter; semel ex ipsa liberi arbitrii utramque in partem flexibili facultate, quomodo est potentia in homine gratia destituto; semel ex præsentibus viribus satis efficacibus ad fidem & conversionem, juxta quem modum quidam dicuntur non posse credere, aut sequi Dominum, sicut dictum est Petro,* Non potes me sequi modo, & *aliis,* Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? *Et iterum,* Non poterant credere, quia dixit Isaias, Excæca cor populi hujus. *Poterant ergo illi credere per flexibilem quidem liberi arbitrii in bonum facultatem, non poterant autem per eas vires, seu affectus quos habebant in præsentia. Poterant per remotam, ut dici consuevit, potentiam; non poterant per propinquam. Illa de natura surgit, hæc competit per gratiam; ideoque etiam apud veteres utrique sermo reperitur. Nam & Augustinus fidem in nostra potestate esse docet lib. de Sp. & lit. cap. 30. & tamen Cœlestinus Pontifex in Epistola, quam pro Hilario & Prospero scripsit, dicit in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & potentiam perdidisse. Rursus Fulgentius docet hominem naturaliter posse credere in eo quod naturam habet credulitatis fideique capacem: & tamen gratiæ dono credendi virtutem recipere, quam amisit. Est ergo quoddam posse per naturam, omni etiam gratia destitutum propter liberum arbitrium durante hac vita in utramque partem flexibile: & est posse per gratiam, quando jam naturæ libertas quibusdam divinis adminiculis adjuvatur.* Hæc Lovanienſes. Similia leguntur in *Censuras* Duacenſis Academiæ ad Assertionem xv. quæ censura Lovanienſi conjuncta est, eique omnino consentit. Joan. 13. 15. 12. Post censuram Lovanienſ. ejusdem edit. pag. 127.

Acad. Lovan. Justif. pag. 217. edit. Paris. 1641.

VII. At revertendum ad justos, de quibus singillatim pertractat prima propositio Jansenii. Quis autem nostrum adeo insipiens, adeo improbus censeri potest, ut affirmare audeat esse aliqua præcepta *impossibilia* justis conantibus & volentibus, secundum vires, quas actu habent; quando singuli fatemur, non aliqua tantum, sed omnia esse possibilia non tantum justis, verum etiam hominibus sceleſtissimis, qui nec volunt, nec conantur? Quomodo *impossibilia* dicuntur eadem præcepta justis, qui non deseruntur a Deo subtractione actualis gratiæ, quando nobis fatentibus nec *impossibilia* sunt improbis, quando iis actualis gratia subtrahitur? Si dicas autem justis illis volentibus aliquando adesse *parvam voluntatem*, quæ sententia nostra non dat potentiam *proxime expeditam* atque *completam*, donec robustior fiat, & vincat contrariam concupiscentiam; primum respondeo, certissimum esse, quod justis illis aliquando deest gratia efficax, aut, si vis ut ita loquar, gratia congrua, cum interdum cadant; id, quod sub efficaci gratia nunquam evenit. Certissimum quoque est non dari absque gratia efficaci, congrua, & victrici potentiam illam completam, & expeditam, quæ ut liberum arbitrium erumpat in actum, nullum aliud exigit gratiæ adjutorium; quia ut erumpat in actum, ipsa gratia efficax, victrix & congrua est necessaria. Itaque certissimum est, iniquissime insimulari tamquam primæ Janſenianæ propositionis assertores illos, qui ajunt aliquando justis volentibus & conantibus deesse potentiam implendi præcepta, non qualemcunque, sed *proximam*, *expeditam*, *completam*, & quæ nullum aliud exigat adjutorium, ut actu eadem præcepta impleantur. Vide §. 2. num. 9. & sequentibus.

VIII. Deinde quisnam in his controversiis adeo hospes ac tyro est, ut ignoret virum doctissimum Cardinalem Norisium hac ipsa de causa ab invidis tamquam Janſeniani erroris fautorem non semel fuisse traductum, eo quod asseruerit non semper instante præcepto adesse justis sufficientem gratiam, ac potestatem illud implendi? Ab hac autem calumnia quomodo se purget auctor clarissimus, potest unusquisque ex lectione librorum ejus agnoscere. Enim vero *ad Germanitatem XV.* demonstrat se locutum de illo adjutorio, quod habuit Adam, *proxime sufficiente*, & quod in hoc statu propter infirmitatem & corruptionem naturæ (ut inquit P. Macedo ibidem a Norisio in sui defensionem productus) *nisi per novam virtutem augeatur & crescat*, non est sufficiens *proxime & perfecte*, Noris tom. 1. pag. 1463.

fecte, ſed *tantum remote*, & *inchoate*. Addit Noriſius juſtum divina gratia excitatum, dum vult ſervare præceptum, & conatur reapſe illud implere, poſſe per illam gratiam, quam habet, vires majores a Deo petere; quoniam gratia, quæ excitat nos ad volendum bonum, accedente cognitione noſtræ infirmitatis a rebelli concupiſcentia concuſſæ, eſt *proxime ſufficiens* ad orandum, nobiſque cooperatur ut petamus auxilium *proxime* neceſſarium ad implendum præceptum, modo tamen ille, qui ſentit in ſe cupiditatem boni divinitus inſpiratam, non apponat impedimentum ſuperbiæ, præſumens ſuis viribus præceptum exequi. Profecto Janſenius lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 27. negat gratiam, qua nobis boni cupiditas inſpiratur, ſufficere ad orandum, inquiens: *Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei mandata operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat, &c.* Agit Noriſius de hac ipſa *potentia proxima*, diſſert. v. ſive in *Janſeniani erroris calumnia ſublata*, ubi cap. 1. demonſtrat *tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati, tametſi negata fuerit ipſi gratia proxime ſufficiens, qua poſſet exequi mandatum*. Atque hanc eſſe pervulgatam apud Theologos doctrinam oſtendit citando Card. Bellarminum lib. 2. de Grat. cap. 7. Suarez lib. 4. de Gratia cap. 2. Pontium p. p. Relectionum de Grat. cap. ult. num. 6. Ruiz diſp. 39. de Præd. ſect. 2. Amicum diſp. 18. de Grat. ſect. 3. Salmanticenſes tract. 14. diſp. 6. dub. 3. num. 96. Joannem a S. Thoma diſp. 10. de Reprobatione num. 30. Gonetum diſp. 5. de Reprob. art. 6. §. 2. alioſque paſſim, & ipſoſmet Dechamps lib. 3. cap. 11. & Morainem diſput. 24. ſect. 1. Ubi vero plura dixit, quorum præcipua exſcripſimus ſupra §. 2. proſequitur demonſtrare propoſitione 2. pag. 1065. *tali auxilio proxime ſufficiente privari etiam juſtos, tum cum urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſine gratia:* ibique tamquam rem notiſſimam, concludit, *auxilium proxime ſufficiens ad reſiſtendum gravi tentationi illud eſſe, quo habito, nihil ulterius adjutorii a Deo dandum ſupereſt, ut tentatio poſſit reipſa ſuperari. Auxilium vero remotum ad illam tentationem vincendam eſſe gratiam orationis, qua poſſumus impetrare a Deo auxilium tantum, quantum neceſſarium eſt ad reſiſtendum tentationi*. Juſti ergo in ſententia Noriſii dum volunt ſervare præcepta, cum ob virium infirmitatem oratione indigeant, ac debeant petere tantam voluntatem, quanta ſufficiat ad implenda mandata, habent ad hæc implenda *privationem potentiæ proximæ*. Neque dicas, quod juxta Noriſium habent juſti ſaltem potentiam proximam ad orandum, cum tamen ſemper non habeant ad orandum gratiam efficacem. Mens enim Eminentiſſimi Scriptoris non eſt, ut quidam interpretati ſunt, ad orandum non eſſe neceſſariam *gratiam ex intrinſecis ſuis efficacem*; minime: ſententia Noriſii eſt, gratiam illam, quæ non eſt *proxime ſufficiens* ad tentationem vincendam, atque ad implenda præcepta, eſſe *proxime ſufficientem* ad orandum, ſcilicet ad impetrandam gratiam uberiorem, qua poſſit tentatio vinci, & præcepta poſſint impleri: in ſententia quippe noſtra eadem numero gratia poteſt eſſe *efficax* reſpectu unius actus, & *ſufficiens* duntaxat reſpectu alterius. Verum, ut paullo antea dicebamus, illa gratia, quæ adeſt juſtis, hiſque dat potentiam *proximam* ad orandum, illis non cooperatur, ideoque non actu orant, quotieſcunque apponunt *impedimentum* ſuperbiæ, ut Noriſius ajebat ad Germanitatem XV. ſive, ut inquit in Calumnia ſublata, quando *ex libera ſuppoſitione judicii practici erronei obicem ponunt potentiæ proximæ ad orandum*. Ponit autem homo obicem orationi faciendæ, nec eſt in potentia proxima ad orandum, ſi judicet *ſe poſſe ſine ulteriori Dei auxilio mandatum implere*. Hanc ſententiam & nos propugnavimus lib. XVIII. cap. 8. & 5. ipſis quoque, ut perſpicuum erit legentibus, Noriſianis verbis adhibitis.

Tom. 3. pag. 1060.

Tom. 3. col. 1087. & ſeq.

IX. Rurſus tamen hoc in loco fateor Thomiſtarum complures aſſerere per gratiam ſufficientem, quæ juſtis nunquam ſubtrahitur, compleri potentiam *in ratione potentiæ*, & per gratiam efficacem, quæ illis aliquando non adeſt, omnino tamen ad agendum eſt neceſſaria, applicari duntaxat potentiam *ad actum efficiendum*. Verum nec inter Thomiſtas deſiderantur, qui doceant cum Didaco Alvarez tribui per auxilium efficax *ultimum complementum actus primi*, ut diximus §. 2. nu. 13. Et quidem ſi ea potentia dicatur *proxima*, & *completa*, quæ nullum aliud poſtulat ex parte Dei adjutorium, ut prodeat in actum, quemadmodum ubique nos declaravimus: omnes ii, qui ad actum exigunt efficax auxilium, tenentur fateri abſque tali auxilio non dari potentiam illam *proxime completam*, prout a nobis accipitur. Quare Antoninus Maſſoulié tom. 2. diſſ. 4. q. 3. art. 4. poſtquam tradiderat multiplex diſcrimen inter ſententiam Janſenianam, ac ſuam (quod utique diſcrimen omne a nobis quoque traditum fuiſſe conſtat) addita poſtremo loco diſcrepantia illa, quæ petitur *a potentia completa ſub gratia ſufficiente*, quam potentiam Thomiſtæ ſolent adſtruere, *Verum*, inquit, *hanc ſolutionem ultimo loco refero, quod vix ea uti ſolitus ſim; ac multis quidem de cauſis*. Hujuſmodi cauſæ ſunt, 1. *quia deceptioni opportunior videri poteſt, eaque abuti ſoleant diverſæ ſententiæ auctores, ac ſi ubicunque auxilium ſufficiens eſſe conceditur, completiſſimum illud eſſe debeat, ita, ut cum peccatori v. g. vitiis immerſo, & omnis notæ, ut Tertullianus loquitur, auxilium aliquod ſufficiens ad reſurgendum non deſit, contendant ſufficiens illud debere eſſe proxime & completiſſime ad perfectiſſimam converſionem: quod tamen impoſſibile plane exiſtimo*. 2. *quia an ſufficiens illud auxilium ultimo potentiam compleat, ſitque, vel non ſit complementum potentiæ, deceptio eſſe poteſt in ea complementi ratione, quam ſibi fingere quiſque poteſt*. 3. *quia admiſſa ea ſolutione potentiæ etiam completiſſimæ, ſupereſt difficultas quam urgere ſolent adverſæ ſententiæ auctores: nimirum non eſſe juſtis divina præcepta poſſibilia, ſi ad ea adimplenda requiratur efficax auxilium, &c.*

Ant. Maſſ. to. 2. pag. 364. & ſeq.

X. Unum inſuper addam ponderatione lectoris digniſſimum. Anno 1678. menſe Februario delatæ fuerunt Supremo S. Officii Tribunali Romæ, tamquam Janſenianæ, propoſitiones aliquæ Noriſii, inter quas num. 9. *Rejicienda eſt ſententia illorum, qui dicunt gratiam proxime ſufficientem ſemper adeſſe, nec unquam legem obligare, niſi adſit gratia adjuvans*. Quid vero de hac propoſitione cenſores judicarunt? Lego in pluteis Bibliothecæ noſtræ autographum MS. hujus generis: „ Il P. Dom. F. D. n. xi. ſtima che inteſa la propoſizione conforme le due precedenti (della grazia efficace, la quale certiſſima coſa è non darſi a tutti quelli, che ſono tenuti al precetto) non ſia cenſurabile. Il P. Miroballo foglio M. §. *Undecima propoſitio*, giudica l' iſteſſo, cioè che la propoſizione non merita cenſura. Perchè nel corpo della propoſizione abbaſtanza è dichiarato, che coſa intenda Noris col nome di grazia proſſima ſufficiente, cioè quella, che ſeco porta l' aſſiſtenza della grazia adjuvante, ovvero efficace. Ora così ſpiegata queſta grazia *proxime* ſufficiente, nega Noris, dice il P. Miroballo, e tutti i Tomiſti negano *ſemper adeſſe*, quando obbliga la legge; mentre acciò obblighi baſta la ſola grazia eccitante, come prova molto bene Alvarez lib. 8. de Auxiliis diſp. 96. num. 5. E in queſto ſenſo non darſi a tutti queſta grazia ſufficiente tiene eſpreſſamente Silvio in p. 2. q. 3. concl. 1. degno d' eſſer onninamente veduto; come anco Zumel nelle diſputazioni Varie in 1. 2. diſp. 4. concl. 4. Onde baſta, che Noris (ſegue a dire il medeſimo Miroballo) conceda l'ajuto ſufficiente *Theologice*, cioè quello che faccia che l' uomo poſſa adempire la legge, acciò che eſſa non gli ſia impoſſibile da oſſervarſi; e queſto ſolo abbiamo definito contro la prima propoſizione di Gianſenio. Che poi tale ajuto ſia *proxime* ſufficiente, in quanto comprenda anche la grazia adjuvante, ma piuttoſto ſia ſufficiente *remote*, e che non porti l' aſſiſtenza di quella grazia, è controverſia de' Teologi, che nulla fa per la cenſura. Così il P. Miroballo. Ma il P. Maeſtro del Sacro Palazzo foglio c. §. *propoſitio prima*, dice che potrebbe portare tutta la Teologia per moſtrare la verità di queſta propoſizione. „ Hæc e legitimis monimentis producimus, quæ ſi a nobis fingi Anonymus judicaret, facillimum nobis foret illum, uti ceterarum, ita hujus calumniæ revincere. Sed quis hac de re poterit hæſitare, quando accuſatio illa Noriſii ex illius quoque Opuſculis comprobatur, accuſationis autem falſitas patet ex ejus vindicationibus, ac repetita librorum ejus ventilatione? Adde Noriſium poſt multas Operum ſuorum diſcuſſiones, non tantum immunem evaſiſſe ab omni cenſoria nota; verum etiam ejuſdem libros eximia commendatione fuiſſe probatos, ipſum vero clariſſimum auctorem a Romanis Pontificibus amplioribus honoribus decoratum: quod in doctrinæ laudem itidem cedit, ut illuſtri exemplo demonſtrat p. 1. pag. 1. Theologiæ Moralis Leonardus Vanroy, necnon P. Niceronius in tertio *Memor.* Volumine, aliique viri præſtantiſſimi. Itaque ex cauſa *Noriſiana* manifeſtiſſimum eſt, eos, qui negant abſque auxilio efficaci potentiam *proxime expeditam* ad implenda præcepta, aut inſcienter admodum, aut inique Janſenianæ hæreſeos inſimulari.

MSS. Arch. ſecreti Angeli. cæ Bibl. tom. 42. pag. 119. 2.

Ibid. pag. 135.

XI. Abſolvam denique hunc paragraphum ratiocinatione planiſſima. Juſtis aliquando deeſt gratia adjuvans, cooperans, & efficax, qua actu adimpleant Dei præcepta. Id primum conſtat experimento. Deinde hoc tenentur concedere omnes illi Theologi, qui negant dari in hoc ſtatu auxilium ſufficiens Moliniſtico ſenſu, illud nempe, quo abſque alio adjutorio liberum arbitrium applicatur ad actum: negant vero tale auxilium ſufficiens ſenſu Moliniſtico quotquot, ut arbitrium applicetur ad actum, exigunt auxilium efficax.

efficax. Tandem id constat ex Theologica ratione petita ex Ecclesiæ orationibus; nam etiam justi, ut perseverent in accepta justitia, debent Deum orare, ac petere speciale adjutorium, sine quo illos perseverare non posse definit Tridentina Synodus sess. 6. can. 22. Si itaque hoc adjutorium justi petunt, illud non habent: *Nam*, ut inquit Augustinus de nat. & gratia cap. 18. num. 20. *quid stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas?* ideoque deest aliquando justis auxilium *proxime sufficiens*, quatenus auxilium *proxime sufficiens* est illud, *quo habito nihil ulterioris adjutorii a Deo dandum supereſt*, ut præcepta possint reapse adimpleri; ut cum Norisio inquiunt Theologi præclarissimi; de quibus §. 2. num. 9. & sequentibus.

Aug. to. x. pag. 335.

§. V.

De aliis Jansenii propositionibus, & de his opposita Thomistarum & Augustinianorum sententia.

DE secunda, tertia & quarta Jansenii propositionibus non opus foret plura dicere; constat enim ex §. 3. Jansenianam hæresim in eo sitam esse, quod Janseniani negent auxilium *sufficiens* distinctum ab *efficaci*, & nolint sub auxilio efficaci consistere *libertatem indifferentiæ*. Ex paragrapho autem proxime præcedenti evidentissimum est, non posse tamquam Jansenianos traduci Theologos asserentes non dari in hoc statu gratiam sufficientem, quæ conferat *potentiam proxime expeditam* ad efficiendum opus, quæ gratia non sit efficax; cum tot, tantique Theologi, quot & quales sunt superius recensiti, doceant illud esse auxilium *proxime sufficiens*, sive illud esse auxilium dans potentiam *in ordine ad actum* completam atque expeditam, quo habito nullum aliud necessarium est, ut liberum arbitrium erumpat in actum; neque in hoc infirmitatis statu auxilium *sine quo non*, seu sufficiens, distinctumque ab auxilio *quo*, seu efficaci, sit eo modo sufficiens, quo erat in Adam; sed *proxime* sufficiens sit, ut repetam Suarezii verba, ad *primam dispositionem*, & respectu *ulterioris actus* sufficiens tantum *remote*. Atque id est apertissime secundam Jansenii propositionem rejicere: nam si in hoc statu datur gratia remote sufficiens, quæ scilicet in nobis producit parvam, remissam, infirmamque voluntatem, cui obsistit concupiscentiæ rebellio, & quæ nondum inspirat voluntatem robustam, validamque, quæ proxime sufficiat ad implenda mandata; consequens est dari in statu naturæ lapsæ interiorem gratiam, cui ab humana voluntate resistitur.

Vide §. 2.

I. Hac ratione affictam sibi Jansenianiani erroris calumniam repellit illustris Noris ad *Germanitatem* decimamquintam: ubi ostendit suam a Jansenio discrepantiam, propterea quod in Vindiciis pag. novæ edit. 895. adductis Augustini testimoniis demonstraverit nos *gratiæ debili, incongruæ, ac remote sufficienti resistere*; cum Jansenius de Gratia Christi * lib. 2. cap. 22. omnem gratiam incongruam rejecerit, scribens, *Nunquam in scriptis suis universis Augustinus illam Christi internam gratiam congruam appellavit, multo minus incongruam, quod aliqui recentiores ausi sunt*. Quibus verbis a Norisio citatis Jansenius hæc alia subjicit: *Cujus rei si quis radicem scire velit, meminisse debet, nullam gratiam actualem ab Augustino pro illa vera Christi gratia agnosci, quam tamquam medicus infirmæ voluntatis attulit, nisi quæ agit & peragit effectum: omnis alia, qualiscunque fuerit, ab ipso ad legem doctrinamque relegatur*. Unde magis apparet negari a Jansenio, quod illa sit gratia Salvatoris, quæ non est efficax, sive, ut ille inquit, *effectum non peragit*. Immo non alia ratione dici *bonam* Jansenius autumat, *nisi quod semper hominem efficiat bonum, & consequenter semper congrua sit, & congrue moveat voluntatem*: Quare juxta Jansenium gratia non congrua, & quæ hominem non efficit bonum, non potest *bona* appellari; ideoque illi plurimum Jansenio adversantur, qui etiam gratiam non congruam, vel sufficientem, quæ effectum non peragit, commendant, utilem prædicant, & Salvatori omnium hominum acceptam referunt. Hoc pacto, ut ajebam, Cardinalis Norisius se una, ac nos simul, qui eadem omnino scripsimus, ubi egimus de Jansenianæ secunda propositione, a veteribus novisque calumniis invicte, naviterque defendit.

Noris tom. 1. column. 1471.

** Citandus erat Jans. lib. 2. cap. 32. sed est error Typographi; Noris enim recte laudat pag. 235. ubi hæc habentur. Jans. ibidem col. 236.*

De Theolog. distipl. tom. 3. pag. 339. 340. & 341.

II. Produxit eo loci Norisius testimonia quædam P. Macedi, qui tom. 2. Collat. 7. diff. 3. sect. 7. pag. 362. probat contra Jansenium dari gratiam inefficacem, cui resistitur, ex quo *tradat Augustinus quasdam gratias parvas & remissas, non efficaces & vehementes, quæ in nobis efficiunt voluntates parvas & infirmas, non validas & robustas, quibus præcepta non implentur, atque adeo cum his operantes in lege Dei deficiunt, nisi ampliori gratia juventur*; & pag. 366. col. 2. *Gratia excitans interdum vincitur, cum parva est, & remissa; interdum vincit, cum est magna & intensa, ut superet resistentiam voluntatis*. Similia nos tom. 3. pag. 336. & 337. ubi hanc doctrinam pluribus Augustini locis confirmavimus. In Norisium itaque, & in P. Macedum, ut alibi monuimus, conviciator insurgit, actitatque causam sæpe iterumque discussam. Qui plura de Norisio, & P. Macedo, horumque sententia scire desiderat, memoria, ac lectione repetat quæ dicta sunt §. secundo hujus dissertationis.

III. Nullatenus vero audiendi sunt novatores, qui reponere solent Jansenium rejeciſſe solummodo gratiam *sensu Molinistico* sufficientem, non autem sufficientem *sensu Thomistico*; nam præterquamquod luculenter ostendimus hoc commentitium, & inane subterfugium esse §. 3. num. 3. innumera alia produci possunt Jansenii testimonia, quibus mendacium istud redarguatur. Rejecta enim lib. 3. *de Gratia Christi* cap. 1. gratia sufficiente, ut traditur a Molinistis, de illa gratia sufficiente, quæ satis est ut homo dicatur posse, quamvis alia adhuc necessaria sit ut de facto operetur, quam gratiam constat esse sufficientem sensu Thomistico, *Talem sufficientem* (inquit Jansenius) *fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis esse veram illam Christi gratiam, de qua quæstio est, pernegaret*. Ac deterius sequenti capite, *Quid homini misero pernicioſius, quam illa gratia abundare qua nemo unquam, fatentibus etiam Scholasticis, nisi majorem damnationem assecutus est?* His autem verbis Jansenius non solum rejicit, sed etiam inutilem ac pernicioſam appellat gratiam sufficientem, & quidem sensu Thomistico. Libro demum x. cap. 2. *Sufficientia adjutoria*, ait Jansenius, *nulla omnino post lapsum sunt*.

Janſ. col. 249. in fine.

Janſ. Ibid. col. 257.

Ibid. pag. 1013.

IV. Inquies fortasse, At nec Jansenius *parvam voluntatem*, & gratiam parvam, *velleitates* excitantem ullibi negat, sed eam aperte adstruit lib. 2. de Gratia cap. 27. aliisque in locis compluribus. Responsionem excipias. Principio quid ad me, si Jansenius sapuit aliquando? Quid etiam, si pugnantia conscripsit? Deinde quid hac objectatione contendis, num Jansenianum esse Norisium, qui profitendo gratiam, qua inspiratur parva ac debilis voluntas, se non esse Jansenianum ostendit? At de viro sapientissimo Romani Censores longe diversum judicium pronuntiarunt; & quem adversarii Jansenianum dixere, Romani Pontifices appellarunt *splendidissimum Ecclesiæ lumen*. Præterea agnovit quidem Jansenius gratiam parvam, sed primo ait non plus illam valere, quam valeat lex & doctrina, scribens in eodem lib. 2. de Gratia Salvatoris cap. 27. *Qui ergo scit Deum super omnia diligendum, spe ac fide colendum, & similia, & nondum ita diligit, sperat, & credit ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem*: & cap. 7. libri decimi, *Quidquid*, inquit, *sufficientis gratiæ . . . . præter istam agendi gratiam* (quæ operatur & perficit effectum suum) *excogitatum est, hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites gratiæ Pelagianæ constitui debet*. Deinde Jansenius existimavit illam gratiam, quæ dat parvam, infirmamque voluntatem, esse gratiam Christi, si comparetur ad ipsam voluntatem parvam, quam tribuit; at negavit esse gratiam Christi, si comparetur ad effectum ad quem inclinat, & ad quem dat potentiam saltem remote sufficientem, ut constat ex præcitato cap. 27. libri 2. ubi post illa verba superius producta, *Qui ergo scit Deum super omnia diligendum, spe ac fide colendum, & similia, & nondum ita diligit, sperat & credit ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem*, immediate prosequitur: *Quamvis interim aliud quippiam quod prævium esse solet, ut verbi gratia, quod in Deo vel caritate ac fide ipsius sibi quoquo modo placeat, illosque actus quadam velleitate desideret, & similia secundum gratiam potuerit didicisse*. Itaque in sensu Jansenii gratia tenuissimum velle inspirans est gratia Salvatoris comparate tantum ad ipsum velle pertenue; & in ordine ad actum, cujus voluntas illa parva inspiratur, est gratia duntaxat Pelagiana: cumque hæc gratia perficiat id, ad quod datur, nempe illud tenuissimum velle, comparate autem ad actum cujus voluntatem inspirat, & quem non perficit, nullatenus sit gratia Christi; sequitur omnem gratiam Christi juxta Jansenium esse efficacem, & nulli interiori gratiæ resisti. Quapropter paullo post adducta verba inquit Jansenius: *Quisquis jam alia divina gratiæ adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deserant si velint, cum quibus tamquam sufficientibus operentur, si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi ut originalis peccati virus evacuet, illæsas liberi arbitrii vires esse, Christum frustra venisse, & gratis mortuum esse persuadeat*. Vide, si plura cupis, *Augustinum Europæum* nostri Philippi Van-Waure egregie mentem Jansenii explicantis lib. 3. de prop. 2. sect. 3. Vide etiam an pravæ Jansenii doctrinæ opponantur quæ nos scripsimus libro XIV. cap. 8. sive tom. 3. pag. 160. & lib. XVII. cap. 3. eo-

Janſ. de Grat. Salvat. lib. 2. cap. 27. colum. 211.

Janſ. colum. 1035. in fine cap. 7.

Janſ. col 210. in fine & 211.

Ibid. colum. 212.

Van-Vvaure pag. 272. & ſeq. edit. Antuerpiæ.

3. eodem tom. 3. pag. 334. & 340. & miraberis calumniantium impoſturas, atque mendacia.

V. Arbitramur utique nos gratiam illam inſpirantem infirmas ac debiles voluntates, quæ eſt ſuo modo *ſufficiens* ad peragendum opus ad quod inclinat, atque ad illud opus foret etiam ſufficiens *proxime*, niſi illi obſiſteret humana voluntas, eſſe efficacem reſpectu earumdem voluntatum debilium & infirmarum; ſed nulla ratione promeretur ſententia hæc noſtra cenſuram aliquam, notamque erroris Janſeniani. In omnium quippe ſententia gratia illa, quæ reſpectu unius actus eſt tantum *ſufficiens*, reſpectu alterius, & qui ſui ipſius immediatus ac proprius eſt, *efficax* eſſe debet. Nam in ſententia Congruiſtarum illa gratia, quæ eſt ſemper *ſufficiens*, dum excitat actus voluntatis atque intellectus, & non eſt *efficax* & *congrua*, ſive quia liberum arbitrium non ei cooperatur, ſive quia non datur in tali congruitate, in qua liberum arbitrium cooperaretur; illa, inquam, gratia reſpectu eorumdem actuum intellectus, & voluntatis, quos excitat, *efficax* eſt: atque ut diximus cum Suareſio §. 2. num. 9. auxilium quod ſupponitur actu datum *includit omnia auxilia prævenientia* in ordine ad priorem diſpoſitionem, & reſpectu ulterioris actus eſt tantum *remote ſufficiens*. Et revera quomodo hi, aliique omnes Theologi demonſtrant dari gratiam *ſufficientem* diſtinctam ab efficaci, niſi quia Deus quibuſdam inſpirat bona deſideria, ut converti poſſint, qui tamen converti nolunt? Niſi quia Deus ſtat ad oſtium & pulſat, nec tamen omnes aperiunt pulſanti? Niſi quia multi vocationem divinam accipiunt, & venire tamen detrectant? Certe hiſce argumentis probat dari *ſufficientem* gratiam ab efficaci diſtinctam Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Gratia & lib. arbitrio cap. 11. cui, ut diximus, omnes alii Theologi hac in parte aſſentiuntur. Gratia ergo *ſufficiens* vocationem divinam, pulſationem, & inſpirata bona deſideria operatur, horumque effectuum comparatione efficax eſt, ſuorumque actuum operatrix.

Bellar. min. to. 4. novæ edit. Ven. pag. 226. col. 2.

VI. Eadem eſt Thomiſtarum opinio: nam Alvarez lib. VIII. de Auxiliis diſput. 80. num. 2. hanc propoſitionem demonſtrat, *Omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus, ſemper efficax eſt reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ voluntatis deſtinatur* &c. prout ſcripſi tom. 3. de Theologicis diſciplinis pag. 160. ubi tamen errore typographi pro *diſput.* 80. impreſſum legitur, *diſp.* 8. Addit eo loci Alvarez: *Hanc ſententiam docent communiter recentiores Thomiſtæ, præſertim M. Medina* 1. 2. *q.* 109. *art.* 10. *circa finem*. Joannes item Gonzales Controv. v. art. 7. theſim iſtam demonſtrat invictis argumentationibus: *Aſſerendum eſt reſolutorie. Auxilium ſufficiens eſt efficax reſpectu actus indeliberati intellectus, & voluntatis, & reſpectu conſultationis de amplectendo fine vel objecto, & reſpectu aliorum actuum imperfectorum, quales ſunt conſideratio pœnarum inferni, turpitudinis peccati, attritionis, &c.* Thomas quoque de Lemos libro IV. Panopliæ parte 2. tract. 3. cap. 7. *Communis*, inquit, *& vera Thomiſtarum ſententia eſt, quod omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus ſemper eſt efficax ratione alterius, ad quem efficiendum ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis divinæ ordinatur*.

Didacus Alvarez de Auxiliis, edit. Lugd. pag. 641.

Gonzales de Leon edit. Leodii pag. 344.

Th. Lemos lib. 4. pag. 56. col. 2.

VII. Evidens hinc eſt latiſſima Thomiſtarum a Janſeniſtis diſcrepantia. Quamquam enim poſteriores Janſeniani jactitent ſe, dum ajunt nunquam interiori gratiæ reſiſti, & ex gratia conſequi neceſſitate bonum opus, ſermonem inſtituere de gratia duntaxat efficaci, & de neceſſitate ſequenti, non rejecta gratia ad ſenſum Thomiſtarum *ſufficiente*, nec libertate indifferentiæ *in actu primo*; manifeſtum eſt tamen hæc inania eſſe ſubterfugia, & Janſeniano ſyſtemati repugnare. Quum enim in hoc ſyſtemate, ſecluſa delectatione victrici, neceſſum ſit ut voluntas in parvis deſideriis & conatibus hæreat; conſequenter gratia, quæ non inſpirat delectationem victricem renitentis concupiſcentiæ, conferre non poteſt veram recte agendi poteſtatem; ſiquidem ubi eſt neceſſitas obtemperandi motibus concupiſcentiæ, nequit eſſe libera poteſtas ab obediendum Deo, nondum conferenti gratiam neceſſariam ad motus illos concupiſcentiæ frænandos. Illa quippe neceſſitas, & libertas conſiſtere ſimul nequeunt. Nec inducta a Janſenianis neceſſitas dici poteſt *neceſſitas conſequens*; quum enim ſoli coactioni opponatur, ac ſit ejuſdem generis ac neceſſitas illa, qua omnes volunt eſſe beati, qua Deus ſeipſum diligit, & qua Sanctorum ſpiritus in cælis adhærent ſummo Bono, ut diximus §. 2. num. 2. eſt neceſſitas *antecedens*, & quæ libertatem indifferentiæ omnino excludit. Igitur Thomiſtæ ab hæreſi, quæ in præmiſſis damnatis propoſitionibus continetur, duplici ex capite diſſident: primo ſcilicet, quoniam etſi naviter pugnent pro gratia illa, quæ *a nullo duro corde reſpuitur*, tradita ab Auguſtino de Prædeſt. SS. cap. 8. num. 13. & hujuſmodi gratiæ nunquam reſiſti concedant; præter hanc tamen gratiam efficacem, & cum actu conjunctam, agnoſcunt *ſufficientem*, quæ ulterius in ſententia Thomiſtarum complurium confert *expeditam completamque potentiam*, & huic gratiæ reſiſti concedunt, alieni propterea a Janſenio, qui nullam Salvatoris agnovit gratiam, ea excepta, quæ effectum infallibiliter operatur, ut conſtat ex libro 2. de Grat. Chriſti cap. 17. & 25. atque ex aliis locis, de quibus num. 1. & 4. necnon §. 3. num. 3. Alio etiam in capite Janſenianis Thomiſtæ adverſantur, quod hi propugnantes neceſſitatem gratiæ victricis ut voluntas applicetur ad actum, tametſi doceant non poſſe cum eadem gratia componi diſſenſum & reluctantiam, quod eſt idem ac adſtruere neceſſitatem tantummo *conſequentem*, nihilo tamen minus liberum arbitrium *in actu primo* immunem a neceſſitate fatentur; contra vero Janſenius libertatem indifferentiæ penitus e medio ſuſtulit, ut ſæpenumero dictum eſt.

VIII. Quemadmodum Thomiſtæ, ita Auguſtiniani, qui duarum delectationum propugnant ſyſtema, diſtant a Janſenianis erroribus quamlongiſſime. Non enim parvam, robuſtamque delectationem in alio ſenſu defendunt, niſi in quo laudati Thomiſtæ explicant ſufficientis, & efficacis gratiæ energiam. Et quanquam id aſſerat, demonſtretque Antoninus Maſſoulié inter Thomiſtas illuſtris, ut diximus §. 2. num. 6. lubet tamen rurſus idem confirmare expedita ac brevi Auguſtiniani ſyſtematis cum Thomiſtico collatione. Principio itaque Thomiſtæ docent ſufficientem gratiam eſſe omnino idem, ac excitantem, & nihil eſſe aliud, *quam vocationem, & tactum, quo Deus cor hominis tangit per illuminationem intellectus, & excitationem voluntatis*, ut inquit prælaudatus Alvarez diſp. 74. num. 1. atque nos pariter ſufficientem gratiam illam appellamus, quæ excitat *pium animi motum*, & *bonam voluntatem*, ut diximus lib. 14. cap. 8. Illi inquiunt auxilium ſufficiens dici efficax *comparatione actus imperfecti*, quem producit, ſufficiens vero comparatione effectus, ad quem excitat, & *ad quem ultimate ordinatur*, ut conſtat ex præcedenti num. 6. atque ex ipſo Alvarez diſp. 80. num. 2. & nos itidem ſcripſimus citato cap. 8. *Gratia ſufficiens, quæ imperfectum actum, aliquam ſcilicet mentis colluſtrationem, ac pium voluntatis motum producit, etiamſi ad actum non trahat, ex ſe ad illum ordinatur, ad illum excitat, ad illum etiam, niſi reluctaret perverſa voluntas, foret efficax*. Auxilio ſufficienti hoc adſcribunt Thomiſtæ, quod tribuat *poſſe*; non tamen ut dicatur ſufficiens requirunt quod ſit ita ſufficiens, ut ad operandum non ſit neceſſarium *aliud auxilium tribuens actualiter operari*, ut ait prælaudatus Alvarez diſp. 79. n. 4. & 5. ac nos pariter *fatemur per gratiam ſufficientem dari nobis poteſtatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam, ſed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax*; & rurſus *in pia illa affectione, quam per gratiam ſufficientem nos dicimus hominibus inſpirari, tribuitur operis non quidem executio, ſed vera poteſtas, quamquam non ita expedita, ut reipſa prodeat in actum*: ideoque *ſufficiens eſt gratia quælibet, quantumvis minima, licet requiratur gratia prædeterminans, ut ad actum reapſe applicetur*. Habes ergo circa ſufficientis gratiæ definitionem, effectum, atque energiam Auguſtinianos, ac Thomiſtas omnino conſentientes.

Alv. pag. 618.

De Th. diſc. to. 3. pag. 148.

Alv. pag. 641. De Theolog. diſcipl. to. 3. pag. 160.

Alvarez pag. 639. De Theolog. diſcipl. pag. 156. 161. 343.

IX. Videndum modo, num iiſdem principiis innitatur Thomiſticum, & Auguſtinianum ſyſtema, quantum ad Gratiam ſemetipſa efficacem. Profecto hujuſmodi gratiæ adverſantes nobis æque, ac Thomiſtis opponere dogma Janſenianum vidimus in præfatione præcedentis voluminis: & eadem ratione, iiſdemque monumentis utroſque defendere inconcuſſa Majorum noſtrorum ſtatuta evincit primus hujus diſſertationis §. numer. 10. 11. & 12. Poſtulat ergo ratio neceſſitudinis, ut quemadmodum ſimul impetimur, & proſcindimur, ita juncto fœdere, collatiſque viribus adverſantium conatus reprimere ſtudeamus. Me itaque doctiſſimorum virorum fidei, & clientelæ committens, quid de gratia victrici ſtatuerim, abſque ulla ambiguitate proponam. Acceperam a Didaco Alvarez (hunc unum in præſentia laudo, quoniam de Auxiliis accuratiſſime pertractat, atque in his, quæ modo in controverſia poſita ſunt, habet conſentientes Thomiſtas omnes) acceperam, inquam, a Didaco Alvarez diſput. 83. numer. 8. auxilii efficacitatem *non dependere ex complexione naturali ſubjecti, neque ex aliis accidentibus illius, & auxilia efficacia infallibiliter inducere effectum, ad quem dantur, & hanc certitudinem & infallibilitatem non fundari in præſcientia media*: atque his quamlibenter ſubſcribens lib. 14. cap. 8. affirmavi, *quod Deus adjuvet illum tantum, iſtum non*

Alv. pag. 665. & 668.

Tom. 3. de Theol. diſcipl. pag. 161. Alv. pag. 687.

non tantum, non pendere a circumſtantiis extrinſecis perſonæ, loci vel temporis, neque a præſcientia boni uſus arbitrii, ſed a ſecretæ æquitatis ratione, & poteſtatis divinæ excellentia; & cap. 9. *Sententia eſt Thomiſtarum, & Auguſtinenſium omnium, gratiam efficacem eſſe ſe ipſa, non talem reddi aut cooperatione liberi arbitrii, aut ex circumſtantiis congruis, atque certiſſime & infallibiliter cum effectu conjunctam eſſe*. Omnino itaque in explicanda gratiæ efficacitate, ejuſque origine repetenda a Dei voluntate ac poteſtate, ſecluſa ſcientia media, & Congruiſtarum circumlocutionibus rejectis, cum Schola Thomiſtica convenimus. Deinde concordiſſimi quoque ſumus in eadem gratia efficaci definienda, & demonſtranda. Alvarez enim diſput. 82. num. 3. ait illud eſſe auxilium efficax, *quo Deus facit ut faciamus, & operatur ut operemur, non ſolum ſuadendo, alliciendo, invitando, aut aliter, etiam interius, moraliter attrahendo, ſed etiam vere, & efficaciter faciendo, ut ipſum arbitrium a Deo motum, & excitatum ſe libere determinet ad operandum, & operetur*. Id vero probat ex verbis Ezech. 36. 26. ex Auguſtino de Prædeſt. SS. cap. 10. & de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. Atque hæc omnia iiſdem fere verbis, & productis iiſdem omnino Auguſtinianis teſtimoniis tradita & comprobata inveniuntur præcitato capite 9. libri XIV. Theologicarum diſciplinarum. Igitur etiam in Gratia efficaci deſcribenda, & in delectu argumentationum, quibus defenditur, conjuncti Thomiſtis ſumus fœdere indiſſolubili. Poſtremo, quod attinet ad modum operandi ejuſdem gratiæ effectricis, nil in Thomiſtarum & Auguſtinenſium libris uſitatius, nil expreſſum magis & frequens, quam ex Gratia efficaci conſequi effectum infallibiliter, nec poſſe cum illa componi voluntatis diſſenſum, at nihilominus effectum conſequi illæſa penitus libertate. Quapropter Alvarez diſput. 122. num. 17. inquit: *Poſita gratia efficaci in libero arbitrio, infallibiliter ſequitur, quod ipſum liberum arbitrium pie operetur, ut hæc duo ſimul ſint incompoſſibilia, quod ſcilicet gratia efficax ponatur in homine, & homo actu diſſentiat*: & num. 20. *Per gratiam prævenientem prædicto modo efficacem non deſtruitur libertas arbitrii, nec uſus actualis illius impeditur*. Ego itidem lib. 14. cap. 11. hæc ſcripſi: *Aliud eſt poſſe diſſentiri, aliud diſſentiri reapſe: ſtat quippe ſine actu potentia, & plura poſſumus facere, quæ non facimus: dum excitamur auxilio efficaci, infallibiliter aſſentimur: poſſumus tamen non aſſentiri: infallibilitas actus excludit negationem actus, minime vero infert negationem potentiæ ad non agendum*. Sive ergo de gratia ſufficienti, ſive de gratia efficaci loquamur, paucis exceptis, quæ ad inſtitutam velitationem nequaquam ſpectant, eamdem ſententiam Thomiſtæ & Auguſtiniani propugnant.

X. Dixi, *paucis exceptis*. Haud enim immemor ſum eorum, quæ animadverti tom. 3. pag. 149. ſentire nempe Thomiſtas, *quod auxilium ſufficiens & efficax inter ſe ſpecie differant, & natura*. Verum hæc opinio, licet communior, non eſt tamen in Thomiſtarum Scholis unica: neque ad rejiciendam Janſenianam hæreſim neceſſum eſt gratiam ſufficientem ſtatuere ab efficaci, ut inquiunt Scholaſtici, *entitative* diſtinctam; ſed ſatis eſt, ſi admittatur aliqua gratia Chriſti, cui voluntas humana reſiſtat, & ſi agnoſcatur ſub gratia efficaci illæſa & immunis a neceſſitate libertas. Demonſtravi enim §. 2. num. 4. & ſeq. etiam inter Thomiſtas adinveniri Theologos præſtantiſſimos, qui docent eamdem gratiam, quæ in uno eſt efficax, in altero eſſe tantum ſufficientem, neque *entitate ſua* efficacem a ſufficiente diſtingui, ſed penes intenſionem graduum, quibus ſuperat malitiam voluntatis humanæ; atque id ab Antonino Maſſouliè cenſeri percommodum ad explicandum, quomodo ſi non ſequatur effectus, minime id oriatur ex divina motione, ſed ex prava hominis reluctantia; quæ niſi foret adeo pervicax & effrænis, ultro eidem divinæ motioni ſubjiceretur, eique voluntas libere obtemperaret. Nulla ergo ratione ad Janſenianam ſpectat hæreſim, quod *entitativam* illam auxiliorum diſtinctionem rejicias, vel tradas. Immo ſi hæc eſſet Janſeniſmi teſſera; non tantum Maſſouliè, & huic adhærentes Thomiſtæ a Graveſonio commendati, verum etiam Mediſtæ, & Congruiſtæ omnes non poſſent notam Janſeniani erroris effugere. Quiſquis enim ait gratiam eſſe efficacem ex cooperatione voluntatis humanæ, aut ex loci, ac temporis congruitate, nequit diſtinctionem illam admittere: ſed aſſerere debet *gratiam efficacem non includere rem aliquam, vel motionem, vel qualitatem, vel quidquid illud ſit, quam non includit gratia non efficax*, ut inquit Suarez lib. 3. de Auxiliis cap. 14. ſive, ut inquit auctor nuperrimus, *adjutorium* ſine quo, & quo *eſſe unum, & idem entitative, diſtinctumque penes adjunctum extrinſecum*. Ab hac tamen Congruiſtarum ſententia eos longe recedere, qui negant motioni efficaci antecedere ex parte Dei præſcientiam conditionatam, oſtendimus §. 2. num. 8.

XI. Gratiam quoque gradus habere ſuos, quamquam id non omnes eadem ratione exponant, & a nobis quidam diſſentiant, nobiſcum tamen fatentur, eodemque prorſus modo explanant ſuperius recenſiti Joannes Gonzales, Antoninus Maſſouliè, aliique, de quibus §. 2. num. 4. 5. & 6. Qualemcumque autem viam ineant, Auguſtinenſes, ac Thomiſtæ ſinguli affirmant cum Auguſtino lib. 2. de peccat. mer. cap. 5. a Deo *illum adjuvari tantum, illum autem non tantum, iſtum illo, illum iſto modo*; cum D. Angelico 1. 2. q. 112. art. 2. ad 3. *quandoque hominem a Deo moveri ad aliquod bonum, non autem perfectum*, quandoque autem *ſtatim perfecte moveri, & ſubito gratiam*, ſanctificantem, *accipere*: & 2. 2. q. 34. art. 3. ad 1. *Spiritum Sanctum movere mentem hominis plus, vel minus, ſecundum ſuam voluntatem*. At quid eſt adjuvare illum tantum? quid eſt excitare quandoque ad bonum non perfectum, quandoque vero ad perfectum? quid eſt movere plus, vel minus, niſi in uno per gratiam prævenientem pium duntaxat deſiderium, & conceptionem quamdam virtutis, in altero fidem & converſionem, in quibuſdam ſtatim flagrantiſſimam caritatem divina inſpiratione producere? Hoc quidem nos, non alio modo, gradus, energiam, & œconomiam gratiæ explicavimus tom. 3. pag. 155. parum in verbis, nihil in re a Thomiſtarum doctiſſimis diſcrepantes.

XII. Ulterius ſi differentia eſt aliqua in expedienda ea quæſtione, quæ omnium eſt difficillima, quomodo ſcilicet cum gratia efficaci cohæreat humana libertas: unanimiter tamen Auguſtiniani ac Thomiſtæ fatemur dari in ſtatu naturæ lapſæ ſub gratia victrici *libertatem indifferentiæ*, quam denegare præcipuus character eſt dogmatis Janſeniani, ut oſtendimus §. 3. num. 2. Quantum vero operis pro ipſa libertate indifferentiæ vindicanda tom. 3. a pag. 265. uſque ad pag. 299. atque in aliis locis compluribus contra Janſenianos impenderim, neceſſum non eſt in mentem legentium revocare. Certe pernicioſum iſtud hæreſeos caput non vitavimus modo, ſed præcidimus atque amputavimus. Quod ſi in concilianda libertate cum gratia ego uſus ubique ſum regula, quam præmiſi tom. 1. pag. 278. eo loci omnes alias, quæ a Thomiſtis adhibentur, produxi, explicavi, & ad unum eumdemque ſenſum redegi. Immo ipſam regulam ab Antonino Maſſouliè prius traditam, doctrinæ Sancti Thomæ concordem eſſe, apparet ex præcedenti §. 3. num. 8. Hæc cum ita ſint, manifeſtiſſimum puto, quomodo Thomiſtæ, & Auguſtiniani Theologi eodem prorſus modo adverſentur hæreſi Janſenianæ, idem de gratia ſufficienti, idem de gratia efficaci, idem de libertate indifferentiæ tradentes, paucis illis exceptis, quæ nuper commemoravi, & quæ nullam ingerere poſſunt Janſeniani erroris ſuſpicionem.

XIII. Quod ergo diximus num. 7. de ſententia inter Thomiſtas communiori, diſtare illam quammaxime a Janſeniana, aſſerendum quoque eſt de noſtra conſtituente gratiam efficacem in delectatione victrici. Hinc Antonius Boucat, qui Thomiſtis ubique adhæret, diſſert. 3. de Gratia art. 4. ſect. 2. ait, Janſenium innixum eiſdem Calvini principiis, defendere *gratiam per ſe efficacem, eamque neceſſitantem*, quoniam repetit ejuſdem *efficaciam a delectatione cæleſti indifferentiam voluntatis activam abſorbente*: addit ita gratiæ & concupiſcentiæ gradus a Janſenio conſtitui, ut inde conſequatur libertatis exitium, quoniam in ejus ſyſtemate *delectatio ſuperabundans neceſſario applicat voluntatem ad actum. V. G. ſi adſint quatuor concupiſcentiæ gradus, gratiæ vero tantum duo, delectatio terrena vincit cæleſtem, & neceſſario compellit voluntatem ad peccandum*; & conſequenter demonſtrat Auguſtinianum ſyſtema longe diſtare a Janſeniano. 1. *quia Janſenius contendit delectationem in gradu ſuperiori concupiſcentiæ neceſſario trahere voluntatem ad bonum: Theologi vero Orthodoxi libere, & electione præſuppoſita*. 2. *Janſenius ſcribit delectationem cæleſtem in gradu inferiorem delectatione terrena iſtam non poſſe ſuperare, adeoque in hac hypotheſi hominem neceſſario compelli ad peccandum: ab hoc propoſito abhorrent alii Theologi, & contendunt quamlibet delectationem cæleſtem poſſe vincere oppoſitam*; adjicitque Boucatius diſcrimina alia; 3. quia Janſenius docet *nullam eſſe gratiam ſufficientem*: alii autem Theologi *gratias ſufficientes admittunt*. 4. Janſenius autem aliquem eo ipſo liberum dicit, *quo fit ſpontanee & cum advertentia*: alii inſuper requirunt, *ut procedat elective a potentia*. 5. Janſenius ait, *impoſſibile eſſe poſita delectatione ſuperiori elicere actum oppoſitum*: ſed contra alii *omnem procul faciunt impoſſibilitatem, & docent voluntatem manere liberam ſub dominio tam gratiæ, quam concupiſcentiæ*. 6. Janſenius reponit totam gratiæ energiam *in delectatione cæleſti*; alii vero in

De Theolog. diſcipl. pag. 167.

Aug. tom. 10. pag. 43.

S. Th. tom. XI. pag. 238.

Idem tom. 12. pag. 36.

Alv. pag. 981. & 983.

De Th. diſcipl. pag. 198.

Vide de Th. diſcipl. tom. 1. p. 375. & tom. 3. pag. 197.

Vide §. 2. n. 25.

Suarez Opuſc. 3. pag. 317. ed. Lugd.

Em. Ignat. de la Riguera in Praxim Th. Myſticæ l. 7. q. 3. n. 488. t. 2. pag. 308.

Bouvat tom. 7. pag. 922. edit. Rothomagi.

Ibid. pag. 343.

in delectatione simul, & maxime *in virtute intrinseca gratiæ*. Denique concludit Boucat: *Theologi, de quibus agitur, damnant quinque propositiones, & contrarias ex professo docent, remanente perfecta gratiæ cum libero arbitrio concordia*. Hæc, licet in plura divisa capita, commonstrant duos illos Jansenianæ systematis characteres, de quibus egi §. 3. & evincunt procul recedere ab hæresi, quam continent secunda, tertia, & quarta Jansenii propositiones, Augustinianos pariter ac Thomistas, qui sufficientem gratiam, cui resistitur, & gratiam effectricem, quæ libertatem indifferentiæ non aufert, firmiter profitentur, unanimiter tradunt, invicte propugnant.

§. VI.

Agitur de postrema Jansenii propositione, a Thomistis, & ab Augustinianis eodem modo rejecta.

JAm de quinta Jansenii propositione dicturus sum, quam Antijansenianæ nonnulli ita exponentes, ut ex Christi morte, quam subiit pro universis hominibus, consequi debeat, quod universis actu conferantur auxilia sufficientia, Catholicorum sententiam cum hæresi Jansenianæ manifeste confundunt; cum certissimum sit plurimos Catholicorum sentire, per Christi mortem, quemadmodum per voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes, parata quidem esse universis sufficientia divinarum gratiarum auxilia, non tamen universis applicari. Illius itaque propositionis, *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, damnatus sensus est: Christus non est mortuus pro reprobis, & iis, qui æternam salutem non consequuntur; a quo sensu quamlongissime distant, qui docent Christum etiam pro reprobis mortem obiisse, etiam pro eorum salute Patrem orasse, & pretiosi sanguinis sui pretium obtulisse, etiam pro illis instituisse Sacramenta, & peccatorum remedia, omnemque gratiam ad salutem capessendam quomodolibet necessariam promeruisse; tametsi gratiarum applicatio non omnibus adhibeatur, occulto quidem, sed tamen justissimo judicio, quo etiam post redemptionem peractam communis est universis hominibus natura, non gratia.

I. Jansenii mentem principio manifestant ipsa damnatæ propositionis verba, quæ negant Christum pro omnibus pertulisse mortem, crucisque supplicium; de præparatione autem divinorum auxiliorum nil exprimunt. Accedunt quæ de illa propositione scripsimus tom. 3. pag. 347., Jansenium affirmasse Christum tam pro reprobis mortuum non esse, quam pro dæmonibus, quod sciverit decretum prædestinationis nullius pretii oblatione mutatum iri. *Ex quo factum est* (inquit) *ut non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit*. Et quamquam eo loci Jansenius scribat Christum, si quid pro reprobis rogavit Patrem, rogasse tantum *pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus*, & pro iisdem obtinendis obtulisse pretium & fudisse sanguinem suum; quorum temporalium effectuum dæmones nequeunt esse participes: nihilominus in ordine *ad æternam liberationem*, nullo pacto juxta Jansenium Christus pro reprobis mortuus est, sicuti nullo pacto mortuus est pro diabolo; ideoque noluit Jansenius pro reprobis instituta fuisse, ac parata remedia, & gratiarum auxilia, quibus queant *æternam liberationem* adipisci, sicuti remedia illa atque auxilia pro diabolo nec instituta fuerunt, nec præparata. Deinde Jansenius rotundis, quadratisque verbis negat sufficientia adjutoria reprobis omnibus fuisse parata. *Hæc igitur Sancti Augustini principia quisquis perceperit* (inquit Jansenius lib. decimo de Grat. Salvatoris cap. 2.) *jam facile videt, non posse statui, quod recentiores plerumque solent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos salvos fieri, ex qua voluntate non solum generalia redemptionis remedia, sed etiam sufficientia adjutoria omnibus etiam reprobis* PRÆPARAVERIT. Vides Jansenium auxilia sufficientia omnis reprobis etiam *præparata* negasse? Idem Jansenius repetit cap. 3. ejusdem libri, ubi ait: *Nam quod Scholastici plerique putant, Deum post hominem lapsum habere adhuc voluntatem salvandi omnes omnino nemine excepto, & ex illa voluntate omnibus etiam reprobis sufficientem non solum redemptionem, sed etiam gratiam præparasse, ab Augustini doctrina prorsus dissentaneum est*. Apertissima demum Jansenii sententia est, pro illis duntaxat Redemptorem nostrum oppetiisse mortem, quibus actu gratia effectrix, seu operationis confertur, & quos in suæ prædestinationis decreto Deus a massa perditionis segregavit. Nam lib. 3. de Gratia Christi capit. 20. ita Jansenius loquitur: *Omnibus illis pro quibus sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint & faciant id, quod ab eis volendum & faciendum esse decrevit*.

Jan. lib. 3. de Grat. Salv. cap. 20. col. 390.

Jan. de Grat. Salv. col. 1013.

Jan. de Grat. lib. 10. cap. 3. col. 1018.

Jan. col. 368.

II. Ex iis evidenter consequitur, quod si ex denegatione sive non applicatione gratiæ sufficientis fas esset inferre Christum non esse mortuum pro omnibus, aut non esse in Deo voluntatem generalem salvandi omnes; idem inferri deberet ex denegatione, sive non applicatione gratiæ efficacis: cumque omnes Theologi doceant non dari omnibus reprobis gratiam efficacem, & congruam; sequeretur omnes Theologos esse Jansenianos. Enimvero si valeret hæc adversariorum nostrorum argumentatio: *Idcirco Jansenius negavit Christum esse mortuum pro omnibus, quia negavit omnibus applicari auxilia sufficientia. F. Berti negat omnibus applicari auxilia sufficientia. Ergo F. Berti cum Jansenio negat Christum esse mortuum pro omnibus*; valida pariter, imo potiori ratione foret argumentatio ista: *Jansenius idcirco negavit Christum mortuum esse pro omnibus, quia negavit omnibus conferri auxilium illud sufficiens, quo non solum possint, sed etiam velint, & faciant id, quod ab eis volendum & faciendum esse decrevit. Sed omnes Theologi, qui propugnant gratiam per se efficacem, aut congruam, quæ utique non omnibus confertur, negant omnibus applicari auxilium illud sufficiens, quo non solum possint, sed etiam velint, & faciant id, quod ab eis Deus volendum & faciendum esse decrevit. Ergo omnes Theologi, qui propugnant gratiam per se efficacem, aut congruam, negant cum Jansenio Christum mortuum esse pro omnibus*. Dixi postremam hanc argumentationem potiori jure, quam primam, validam futuram fore; quoniam Jansenius ait omnibus, pro quibus Christus sanguinem fudit, dari auxilium sufficiens, non qualecunque, sed ita sufficiens, ut eo adjuti *non solum possint, sed etiam velint, & faciant*; quemadmodum constat ex productis Jansenii verbis, nec non ex altero Jansenianæ erroris capite, quod omne auxilium sufficiens sit actu efficax, atque in hoc statu nulli interiori gratiæ resistatur. Ergone Jansenianæ erunt omnes FF. Prædicatores, omnes Augustinenses, omnes Venerabiles Congruistæ? Quidni? Jansenianissimi, si mors Christi pro omnibus sit comprobanda ex actuali participatione illius auxilii, quo homines & volunt & faciunt. Sed absit, ut hinc comprobanda dicatur.

Vide Jan. Red. pag. 251.

III. Quid ergo ex morte Christi pro omnibus, atque ex divina antecedente voluntate salvandi omnes infertur? Quid catholice sentiendum est? quid relinquitur disputationibus Scholasticorum? Dicam, & dicam aliorum verbis, ne propriæ opinionis amore decipiar. Dominicani primum audiantur, deinde Nostrates. Ergo Thomas de Lemos in Panoplia lib. 4. tract. 3. cap. 11. ubi quærit, *quibus detur auxilium sufficiens, quo possint ea facere, quæ pertinent ad salutem*, num. 147. inquit: *Dicendum primo, si sermo sit de auxiliis divinæ gratiæ extrinsecis, indubitatum debet esse, quod Deus omnibus in universum hominibus, nullo dempto, illa tribuat, omnibus illa proponat & offerat, quantum est ex parte sua, licet de facto aliqui ea non recipiant propter altius Dei judicium. Veritas ista efficaciter probatur primo argumentis in oppositum; illam enim tradunt Scripturæ Sacræ testimonia ibi inducta, multaque Sanctorum Patrum dicta. Et ratio est manifesta; nam Christus Deus pro omnibus quoad sufficientiam mortuus est, pro omnibus Sacramenta instituit, omnibus seipsum præbuit exemplum, Scripturam Sacram, & Legem pro omnibus tulit, omnique creaturæ præcepit Apostolis ut Evangelium prædicarent*. Quantum vero ad auxilia *intrinseca*, num. 148. ait Lemosius data fuisse primo homini; num. 149. inquit dari justificatis; num. 153. *regulariter* auxilia sufficientia dari etiam fidelibus. Cap. 12. num. 163. pag. 68. demonstrat *non omnibus infidelibus tribui de facto supernaturale intrinsecum auxilium sufficiens immediate ad credendum, aut ad immediate eliciendum alios actus ex objecto, & sua substantia supernaturales, ita quod non omnes illud de facto recipiunt, sed multis illud denegatur in pœnam peccatorum, saltem in pœnam peccati originalis*: quod probat duodecimo illo, ac tribus sequentibus capitulis. Decimosexto pag. 81. demonstrat, divinum sufficiens adjutorium juste denegari etiam *fidelibus aliquibus, magnis tamen peccatoribus, utpote excæcatis & obduratis*; & proximo cap. 17. num. 261. pag. 87. solvens postremam objectionem inquit: *Tandem alia duo testimonia etiam similia opponebantur pro auxilio sufficienti omnibus dando. Primum ex Apostolo asserente, quod* pro omnibus mortuus est Christus, *& ex alio consimili*, Qui est Salvator omnium, maxime fidelium. *Ad quæ tamen dicendum, hæc solum probare mortem Christi Domini quoad sufficientiam fuisse pro omnibus hominibus totius mundi; taliter quod in se sufficientiam habeat ad omnes salvandum ob magnitudinem pretii infiniti quod habet; non tamen inde deduci, quod de facto omnibus hominibus applicatum fuerit reme-*

Thomas Lemos tom. 4. tract. 3. pag. 65. col. 1.

remedium ſupernaturale ſufficiens paſſionis Chriſti, ut patet de parvulis, qui vel in uteris maternis, vel etiam ſine baptiſmo decedunt; quibus certe ſufficiens ſupernaturale aliquod remedium paſſionis Chriſti applicatum non eſt; cum tamen etiam pro ipſis quoad ſufficientiam Chriſtus mortuus fuerit ſine dubio. Quamvis enim pro omnibus mortuus ſit Chriſtus, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt; ſed illi duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur, ſive efficaciter, ſive ſufficienter: etenim auxilium ſufficiens ſupernaturale etiam communicatur ex merito paſſionis Chriſti. Unde ſicut omnibus non communicatur meritum paſſionis Chriſti, etiam nec omnibus communicatur auxilium ſupernaturale gratiæ ſufficiens. Hæc Lemoſius. Sed quoniam hoc in loco parvulorum mentionem fecit; audias, quæſo, quæ docet tom. 2. tract. 4. de Reprobatione cap. 21. & 22. Demonſtrat cap. 21. *quod parvulis ſine baptiſmo decedentibus nullum ſufficiens ſalutis remedium Deus vult applicare;* & num. 310. proponit ſibi adverſariorum potiſſima fundamenta: *Primo, quia Deus voluit dare Chriſtum Redemptorem pro omnibus nullo excepto: ergo omnibus per Chriſtum voluit dare ſufficientia remedia ad ſalutem;* & num. 212. *Quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri; ergo cum in hac voluntate includantur omnes parvuli, omnibus illis vult baptiſmum conferre, quantum in ſe eſt.* Quid ad hæc Lemoſius? Reſp. ad 1. num. 323. non diſſimilem olim fuiſſe argumentationem Maſſilienſium, cui reſpondet S. Proſper ad cap. Gallorum reſp. 9. & ad objectiones Vincentianas reſp. 1. & Proſperi reſponſionibus productis, quæ ſane non ajunt auxilia ſufficientia dari omnibus, ſed Chriſtum mortuum eſſe *propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam a Domino noſtro in veritate ſuſceptam:* & num. 325. ita Thomas de Lemos ait: *Non enim requiritur ad hoc, ut cum omni proprietate Chriſtus dicatur omnium Redemptor quoad ſufficientiam* (ut dicitur a Proſpero) *quod in omnibus de facto ſufficientia remedia applicentur, ſed quod in ſe habeat ſufficientem virtutem, & talem pretii magnitudinem, qua poſſint ſufficientiſſime omnes redimi ac ſalvari: quod autem aliquibus non applicetur, ad alia pertinet divina judicia.* Et ne dicas etiam Janſenium agnoviſſe pretii ſufficientiam, ac magnitudinem, ita num. 326. Thomas de Lemos proſequitur: *Propter aliam etiam rationem cum proprietate dicitur Chriſtus omnium in univerſum Redemptor atque Salvator; quia videlicet ſufficientia pro omnibus inſtituit ſalutis remedia, nullo ſive adulto, ſive parvulo excepto. Hæc ſolutio S. Thomæ eſt, hoc enim modo explicat ſemper, quod Chriſtus eſt omnium in univerſum Redemptor atque Salvator quoad ſufficientiam, & quod omnes ſua paſſione cauſaliter a peccatis liberaverit, ideſt, inſtituendo cauſam noſtræ liberationis, ex qua poſſent quæcunque peccata & quandocumque remitti, vel præterita, vel præſentia, vel futura: ſicut ſi medicus conficiat medicinam, ex qua poſſint quicunque morbi ſanari etiam in futurum, &c.* Addit num. 328. *Eſt & tertia alia ratio, ob quam optime ſalvatur, quod omnium in univerſum ſit Chriſtus Redemptor quoad ſufficientiam, qua videlicet omnes in ſtatu vitæ hujus poſſunt per Chriſtum obtinere ſufficiens ſalutis remedium, omnibus enim illud poteſt Chriſtus dare: unde S. Thomas* 3. p. q. 8. art. 3. in corp. & ſolut. ad 1. *docet, quod licet infideles non ſunt actu uniti Chriſto, ſunt tamen illi uniti in potentia, quia poſſunt illi uniri, &c.* De voluntate autem antecedenti affirmat ibidem n. 231. pag. 311. Lemoſius, *Hujus voluntatis volentis omnes homines ſalvos fieri non eſſe effectum dare de facto auxilia ſufficientia, ſed hujus voluntatis effectus eſt dare omnibus naturam ad beatitudinem ordinatam, ut docet S. Thomas* q. 23. de verit. art. 2. in fine corp. *Similiter effectus illius antecedentis voluntatis eſt dare omnia naturalia & gratuita, quæ generaliter pro omnibus inſtituta ſunt, ut divina præcepta, ſancta conſilia, divina inſtituta Sacramenta, quæ æqualiter ex vi illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, pro omnibus ordinata ſunt, ut S. Thomas exponit in* 1. diſt. 46. art. 1. *ut ſupra dictum eſt.* Eadem inſignis Theologus docet Tract. v. de Chriſti Domini prædeſt. cap. 28. ubi num. 277. inquit, ut Chriſtus cum omni proprietate dicatur omnium in univerſum Salvator, ſatis eſſe, *quod virtutem ſufficientem habeat ad omnes ſalvandos, & quod pro omnibus, nullo excepto, ſalutis remedia inſtituerit; & quod omnibus in univerſum poſſit Chriſtus illa ſalutis ſufficientia remedia dare: & quod omnibus talia auxilia ſufficientia per Chriſtum ſint expoſita & parata.* Hæc ſi unquam Anonymus legerit, quid obſecro, dicturus eſt, niſi forte, Quæ dixi commenta *Bertiniana*, ſunt Thomæ de Lemos aſſerta? Nonne ego eadem ratione explicavi voluntatem antecedentem ſalvandi omnes libro v. cap. 1. & mortem Chriſti pro omnibus libro XVII. cap. 4.? Appello tantummodo lectorum oculos.

Lemos tom. 2. pag. 308. & 310.

Tom. 2. pag. 364. col. 2.

Tom. 1. de Theol. diſcipl. pag. 386. tom. 3. pag. 355.

IV. Neque exiſtimes hanc eſſe unius Lemoſii ſententiam, adeo, ut excuſandus ſit Anonymus, qui unum tantummodo auctorem non viderit, ceteros tamen omnes pervolutaverit. Vereor enim, ne ullum omnino luſtraverit: nam & fere nunquam inſignem aliquem Theologum laudat, ſed, quaſi magnus eſſet Apollo, ſolus pronuntiat ex cathedra; & ſi laudat, ut ſemel facit, Antoninum Maſſouliè, & Gabrielem Vaſquez, extra ollam diſſiliit: nam horum primus, ut evidenter demonſtravi, ſententiam tradidit noſtram, alter vero, ut dicam infra, in *Janſeniſmo Redivivo* pag. 243. falſo, calumnioſe, atque imperite in medium adducitur. Sane quod ait Lemoſius, pleniſſimis calculis approbant reliqui Thomiſtarum. Nam Joannes Baptiſta Gonet de Volunt. diſp. III. art. 5. num. 99. ait: *Per voluntatem antecedentem Deum præparare media, ſeu auxilia, quibus homines ſufficienter ordinentur, & promoveantur in vitam æternam*, affirmans ita communiter docere Thomiſtas contra Janſenium, qui aſſerit voluntatem illam ſalvandi omnes in ſtatu naturæ lapſæ *omnino ſterilem & infructuoſam eſſe*, & per illam non conferri tantum, ſed nec *præparari* ſufficiens aliquod auxilium ad ſalutem. Utitur eo loci Gonetus hac comparatione, *Sicut medicus, qui aperit apothecam, omne remediorum genus pro infirmitatibus continentem, & omnibus patentem eam ponit, dicitur velle quantum eſt ex ſe omnes ſanare, licet talia remedia omnibus non applicet; imo forte aliqua ex illis per accidens alicui vel aliquibus non ſint applicabilia; ita etiam Deus ex voluntate illa generali & antecedenti, qua vult omnes homines ſalvos fieri, pro omnibus præparat aliqua media & remedia, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia, quamvis per talem voluntatem illa omnibus non conferat nec applicet, imo interdum aliqua ex illis non ſint proxime applicabilia, ut contingit in parvulis in utero materno decedentibus, quibus baptiſmus, quamvis pro illis præparatus, & a Chriſto inſtitutus, non eſt proxime applicabilis.* Idem Gonet de Prædeſtin. diſp. v. art. 5. diſputationem inſtituit, *An Deus det omnibus reprobis media ad ſalutem ſufficientia*, & num. 159. ait dare utique omnibus, *ſi* dare *ſumatur prout ſignificat idem, quod præparare, ſeu offerre in communi*, quod probat ex voluntate antecedente ſalvandi omnes, atque ex morte Chriſti pro omnibus: at *ſi* dare *ſumatur, prout eſt correlativum ad recipere, & prout ſignificat ipſam intrinſecam receptionem auxiliorum*, negat Gonet dare omnibus, laudans immenſam Theologorum multitudinem idem aſſerentium, atque id comprobans §. 3. numero 166. exemplo parvulorum, §. 4. num. 177. exemplo infidelium, §. 5. num. 182. exemplo amentium, & §. 6. num. 186. exemplo peccatorum, qui excæcantur & obdurantur. Conſtantiſſime autem Theologus iſte tradit ac repetit, *per voluntatem Dei antecedentem, & generalem Chriſti Redemptionem* auxilia ad ſalutem ſufficientia omnibus *eſſe divinitus oblata, ſeu præparata;* negatque omnibus indifferenter & promiſcue concedi, prout docent Thomiſtæ alii, paucis exceptis, ac præſertim Bannes, Zumel, Gonzales, Alvarez, Joannes a S. Thoma, Aravius, & Godoy, quos iterum pag. 106. n. 243. honoris cauſa commemorat. Quo ergo jure ab Anonymo nobis tamquam Janſenianæ hæreſeos teſſera objicitur, quod *voluntatem antecedentem* ita propugnaverimus, ut vi illius ſtatutus ſit ordo, quo omnibus ad ſalutem adytus pateat, pro omnibus inſtituta ſint Sacramenta, aliaque peccatorum remedia, omnibus auxilia gratiarum parata ſint, ceterum horum donorum applicatio, & actualis diſtributio, quæ utique non homines univerſim, ſed hæc, illaque individua ſpectat, ad antecedentem illam voluntatem, atque ad communem Redemptionem non pertineat; quo, inquam, jure id nobis objicitur, quod in Schola Thomiſtica tam aperte, tam communiter, ac tanta approbatione defenditur?

Vide infra n. 11. Gonet. tom. 1. edit. Pariſ. pag. 427. col. 2.

Gonet tom. 2. pag. 95.

V. Tametſi hoc Goneti teſtimonium ad mentem Thomiſtarum exponendam abunde ſufficiat; quia tamen calumniantium pertinacia penitus eſt refellenda, & inſignis Anonymi ignorantia teſtibus locupletiſſimis revinci debet; immorabor aliquantulum in pervolutandis auctorum, quos Gonet laudavit, nulli Theologorum ignotis lucubrationibus. Itaque Dominicus Bannes in 1. q. 23. art. 3. concl. 8. *Si utamur* (inquit) *verbo dare, prout eſt correlativum verbi accipere, Deus non dat omnibus hominibus etiam venientibus ad uſum rationis auxilium ſupernaturale gratiæ præparantis, vel ad credendum, vel ad pœnitentiam agendam.* Concl. 9. *Nihilominus vere dicitur Deus paratus dare omnibus hominibus, quandiu ſunt in hac vita, auxilium quo fiant potentes converti, imo & auxilium ſpecialius, quo convertantur ſi velint;* & in hujus concluſionis probatione ait talem auxiliorum præparationem ſpectare ad voluntatem *vel antecedentem, vel ſigni, quatenus Deus medium propoſuit toti mundo ſufficientiſſimum ad omnium ſalutem;* etiamſi *voluntate abſoluta vel conſequenti Deus ab æterno ſtatuit non dare omnibus ſupernaturalia auxilia, videlicet eis, qui revera non erunt recepturi.* Voluntate ergo *antecedenti* media ad ſalutem neceſſaria ſin-

Bannes in 1. p. tom. 1. col. edit. Ven. an. 1602. 630. 631. & 632.

ria singulis proponuntur, & auxilia sufficientia omnibus præparantur: quæ tamen media & auxilia non applicantur, aut conferuntur omnibus voluntate Dei *consequente*.

VI. Franciscus Zumel in 1. p. q. 23. ait quidem Deum habuisse voluntatem universalem dandi omnibus hominibus nascituris ex Adam *sufficientia auxilia* ad consequendam salutem, idque certum esse, & negari non posse absque *præjudicio fidei*, & absque *magna Redemptionis Christi injuria*. At voluntas *antecedens* dandi auxilia juxta Zumel solum importat eorumdem auxiliorum præparationem atque oblationem, si quidem statuerat paullo supra pag. 649. conclusionem num. 6. *Deus dat omnibus hominibus supernaturale auxilium sufficiens ad salutem, si dare accipiatur pro eo, quod est offerre auxilium, illudque eis proponere, & invitare*; & sequenti pagina 650. conclusionem num. 7. *Si sermo sit de verbo dare, sive donare, quatenus respicit verbum accipere, seu recipere, sic inquam Deus non tribuit omnibus hominibus, etiam ad usum rationis venientibus, auxilium supernaturale præparans & disponens ad credendum, vel ad agendum pœnitentiam*. Atque id prænotandum esse putavi, ne adversarii nostri tempus terant ex auctoribus, quos producimus, testimonia quædam nobis specietenus opposita colligentes: quamquam & hæc præmonui lib. 18. capit. 8. ubi etiam de Zumel, de Alvarez, & de Joanne Gonzales sermonem instituti: quos omnes Anonymus scripta nostra vellicans perlegere tenebatur, ut si male a nobis producti sunt, nos reprehenderet, ac tantorum virorum præsidio privaret: si autem bene, taceret, ne ignorantiæ, cujus modo convincitur, a nobis servato omni æquitatis jure redargueretur.

Zumel tom. 1. pag. edit. Salmanticæ 654. tol. 1.

VII. Joannes a S. Thoma tom. 2. in 1. p. q. 19. disput. v. art. 8. num. 31. explicans quo sensu exponenda sint illa Apostoli verba: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, duas affert explicationes. Prima (inquit) *quod loquatur Apostolus de voluntate antecedente inefficaci, qua vult omnes salvari voluntate quadam generali & conditionali, videlicet omnibus proponendo salutem, & remedia generalia omnibus sufficientia, sicut qui aperit apothecam, omne remedium pro infirmitatibus continentem, & omnibus patentem eam ponit, qui voluerint illa uti, iste omnes vult sanari, quantum est ex vi exhibitionis medicinæ, licet non velit eam omnibus applicare, &c.* Ex quibus constat Gonetum recte de hujus auctoris mente pronuntiasse, & ex illo exscripsisse medici exemplum, quod prius tradiderat Doctor Angelicus 3. p. q. 49. art. 3. ad 1. ut diximus lib. 17. de Theolog. Disciplin. cap. 4. Altera Apostolici textus expositio, de qua eo loci Joannes a S. Thoma, est illa Augustini pervulgata & notissima, *de generibus singulorum*: quam ultro, ac libenter amplectimur.

Tom. 2. pag. ed. Lugduni 296. col. 2.

S. Th. tom. 12. pag. 162. 2.

De Theol. Disc. to. 3. p. 355.

VIII. Non diffiteor aliquos reperiri inter recentiores Thomistas, qui probabilius existimant ex voluntate antecedenti salvandi omnes, atque ex Redemptione Christi omnibus adultis conferri auxilia sufficientia, ut inquit Vincentius Ludovicus Cardinalis Gotti q. 2. de volunt. dub. 3. §. 2. num. 7. & Cajetanus Benitez de vera Christi gratia disput. 1. dub. 1. num. 3. sed uterque refert Goneti, aliorumque suorum oppositam opinionem, eamque ab errore Jansenii procul distare demonstrat, quoniam Jansenius negavit, *Deum quantum in se est, omnibus remedia ad salutem præparasse, aut offerre*, ut ait in illa disputatione, quæ est de extensione gratiæ sufficientis ad infideles, memoratus Benitez; at ii, qui asserunt ex parte Dei auxilia esse omnibus *præparata & oblata, licet non sint ab omnibus recepta, aperte confitentur Christum pro omnibus mortuum*. Nec nos contendimus neminem Thomistarum a nobis dissidere, quod impossibile prorsus est, quum nec invicem sibi consentiant: sed nobis sat est permultos ad partes nostras accedere, quod nemo unus negabit.

Gotti to. 3 in 1. p. edit. Bonon. pag. 199. Benit. pag. 16. edit. Rom. & num. 10. pag. 17. num. 12. pag. 18.

IX. Priusquam a Thomistis discedamus, prætermittere nolumus virum pietate & doctrina insignem Petrum a Soto traduci a Duchesnio in *Historia Bajanismi*, quasi ille Bajanum & Jansenianum Systema conceperit ac præformaverit; atque inter cetera redargui, quod asseruerit gratiam non omnibus adultis conferri, ideoque non omnes fuisse a Christo redemptos. Exornans autem Soti vindicias Theologus nostri ævi doctissimus, Joseph Augustinus Orsi cap. 6. art. 3. repellit illatam præstantissimo Confratri calumniam; demonstratque Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, & Redemptorem hominum universorum, *quod Deus omnibus prorsus hominibus gratiam ob Christi merita præparaverit*, id, quod Sotus cum Ruardo Tappero, & Judoco Ravestenio aperte docuit. Paragrapho autem 3. pag. 297. demonstrat Soti vindex clarissimus, posse etiamnum illæsa fide defendi, *quod non omnes infideles, & qui dicuntur excæcati, & obdurati, divinæ gratiæ luce perfundantur*, productis verbis Antonini Massoulié tom. 2. disput. ult. q. 3. art. 2. Honorati Tournely de Grat. Christi q. 8. art. 4. Eminentissimi Meldensium Episcopi in Instructione Pastorali adversus Instit. Theologicas P. Juenin, & plurimorum Galliæ Episcoporum, qui anno 1720. approbarunt *Doctrinæ*, ut vocant, *corpus*, ac temeritatis illos arguerunt, qui *opinionem* nostram, *quam plures, iique insignes Theologi docent, erroris damnare ausi fuerint*. Hæc Theologus celeberrimus. Ex quibus omnibus constat, ad voluntatem Dei antecedentem, & ad communem omnium hominum Redemptionem spectare *præparationem* divinorum auxiliorum; an vero hæc omnibus conferantur, opinionem esse Scholasticam, ad quam, ut sæpe numero diximus, imperite fidei dogmata revocantur.

X. A Thomistarum sententia alieni nequaquam sunt Theologi Lovanienses, & Duacenses, qui non tantum negant auxilia sufficientia omnibus dari, ut diximus §. IV. num. 6. sed etiam ad assertionem 7. Medistarum, in qua legitur, *Eatenus est Christus omnium redemptor, quatenus per ipsum donantur omnibus sufficientia media*, præmissa responsione S. Prosperi ad 1. objectionem Vincentianam, & ad 9. capit. Gallorum, & citata etiam doctrina S. Thomæ de Verit. q. 29. art. 7. ad 4. necnon 3. p. q. 18. art. 3. inquiunt: *Sufficientia ergo, quam postulat generalis redemptio, in pretio Sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio. Nam alioquin etiam parvulis, quibus per baptismum succurri non potuit, tale auxilium tribuendum erit: aut certe dicere oportebit, non pro illis Christum se dedisse in redemptionem, & ita non pro omnibus*. Laudant ibidem quæ scribit Theodorus Peltanus Societatis Jesu Theologus in Lovaniensium sententiam conspirans, aliaque afferunt ex Augustino, & Ven. Beda deprompta, quæ universalem redemptionem confirmant, quamvis non inferant communem divinarum gratiarum distributionem. Eadem repetunt Lovanienses in Justificatione cap. 12. pag. 230. & seq. ubi ulterius advertunt illa duo argumenta, quibus aliqui suadere conantur sufficientem gratiam dari omnibus, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, & quia Christus est omnium redemptor, esse Fausti ducis Semipelagianæ factionis. Verum cum etiam Jansenius scripserit Christum pro omnibus mortuum esse *quoad sufficientiam & magnitudinem pretii*, & quod S. Prosper, & Theologorum plurimi catholice docuerant, ille ita interpretatus sit, ut pretium illud, licet in se sufficientissimum ac maximum, non sit persolutum, exhibitum, oblatumque pro omnibus: id quoque adversus Jansenium asserendum esse monuimus de Theolog. Disciplinis lib. 17. cap. 4. pag. 361. Nec aliter docuerunt in illa Justificatione Theologi præstantissimi scribentes pag. 231. *Si autem ad pretii sufficientiam respicitur, Redemptor est omnium, non quod per Christi pretium detur omnibus sufficiens auxilium, vel ad inchoandam salutem; sed quod pro ratione status vitæ hujus possint omnes per Christum obtinere sufficiens auxilium, & omnes per Christum invocantes Deus ad propriam ipsorum salutem exaudire paratus sit. Atque hoc pacto non sufficit solum pretium, verum etiam omnibus expositum est & paratum, ut per id salutem consequantur: Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Inquirerem nunc quamlibenter, cur Anonymus expositionem Joannis Lensæi adversus articulos Baji, quæ illi videtur aliquando nobis adversari, frequentissime commendet, urgeatque, ut constat ex præcedentibus dissertationibus; silentio autem prætereat Censuram hanc nobis ubique faventem, editam ab Henrico Gravio, viro Romanis Pontificibus Sixto V. & Gregorio XIV. necnon S. R. E. Cardinalibus amplissimis, in primis vero S. Carolo Borromæo & Ecclesiasticorum Annalium auctori Cæsari Baronio, aliisque acceptissimo, immo, ut quidam ajunt, conscriptam navante simul operam ipso Lensæo, nullo Magistrorum contradicente a Sacra Facultate confirmatam, Romæ non semel discussam, nullaque inustam censura: quamlibenter, inquam, id inquirerem, nisi omnibus compertum esset, quam ægre adversarii nostri ipsam Lovaniensem, & Duacensem censuram ferant, & quid adversus illam disseminaverint.

Cens. Lo. van. ed. Paris. an. 1641. pag. 30. & 99.

Vide Hist. Cong. de auxiliis P. Serry novæ ed. lib. 1. cap. 8. 9. 10. 11. & 12. id. a pag. 40. ad 64.

XI. Ea, quæ prælaudati Thomistæ, & Duacenses, ac Lovanienses Theologi tradiderunt, quantum ad parvulos attinet, non reprobantur a Gabriele Vasquez Societatis Jesu Theologo præstantissimo; qui 1. parte disput. 96. negat ita parvulis omnibus remedia sufficientia præparata fuisse, ut illis, quæcumque humana diligentia adhibeatur, applicari semper valeant, uti sunt illi, qui in uteris matrum suarum præfocantur. Nec tamen ait Vasquez Christum non esse mortuum pro omnibus parvulis; sed num. 10. affert responsionem Prosperi ad object. Vincentianas cap. 1. & ad objecta Gallor. cap. 9. ubi affirmatur, *Christum pro omnibus mortuum esse, quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam causam generis humani pertinet*: & infra, *Ceterum*, inquit, *tribus de*

Vasq. to. 1. edit. Lugduni pag. 465. & 466.

Orsi lib. Apolog. pag. 291.

cau-

cauſis dicere poſſumus, Chriſtum pro omnibus parvulis mortuum eſſe, qui tamen pro dæmonibus nullo modo mortuus dicitur: primo, quia communis erat cauſa parvulorum & omnium hominum, ob quam venerat, & pro qua oravit, extra quam dæmones omnino erant. Secundo, quia juſte & pie credimus Chriſtum non expreſſe denegaſſe ullis parvulis meritum ſuum, & a fructu ſuæ paſſionis apud Patrem eos excluſiſſe, ſicut dæmones rejecit. Tertio, quia non minus pie affirmare poſſumus, Chriſtum voluntate ſimplicis affectus omnibus parvulis, nemine excepto, etiam poſt peccatum primi parentis, ſalutem deſideraſſe, ſicut ſibi ipſi vitam concupivit; atque ita pro omnibus oraſſe, ut ſalutem conſequerentur, ſicut pro ſe ut liberaretur de morte, ſed cum ea conditione, quam orationi pro ſe factæ adjecit; Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Hinc obiter nota, quam a vero exorbitet Anonymus, ſcribens pag. 243. Janſeniſmi Redivivi: *Vaſquez vero, qui cenſuit iis infantibus non fuiſſe præparata media, quibus illis poſſibilis rederetur æterna ſalus, opinatur quoque pro illis mortuum non eſſe Chriſtum.* Mentitur ſplendidiſſime conviciator, Vaſqueſio calumniam irrogat, cauſamque ſuam miſerime prodit. Mentitur, inquam, & calumniam Vaſqueſio irrogat: is namque Chriſtum pro illis parvulis mortuum eſſe fatetur, & quomodo mortuus ſit verbis Proſperi, ſuiſque additamentis exponit; & conſarcinator iſte mendaciorum, *Opinatur*, inquit, *pro illis mortuum non eſſe Chriſtum*. Prodit vero cauſſam propriam; ſi enim juxta Vaſqueſium Chriſtus mortuus eſt pro parvulis ſine baptiſmate decedentibus, & tamen his denegantur auxilia ſufficientia; profecto horum auxiliorum diſtributio, & applicatio nequit inferri ex quo Chriſtus ſit mortuus pro omnibus. Atque hac in re non fallitur Vaſquez, ſed veritate cogente veram ſententiam amplectitur, quam tradiderunt prælaudati Thomiſtæ, & Scholarum noſtrarum univerſi Doctores. In hoc tamen a Vaſqueſio recedimus, quod is negat parvulis ante regenerationem ſublatis *conferri*, & *parata* eſſe ſalutaria remedia; nos, quidquid accuſator obganniat, negamus conferri, ſed illis ceteriſque omnibus *præparata* eſſe affirmamus: quod ſi contendat, id quoque ſentire Vaſqueſium, quia etſi neget omnibus parvulis remedia fuiſſe *proviſa* pag. 465. num. 8. ſequenti tamen numero inquit: *Cum dicimus, eis non fuiſſe conceſſa media ſufficientia quæ applicari poſſent, non negamus in Eccleſia eſſe media, quæ ex ſe ſufficientia ſint, & ſi applicarentur effectum haberent:* ſi, inquam, hoc adverſarius contendat, nil faciet aliud, quam nobis Vaſqueſium conciliare, & ſententiam noſtram fulcire validiori præſidio, ſuamque in Vaſqueſium calumniam reddere atrociorem.

XII. Ad inſtituti noſtri Theologos accedendum eſt modo. Illorum vero, qui Ægidiani appellantur, ſententiam explicat, & propugnat illius Scholæ illuſtrator præclarus Fridericus Gavardi. Is quæſt. IV. de Volunt. art. 1. num. 9. ſtatuit adverſus Janſenium, in Deo etiam poſt Adæ peccatum eſſe voluntatem generalem ſalvandi omnes, & Chriſtum pro omnibus, etiam reprobis, mortem ſubiiſſe. Articulo autem 4. quæſtionem inſtituit, an voluntas illa antecedens ſit inefficax, an aliquando impleatur; & ait ſemper illam impleri quoad proprium effectum, qui eſt *imponere ordinem, ordinare naturam, & tribuere auxilia communia, ſeu ſufficientia*. Articulo 4. inquirit, quo ſenſu per voluntatem antecedentem omnibus auxilia ſufficientia ſint inſtituta, & exhibita, ac præmiſſo n. 2. quod ſermo ſit *de inſtitutione & exhibitione omnibus facta, præſcindendo ab applicatione facta cuilibet in ſingulari, eo modo, quo pharmacopola inſtituit, & præparat remedia in ſalutem corporis univerſaliter pro omnibus, nihil cogitans de applicatione in particulari huic, vel illi corpori; quamvis enim hic, vel ille infirmus illa deſpiciat, vel negligat, aut renuat illa ſuſcipere, aut defectu miniſtrorum non applicentur; attamen non tollitur, quin a pharmacopola inſtituta & præparata ſint pro omnibus infirmis univerſaliter*: hoc itaque documento præmiſſo, concluſionem illam proponit, & multiplici genere argumentorum demonſtrat, *Deus per voluntatem antecedentem inſtituit, præparavit, & exhibuit omnibus univerſaliter auxilia ſufficientia communia ad ſalutem*. Atque hanc eſſe Ægidii Romani germanam ſententiam, conſtat ex locis ibidem a Friderico productis. Quantum vero ad auxiliorum *applicationem* attinet, non tantum in illa quæſtione quarta idem auctor affirmat non ſpectare ipſam applicationem ad voluntatem *antecedentem*; ſed ulterius quæſt. 6. de reprobat. art. 6. docet auxilia ſufficientia denegari parvulis ſine baptiſmo pereuntibus, & aliquando etiam infidelibus, & excæcatis: & num. 7. explicans ea verba Joannis, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quæ nobis objicere ſolent adverſarii, intelligenda eſſe pronuntiat, vel *ſecundum diſtributionem accommodam, vel de oblatione, & exhibitione ex parte Dei, qui, quantum eſt ex ſe, offert, & exhibet omnibus auxilia ſufficientia; non tamen omnes illa recipiunt; ſicut ſol, quantum eſt ex ſe, exhibet omnibus ſuum lumen, non tamen omnes illud recipiunt, quia cæci lumen ſolis non recipiunt.* Tota ergo Ægidiana Schola, cui Fridericus Gavardi puppis & prora eſt, præceſſit nobis, eamdemque reſponſionem præmonſtravit, quam tradidimus, & verbis Sancti Thomæ illuſtravimus lib. 18. cap. 8. ſive tom. 3. pag. 458. & ſequenti. Ab eadem Schola edocti fuimus, objectum, & præcipuum effectum voluntatis antecedentis eſſe *impoſitionem ordinis, inſtitutionem Sacramentorum, præparationem, & exhibitionem divinarum gratiarum*, ut ſcripſimus eodem tom. 3. pag. 355. ac tom. 1. pag. 386. & 390. quæ ſi legiſſet Anonymus, nequaquam novam ſibi, ignotamque ſententiam miratus eſſet, quum ii admiratione rapiantur, qui rem alioqui manifeſtam ignorant.

Ita etiam Ægidius Romanus 1. ſent. diſt. 46. pag. 233. col. 4. Edit. Ven.

XIII. Eorum, qui Auguſtiniani appellantur, quorum nos minimi ſumus, eadem omnino ſententia eſt. Audiantur Lovanienſes aliqui inſignes Scholarum noſtrarum Magiſtri. Emmanuel Cabeliau Mantiſſa 3. theſium ſuarum, poſtquam adverſus Janſenium affirmavit Chriſtum pro omnibus, non vero pro ſolis prædeſtinatis pretium ſanguinis ſui obtuliſſe, nec a ſeria voluntate, quam habuit ſalvandi omnes, excludendos eſſe parvulos, quorum redemptorem eſſe diſertiſſime adverſus Julianum demonſtrat Auguſtinus lib. 1. Op. imperf. num. 32. & lib. 2. num. 170., quæſtionem inſtituit, quomodo univerſalis redemptio ad eos etiam parvulos ſeſe extendat, qui in materno utero extincti, aut ratione alia ſine regenerationis Sacramento rapiuntur e vita: atque ita quæſtionem illam familiari exemplo ſolvit. *Sit gens integra rebellis* (inquit) *quæque pertinacia ſua mereatur internecionem & iram principis. Interim filius unicus ſe offerat patri ſuo, ſe præſto eſſe proteſtans ſanguinem ſuum fundere pro venia totius gentis; ita tamen, ut non velit pro omnibus liberationem flagitare pertinaciter, ſed tantum pro iis, quibus pretium ſanguinis ſui Pater ſecundum miſericordiam applicare voluerit, licet tamen ſerio pro omnibus offerat.* Hinc infert Chriſtum pro omnibus parvulis mortem ſubiiſſe, tametſi omnibus parvulis non applicentur auxilia ſufficientia. *Quam enim gratiam* (ſubjicit) *habent parvuli ſine baptiſmo morientes?*

Theſ. Lov. an. 1722.

XIV. Antonius Rolliers, *Conſtanter*, ait, *contra Janſenium aſſeveravimus ſemper Deum voluntate ſincera, ſed antecedente velle ſalutem omnium in individuo hominum; item Chriſtum vere & proprie mortuum eſſe, non tantum pro generibus ſingulorum, ſed etiam pro ſingulis generum, ideoque pro omnibus omnino hominibus, etiam pro infantibus, ſeu in utero matrum morientibus, ſeu illis, qui currentibus & feſtinantibus parentibus, Deo nolente conferri baptiſmum, non baptizantur: Quo ſenſu hoc verum ſit, declaravimus non ſemel: ne vero SS. DD. lateat opinio noſtra, dicimus Deum vere & ſincere velle ſalutem omnium omnino hominum, non minus quam Rex, Gubernator, Conſul, aut Judex æquus, qui non privato odio ducitur, aut inimicitia, vult incolumem atque tranquillam ſubditorum omnium vitam, qui etiamſi propter ſcelera quemquam adjudicare morti nonnunquam teneatur, ſerio tamen adjudicatum vult vivere, voluntate nempe antecedenti, ex qua profluit, ut cum reluctantia, & quodam animi dolore etiam ſceleratiſſimum occidi curet. Chriſtus ſimiliter ſerio, & vere pro omnibus mortuus eſt. 1. Quia ſufficientiſſimum redimendis omnibus pretium ſanctiſſimi ſui ſanguinis fundens, illud æterno Patri obtulit in hoſtiam placabilem, qua reconciliaret Patri eos, qui ob peccatum protoparentis nati erant filii iræ, filii vindictæ, relinquens interim paternæ diſpoſitioni, ut quos vellet e maſſa damnationis eriperet. 2. Media præparavit univerſaliſſima pro omnibus, V. G. in nova lege ſacroſancta ſeptem Sacramenta, quorum efficaciam ſanguinis ſui pretio coemit, quæ ſi ſingulis applicarentur debite, & niſi peccata præpedirent, applicarentur certiſſime, e damnationis & mortis perpetuæ miſeriis eximerent ſuſcipientes omnes. 3. Gratias ſuis meritis præparavit pleriſque, maxime adultis, quibus ſæpe quandiu vivunt in hac vita præveniuntur: his gratiis niſi reſiſterent, ſufficientiſſima media reciperent, ut ſociarentur ei, qui liberandis omnibus venit. Sunt qui requirunt, ut Chriſtus Salvator dicatur omnium, ut ſinguli in individuo ſufficiens per Chriſti merita conſequantur actuale auxilium, quo ad ſalutem æternam queant evehi: verum quomodo illi parvulorum in uteris parentum ſuorum morientium cum hoc requiſito ſtatuere poſſint Redemptorem, videre hucuſque non licuit, maxime ſi parentum culpa nihil injiciat remoræ quo minus embriones baptizentur. Si Jeſus parvulorum ſit Chriſtus ſufficienter & vere, ſine ſufficienti actuali auxilio; quare non & aliorum juxta explicationem a nobis datam? Quidquid ſit, opinionem noſtram Sanctæ Sedi ſubjicimus: interim ſenſa non cenſurent noſtra privati.* Hæc docuit pro-

In Theſ. Lovanii an. 1716.

pugna-

Gavi: tom. 2. pag. 220. pag. 226.

Eodem tom. 2. pag. 415. & 420.

pugnavitque Lovanii an. 1716. Rolliers. Idem omnino tradidit in Elucidatione difficiliorum Theologiæ Quæstionum Aurelius Piette. Idem Philippus Van-Waure in caput v. ad Romanos ad versum 9. *Christus pro nobis mortuus est*. Idem ipsemet auctor in refutatione Jansenismi, seu opere inscripto, *Augustinus Europæus*, lib. sexto sect. 3. §. *Non sic veteres Lovanienses*. Idem Petrus Clenaerts in Opusculo, quod inscripsit, *Augustinus per seipsum docens*, imitatus Archiepiscopum Senonensem D. Octavium de Bellegarde, qui pluribus ex Augustino testimoniis studiose collectis anno 1653. consimile opus vulgavit, præmissa ad Clerum suæ Diœcesis Pastorali Epistola una cum Augustinianæ Doctrinæ laudibus splendidissimis. Quid vero singulos Augustinenses percenseo? Omnes negant, & jure negant ad voluntatem Dei antecedentem, & ad universalem Christi redemptionem requiri, ut auxilia sufficientis gratiæ omnibus & singulis applicentur. Ii vero, qui id contendunt, inconcussum & certissimum fidei dogma perperam, ut alibi admonui, cum scholastica & adiaphora quæstione confundunt: immo (quod debita reverentia dictum volo) dum argumentantur, *Christus pro omnibus mortuus est : ergo omnibus conferuntur auxilia sufficientia*, reddunt Jansenianos pervicaciores, eosque incitant, ut ex adverso ratiocinentur, *Non omnibus auxilia sufficientia conferuntur: ergo non pro omnibus mortuus est Christus*. Negant utique adversarii nostri antecedens, sed illud admittunt Theologi Orthodoxi & Catholici pene innumeri. Cui ergo bono ita sententiam suam opponere Jansenianæ, quasi illa tantummodo vera sit, nec alia ratione possit Jansenismus revinci? Cui bono iis, qui neotericis non consentiunt, Jansenianæ hæresis calumniam impingere, ansamque veris Jansenistis tribuere asserendi sibimet consentire Catholicos bene multos? Segregandum est ergo Scholarum placitum a fidei dogmate. Omnibus applicari gratiarum auxilia, est *placitum scholæ*: Christum pro omnibus sanguinem fudisse, est *dogma fidei*. Quid imperitis sectæ suæ placitum cum fidei dogmate obtrudunt? Augustiniani omnes, & nobilior pars Thomistarum, necnon celeberrimæ Academiæ, atque auctores hactenus recensiti, & quos laudavi tom. 3. pag. 439. & sequenti, propugnant auxilia sufficientia non omnibus applicari: ac permulti, etiam ex adversariis, ut ex recentioribus Honoratus Tournely, fatentur agi de mera Scholæ quæstione, ubi pertractatur an auxilia gratiæ conferantur omnibus, asserentes de solis justis actum fuisse in prima ex quinque Jansenii propositionibus. Vide præcit. tom. 3. pag. 441. Dicendum ergo Christum pro omnibus mortuum sufficientia & oblatione pretii, institutione remedii, & præparatione gratiarum, quemadmodum tradidi libro 17. cap. 4. & disputationibus Scholasticis relinquendum est, an ita pro omnibus sit mortuus, atque ita omnes redemerit, ut actu omnes auxilia gratiæ percipiant.

Piette tom. 1. edit. Lovan. pag. 511. & seq. Van-Vvaure in Opusc. Divinæ Gratiæ Prædicator Paulus, & in Augustino Europæo pag. 419. Clenaerts edit. Lov. an. 1688. cap. 8. & 9.

De Theol. disciplinis tom. 3. a pag. 352. ad pag. 361.

XV. Unum ex Augustinianis addam, Norisium nempe, qui ante nos atrocissimam Jansenismi calumniam perpessus est, eamque glorioissime propulsavit. Is, ut liquet ex Germanitate 18. accusatus fuit, tamquam assertor quintæ propositionis, quoniam, ajebat delator „ Etsi Norisius non protulit propositionem supradictam, sicut protulit Jansenius; verum tamen proposuit principium, unde illa tamquam conclusio deducitur. Principium autem illud est negare dari sufficiens auxilium omnibus „. Quid vero ad hanc accusationem Norisius in præcitato Opusculo, quod edidit sub nomine Annibalis Ricci? *Hujus accusationis*, inquit, *nervos non uno loco vir doctus infregit. Hic*, idest P. Macedo, *ait in Scrinio cap. ult. pag. 233. Quintum argumentum a redemptione universali petitum non indiget solutione, cum toties animadversum sit a nobis multum interesse inter redemptionem universalem, & gratiam universalem: nam ut Christus sit mortuus pro omnibus, satis est obtulisse mortem suam pro omnibus humana voluntate: quæ si non acceptaretur a Patre, non sequebatur ex ea gratia universalis, quæ ex divina voluntate pendebat. Unde etsi admittatur Christus (quod fatemur) omnium esse Redemptor, non infertur omnibus gratiam conferri, quemadmodum & in Cortina sæpe, & in Mente Innocentii & ejus Apologia diximus cum Vasquio 1. p. disp. 96. cap. 3. præter alias, quas ibi adduximus, rationes, quibus ea propositio vera sit, nec tamen involvat consequentiam gratiæ universalis. Quæ repetit lib. 3. de Clavibus in calce cap. 3. Vide quam exacte Macedum Noris imitetur lib. 2. Hist. Pelag. cap. 15. pag. 453. Tertia thesis succedit, Christum non esse mortuum pro omnibus. Si explicetur ita, ut homines reapse futuri sint participes Gratiæ datæ per Christum, non universe vera judicatur; etenim plerique, nec infimi subsellii, parvulos in uteris matrum decedentes nullam Christi gratiam participare existimant. Si vero meritis infinitis sanguinis Christi, vel humanæ ejusdem voluntati omnes salvare cupienti derogare velit, prorsus rejicienda est. Profecto omnia dixit Macedonice; non ovum ovo similius est.* Hæc Norisius. Præter hanc tamen humanam voluntatem Norisius dari omnibus, non tamen semper, auxilia quædam remote sufficientia, sive tenues & debiles gratiæ motus, quibus si non resisterent, ampliori gratia donarentur, docuit eodem loco, & in Vindiciis cap. 3. §. 6. hujusque doctissimi viri sententiæ in hac quoque parte adhæsimus lib. 18. cap. 8. pag. 452. Quamobrem a prima ad ultimam adversariorum nostrorum accusatione manifestissimum est, quod semel & iterum monui, novis istis, immo recoctis calumniis universam Scholam nostram, ac præsertim Norisium, a quo nunquam discessimus, impeti, atque accusatorem nostrum rudem omnino, insicium, & in his controversiis penitus hospitem antiqua in nos convicia jactare.

Noris tom. 1. novæ edit. col. 1475.

XIV. Prætermittendus non est Eminentissimus Cardinalis Brancatus de Lauræa, qui etsi eam sententiam propugnat, quæ docet omnibus gratiam sufficientem conferri, ita tamen, ut illam *major hominum pars respuat ac rejiciat, ideoque ulterius non adjuventur*, ut inquit Opusc. 3. cap. 19. num. 469. cui sententiæ de gratia omnibus collata, hoc temperamento, & hac exceptione traditæ ego quoque subscribo præcitata pagina 452. & pag. 459. attamen idem vir præstantissimus Opusculo 2. cap. 11. explicans quo sensu Christus etiam pro reprobis mortuus sit, & qua in re illis profuerit, quæcunque a nobis producta fuerunt, luculentissime tradidit. Priori autem thesi num. 165. Catholicam assertionem statuit, *Christus pro omnibus omnino hominibus, tam prædestinatis, quam reprobis passus ac mortuus est*; eamque momentis compluribus confirmavit. Thesis secunda, quam posuit num. 184. hæc est: *Quamvis reprobi per Christi passionem & mortem a jugo ac servitute diaboli in effectu liberati, ac soluti non fuerint in effectu; fuerunt tamen soluti ac liberati sufficienter quantum ad solutionem pretii superabundantis, ac infiniti*. Hujus thesis præter alias hanc probationem num. 187. produxit: *Non alio modo Patres salvant, quod Christus sit Redemptor omnium, tam electorum, quam reproborum, nisi quia passione, ac morte sua meruit media, quibus applicatis homines liberari possint a servitute dæmonis, & qui non adhibent illa, non liberantur. Ergo magnum hoc beneficium attulit etiam reprobis*. In concl. 3. num. 192. demonstrat Christum *nedum pro reprobis post ejus adventum natis ac nascituris usque in finem mundi esse mortuum, eisque beneficium sufficienter attulisse per institutionem mediorum ad salutem; sed etiam pro reprobis, qui a mundi initio usque ad ipsum extiterunt, beneficium eis afferendo per media ad salutem a Deo tunc pro toto humano genere instituta ex prævisione meritorum ac mortis Christi in tempore futuræ*. Redemptio itaque universi humani generis, ut nos ubique affirmavimus, sita est in pretio sanguinis Christi, in ejus oblatione, in præparatione mediorum, sive institutione gratiarum: non vero in applicatione horum mediorum, neque in actuali participatione gratiarum, iis quoque, qui illam spernunt ac pessumdant, communi.

Card. Laur. Opusc. pag. 304. & 307.

XVII. Circa voluntatem salvandi omnes, certissimum est, prælaudatum Cardinalem de Lauræa pluribus argumentis contendere, quod celeberrimum Pauli effatum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non de singulis omnino hominibus, sed de singulis generum sit exponendum, *eo quod*, inquit, *in Deo non adest velleitas sicut in nobis; sed omnis ejus volitio si sit absoluta, est efficacissima, & non potest a creatura impediri; ideoque si voluisset absolute omnes & singulos homines salvari, singuli salvarentur*. Ex hac sententia, quam nostratium quoque plures defendunt, posset interri non eodem pacto ratiocinandum esse de voluntate salvandi omnes, ac de morte Christi pro omnibus. Idem sequeretur ex sententia illorum Theologorum, qui negant voluntatem antecedentem proprie, & *formaliter* in Deo reperiri, cum eadem voluntas a S. Thoma dicatur *velleitas*, ut sit desiderium quoddam inefficax, quale in Deo nequit esse, ut sentiunt Estius, aliique in 1. sententiarum dist. 46. §. 3. Hi enim licet in Deo hujusmodi voluntatem *per tropum* admittant, non tamen negant veram propriamque universorum hominum redemptionem: ideoque diversa, in horum sensu, debet esse ratio utriusque. Ex sententia item Vasquesii, qui 1. p. disp. 96. cap. 3. nu. 10. ait duo illa sacrarum scripturarum loca, *Deus non vult perire animam*, 2. Reg. 14. & *Deus vult omnes homines salvos fieri*, intelligenda esse solummodo *de adultis*, & nihilominus eo loci demonstrat Christum pro omnibus parvulis mortuum esse, evidenter consequitur alia ratione de voluntate antecedenti, alia autem de universali redemptione differendum esse. Quare si in animum nostrum caderet, Anonymum accusatorem, ubi de voluntate antecedente, modo suo, scilicet imperitissime, agit, uno tantum verbo refellere, dicendo voluntatem antecedentem non esse in

Idem Laur. Opusc. 1. cap. 20. pag. 178.

Estius tom. 1. Paris. ed. pag. 223.

Vasq. tom. 1. pag. 466. edit. Lugdun. an. 1631.

Deo

Deo, vere salutem ac proprie, respectu hominum universorum, neque id inter damnata Jansenii asserta comprehendi; absque negotio ullo possemus id præstare, ea tantum commemorando, quæ hoc num. 17. sunt breviter adnotata. Sed quoniam voluntas illa antecedens, & universalis redemptio, si explicentur comparate ad effectum illum, qui est susceptio communis hominum causæ, pretii oblatio, ac solutio, præparatio gratiæ, atque institutio mediorum, quemadmodum a nobis ubique explicata fuere, optime cohærent invicem; idcirco a nobis ita communis & universalis Redemptio defenditur, ut illa antecedens voluntas minime denegetur. Ad utramque vero sufficere, si quantum est ex parte Dei media ad salutem instituta sint ac parata, non autem necessum esse, ut singulis actu applicentur & conferantur, docuerunt Thomas de Lemos, Joannes Baptista Gonet, Dominicus Bannes, Franciscus Zumel, Joannes a Sancto Thoma, Petrus a Soto, Academia Lovanienſis & Duacenſis, Norisius, Macedo, Ægidiani, & Augustiniani quamplurimi: quorum testimonio & auctoritate jam tota aerea Jansenismi revivisentis machina evanuit.

§. VII.

Quo sensu delectatio victrix deliberata dicenda sit, & an libertatis admittendum sit æquilibrium.

AT quoniam prolixam disputationem aggressi sumus, nil omnino prætereundum est, in quo rudiores desiderare queant aliquam uberiorem explicationem. Potest ergo aliquis quærere num delectatio victrix, in qua diximus sitam esse gratiæ efficacitatem, *To. 3. pag. 156.* *indeliberata*, an *deliberata* dicenda sit. Scripsimus nos lib. 14. cap. 8. Jansenium statuisse delectationem victricem, quæ penitus sejuncta est a deliberatione, & indifferentia liberi arbitrii, scilicet, quæ cum libertate indifferentiæ nequit consistere. Hunc errorem, hanc hæresim nobis adversarius adscribit: quo jure, quum tam prolixa dissertatione libro sextodecimo libertatem indifferentiæ adversus Jansenianos, ceteroſque novantes propugnaverimus, quo, inquam, jure? Nempe quia scripsimus delectationem esse indeliberatam, *quatenus inspiratur* a Deo. Ita Anonymus *Jansenismi redivivi* pag. 195. ubi ulterius affirmat me ad Jansenium accedere, *quocum* doceo *indeliberatam esse gratiæ delectationem, totamque ipsius efficaciam ex sola graduum superioritate repetendam*. Verum quod spectat ad gratiæ efficaciam satis superque §. 1. & 2. dispunctum est. Nunc de *indeliberata delectatione* pauca subjiciam. Tomo itaque tertio pagina 156. scripsi utique: *Nos dicimus indeliberatam quidem esse hanc delectationem, quatenus inspiratur a Deo*; sed immediate subjeci: *At hæc delectatio victrix conjuncta est cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato*. Addidi neminem mereri per actum indeliberatum, & per inspirationem illam gratiæ victricis, *cum meritum haberi nequeat sine indifferentia libertatis*, sed ad meritum requiratur *liberi arbitrii deliberatus assensus*. Cur hæc silentio mittit callidus accusator? in iisdem locis, quæ depravat, ac mutilat, constat tradi a me delectationem *indeliberatam*, quatenus est divina inspiratio; *deliberatam* vero, quatenus est velle liberum, seu deliberatus assensus, a Deo per illam inspirationem, & a libero arbitrio ea inspiratione suffulto, cum potestate indifferentiæ, & liberrime elicitus. Ingenui lectoris oculos duntaxat appello.

I. Quod si conviciatoris animum pulsset, quomodo actus ille sanctæ dilectionis sit *indeliberatus* quatenus inspiratur a Deo, & tamen stet cum libero assensu voluntatis humanæ; exponat ille nobis, quomodo juxta communiorem Theologorum sensum Gratia præveniens & excitans consistat in actibus *indeliberatis* intellectus voluntatisque, & inde efficiatur actus *deliberatus*: atque idem nos de inspiratione dilectionis ultro libenterque affirmabimus. Neque enim aliud reponere quispiam poterit, nisi aut gratiam illam in actibus *indeliberatis* constitutam esse causam effectricem actus secundi prodeuntis ab ipsa gratia, atque a facultate & electione liberi arbitrii; aut eumdem actum voluntatis, qui est *indeliberatus* prout divinitus inspiratur, *deliberatum* quoque esse prout elicitur a voluntate adjuta ejusdem inspirationis auxilio. Utramque sententiam nos explicavimus præcitata pag. 156. eam eligentes, quæ docet inspirationi delectationis victricis, qua Deus sine nobis deliberate operantibus facit ut velimus, adjunctam esse deliberationem comparate ad assensum, & ad actus, vel opera, quæ consequuntur: in quibus, nisi foret ipsa deliberatio & libertas indifferentiæ, nihil meriti, vel demeriti inveniretur. Quæ cum a nobis tam aperte, ac tam expresse sint dicta; nescimus quomodo fieri potuerit, ut tam splendido mendacio nobis Anonymus putaverit esse accensendum, quod solam inspirationem sanctæ voluntatis, & delectationem *indeliberatam*, vera libertate semota, & inducta antecedenti necessitate, cum Jansenio ausi fuerimus statuminare: nescimus utique, quomodo fieri id potuerit ab homine, qui retrogradum caput non habeat, oculosque irretortos.

II. Verum si inopia, & obscuritas sermonis nostri traxit accusatorem in tam sinistram ac malevolam suspicionem; conabor mentem meam aliorum Theologorum verbis exponere, spectaturus num adeo prodigiose cæcutiat, ut offendat etiam in montes. Ergo Gabriel Vasquez in 1. 2. disput. 185. c. 9. num. 40. docet *eamdem vocationem & cognitionem sanctam, & primum motum voluntatis subitum dici gratiam operantem & prævenientem, & cooperantem & comitantem; eamdem, inquam, diverso modo considerata: nam quatenus consensum nostrum antecedit, est operans & præveniens; quatenus vero permanens in nobis efficit nobiscum consensum, est cooperans & comitans. Nam ita consensus noster est a Deo & a nobis, ut Deus non solum immediate physice ad illum concurrat, sed etiam media cogitatione illum in nobis efficere dicatur, eo modo, quo intellectus voluntatem movet & allicit.* Fere eadem nos scripsimus tom. 3. pag. 147. asserentes gratiam, quatenus illustrat mentem & animum excitat, esse prævenientem; quatenus vero mentem excitatam, voluntatemque sancta delectatione affectam adjuvat ut libere velit & operetur, esse gratiam cooperantem & adjuvantem. Videt ne insimulator, in gratia præveniente, sive in sancta inspiratione, quæ consensum nostrum antecedit, actum voluntatis *indeliberatum*; & in eadem gratia, prout est adjuvans & cooperans, scilicet prout nobiscum liberum consensum efficit, voluntatem *deliberatam*, quæ simul illius prævenientis inspirationis, & liberi voluntatis arbitrii effectus est? Videt ne id Anonymus? Quomodo ergo mendaciſſime proferre potuit, nos solam *indeliberatam* delectationem, & *necessitatem antecedentem*, quæ sine deliberatione voluntatis est, cum Jansenio adstruere? Quomodo potuit prævenientis & adjuvantis gratiæ notionem tam imperite confundere, ut nobis Jansenismum impingeret, quando actum indeliberatum & deliberatum, divinam inspirationem & liberum voluntatis assensum, effectus prævenientis, & cooperantis gratiæ, tam dilucide, ac tam perspicue tradidimus?

Vasq. tom. 2. in 1. 2. pag. edit. Lugdun. 272.

Vide etiam to. 3. pag. 151.

III. Eminentissimus Bellarminus de Grat. & lib. arbitrio lib. 1. cap. 14. ubi inquirit quid sit proprie gratia operans, ait quosdam Theologos asserere, *quod gratia operans non distinguatur a gratia excitante, neque cooperans ab adjuvante; & quia gratia excitans inspirat initium bonæ voluntatis, ad quod non libere concurrimus, gratia adjuvans juvat ad assensum præstandum, & eligendum quod Deus inspiravit, in quo plane liberi sumus: ideo dictum esse volunt auctores hujus sententiæ, Deum in nobis sine nobis efficere ut velimus, nobiscum autem cooperari cum volumus; ubi per illud, cum velimus, intelligunt indeliberatum & imperfectum desiderium; per illud, cum volumus, perfectam & deliberatam electionem.* Ab illa Scholasticorum sententia ego non abhorrui, eamque citata pag. 47. explicavi verbis Augustini de Grat. & lib. arbitrio cap. 17. ideoque mendaces esse ex hoc etiam capite convincuntur, qui ajunt denegari a nobis deliberatam voluntatis electionem. Eo tamen loci Bellarminus sententiam illam amplectitur, quæ ait *gratiam operantem illam esse, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis*; sed ait paullo infra, *Deum secundum quoddam genus causæ esse moventem respectu ipsius velle deliberati, & voluntatem non esse moventem, sed tantum motam; cum tamen secundum aliud causæ genus, ad eumdem actum volendi producendum Deus concurrat ut movens, voluntas autem tum ut mota, tum ut movens.* Vult autem Bellarminus voluntatem motam esse, quatenus solus Deus illam movet suadendo, hortando, consulendo: moventem autem ac motam esse, in quantum Deus simul cum ipsa operatur velle deliberatum. Quare etiam juxta Bellarminum in voluntate, quatenus per inspirationem divinam movetur ac trahitur, nulla relucet electio, nullaque deliberatio; quæ tamen deliberatio & electio reperitur in eadem voluntate, prout divina adspiratione adjuvante libere assentitur, movetque seipsam.

Bellarmin. to. 4. pag. novæ edit. Venet. 232. colum. 1.

IV. In Congregationibus de Auxiliis anno 1599. propositum fuit dubium istud, *Quid sentiendum sit de hac propositione, Liberum arbitrium habet se passive in ordine ad receptionem auxilii efficacis, & liberare. Passive quidem, quatenus recipit illud a Deo; omnis enim recipiens ut sic habet se aliquo modo passive: libere autem, quoniam potest dissentire illi motioni, & operatur libere cum illa.* Fratres autem Prædicatores sententiam suam explicarunt scripto, quod apud nos autographum custoditur, atque ad hunc modum se habet: „ Respondetur nulla censura dignam esse præfatam propo-

Tractatus in Congregationibus de auxiliis exhibiti, tom. 1. pag. 283. MS. Angelicæ Bibliothecæ.

propoſitionem, ſed potius eſſe neceſſariam in eo ſenſu, quem ipſamet explicat. Pro cujus majori intelligentia adverto, in auxilio efficaci duo poſſe conſiderari, ut eſt quædam inſpiratio præveniens noſtram deliberationem, & hoc modo conſtat liberum arbitrium non ſe habere libere in aliquo genere cauſſæ efficientis reſpectu illius inſpirationis; non enim deliberat homo, neque deliberare poteſt, quod inſpiretur a Deo. Nihilominus cum hoc ſtat, quod illa inſpiratio ſit actio vitalis tam intellectus illuminati, quam voluntatis quæ inſpiratur, in qua ipſa inſpiratio eſt quaſi primus motus, in quo neque meritum, neque demeritum eſt, quamvis intellectus & voluntas ſe habeant active phyſice duntaxat. Alterum eſt, quod in auxilio efficaci conſideratur, ipſa efficacia, quæ actualiter ordinatur ad actum credendi, vel ad actum contritionis. Et reſpectu hujus efficaciæ, & efficacis virtutis liberum arbitrium noſtrum neque phyſice, neque moraliter eſt cauſa illius, ſed ipſum auxilium habet illam, ut progreditur a Deo. Nihilominus cum hoc ſtat, quod liberum arbitrium ad effectum illius virtutis efficacis concurrat active, & phyſice, & moraliter. Active quidem phyſice, quia credere, diligere, & pœnitere actiones vitales ſunt. Moraliter vero, quia ipſe homo ſic adjutus deliberat ſic operari: neque huic deliberationi repugnat, quod infallibiliter deliberet, quatenus Deus vult ipſum, & facit ſuaviter operari. Unde quod dicitur in ultima parte præfatæ propoſitionis, *Libere autem, quoniam poteſt diſſentire illi motioni, & operatur libere cum illa*, intelligendum eſt quantum ad effectum & terminum motionis: nam quantum ad præmotionem inſpirantis Dei ſecundum ſeipſam, non habemus nos libere, ſed potius in genere moris nos habemus paſſive, quamvis phyſice duntaxat ipſæ potentiæ ſe habeant active, quia ſunt actiones vitales. At vero quantum ad effectum credendi, & diligendi Deum, libere utitur homo tali auxilio efficaci, tametſi infallibiliter operetur. Neque obſtat quod dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. quoniam illic habetur definitio contra aſſerentes liberum arbitrium mere paſſive ſe habere, velut inanime quoddam. Item quod in cap. 5. dicitur, inſpirationem illam recipiens, illam abjicere poteſt, neceſſario intelligendum eſt poſtquam illam recipit, tunc enim poteſt eam rejicere nolens operari cum illa. Certum eſt enim repentinas Dei motiones, & inſpirationes ante omnem noſtram deliberationem in nobis a Deo fieri, juxta doctrinam Concilii Arauſicani can. 20. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo*. Non itaque repugnat, quod liberum arbitrium hominis in ordine ad receptionem auxilii efficacis aliquo modo ſe habeat paſſive, & ſimul etiam libere diverſis rationibus, ut explicatum eſt. Neque enim divinum auxilium quantumlibet efficax de ſe, prout progreditur a Deo, exercebit ſuam efficaciam ſine nobis libere conſentientibus; ſed iſte bonus conſenſus & bonus uſus non prævenit efficaciam auxilii, ſed potius prævenitur ab illa; neque in illum bonum uſum poteſt reduci differentia, tanquam in primam cauſſam, quare iſte homo convertitur, & alter non convertitur: ſed reducenda eſt ad divinam voluntatem, quæ iſtum ab altero diſcernit, donando huic quod alteri non donavit, juxta vulgatiſſimam doctrinam D. Auguſtini in Enchiridio cap. 32. & cap. 95. Quæ teſtimonia legant, ut pateat quantum diſcedant ſaltem a doctrina Divi Auguſtini illi, qui efficaciam auxilii æqualis nullam aliam cognoſcunt, quam ab innata libertate procedentem: & etiam alii, qui ponentes æqualitatem auxilii phyſicam, & in abſoluta entitate ſua, ajunt eſſe majus beneficium, quia opportuno tempore datur uni, & non alteri, ut ait Doctor Suarez de Societate in Opuſculo, quod noviſſime prælo mandavit Matriti præſenti anno 1599. de concurſu, motione, & auxilio Dei, lib. 3. cap. 20. ubi etiam defendit Molinæ doctrinam §. 4. Neſcio an hic liber Romam ſit aſportatus, in quo plurima docet contraria doctrinæ Divi Auguſtini, ne amplius interim dicamus. „ Apparet ex hoc ſcripto, quomodo gratia, ſive divina inſpiratio, quæ eſt actus vitalis intellectus & voluntatis, præcedat noſtram deliberationem; & quomodo antecedente aſſenſu liberi arbitrii fiat voluntas deliberata, & cauſa effectrix operum illorum, quibus ineſt ratio meriti ac libertatis: id, quod nos aperte ſcripſimus lib. XIV. cap. 8. his verbis: *Hæc delectatio & caritas prævenit motum voluntatis, & eſt deliberata duntaxat, cum voluntas huic præmoventi dilectioni libere obtemperat;* & poſt pauca: *Si gratia accipiatur ex parte Dei, quatenus eſt ipſa miſericordia movens, & caritatem inſpirans, nullatenus cum noſtra deliberatione conjuncta eſt, & hoc ſenſu ait Auguſtinus*, Ut velimus ſine nobis operatur. *Si conſideretur ex parte noſtra, eſt ipſa dilectio ſimul a Dei inſpiratione, & a voluntate noſtra promanans; a voluntate tamen, ut a Deo intime præſente præmota: atque ideo ſequitur Auguſtinus*, Cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum operatur. *Quare, ut ſupra dictum eſt, Gratia quæ prævenit caritatem, eſt caritas Dei, ſive ipſe Deus nobis ſpiritum ſuæ dilectionis inſpirans, & gratia præveniens opera libertatis eſt ipſa bona voluntas, & caritas nobis inſpirata. Prima omnem noſtram deliberationem antevertit: altera cum ipſa deliberatione conjuncta eſt, comparate ad opera, quæ conſequuntur, libertatis & meriti*. Et infra eodem cap. pag. 156. *Nos dicimus indeliberatam quidem eſſe hanc delectationem quatenus inſpiratur a Deo. At hæc delectatio victrix conjuncta eſt cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato*. Patiatur lector importunitatem meam, ſi aliquando eadem repeto. Legit hæc Anonymus, nam ex pag. 151. tertii noſtrorum Operum voluminis quædam exſcripſit pag. 191. *Janſeniſmi Redivivi*; & tamen eadem pag. 191. aſſerere audet me cum Janſenio propugnare delectationem *indeliberatam*, & neceſſitatem illam *antecedentem*, quæ oritur ex eadem delectatione indeliberata; quando eodem loco, eademque pagina quadratis litteris ſcribo, ac repeto delectationem victricem, quæ præcedit opera libertatis, ac meriti conjunctam eſſe (repetatur ad perpetuam mendaciſſimi impoſtoris confuſionem) conjunctam eſſe *cum deliberatione*. Interim illud quoque animadverto, quod fatente Anonymo eadem pag. 191. *Neceſſitas, quæ oritur ex delectatione deliberata, oritur ex libera voluntatis electione, ac proinde eſt duntaxat conſequens*, nec ullatenus officit libertati. Si ergo a me, ante quælibet opera meriti ac libertatis, ſtatuitur cum delectatione *deliberatio*; proculdubio neceſſitas, quæ e noſtro ſyſtemate conſequitur, judice ipſomet accuſatore, eſt neceſſitas duntaxat conſequens, non *antecedens*. At ipſe adjiciens mendacia mendaciis, me ab aliis Auguſtinenſibus diſcrepare, & neceſſitatem *antecedentem* inducere clamitat, neſcio qua fronte atque temeritate. Sed mittamus Lycurgeum hunc judicem, amuſſi alba, & Lesbia regula utentem: nam quomodo delectatio, & voluntatis motus *indeliberatus*, aut *deliberatus* dicendus ſit, ſatis ſuperque explicavimus.

Tom. 3. pag. 151. & 152.

V. Reſtat, ut unum addatur, non poſſe in noſtra ſententia, quemadmodum nec in ſententia aliorum omnium, qui gratiam per ſe efficacem propugnant, admitti *æquilibrium* illud libertatis, in quo voluntas conſtituta habeat potentiam æque expeditam, iiſdemque viribus præditam ut ſe in unam, vel alteram partem declinet: quum æquilibrium illud commentitium omnino ſit, & ad libertatem ſufficiat, ſi ita eligat quod illi tamquam convenientius, ac præponderans ab intellectu proponitur, ut aliud tamen eligere queat, quatenus & iſtud ſecundum aliam rationem ut magis idoneum, & conveniens proponi poteſt. Porro æquilibrium illud multiplici ratione oppugnatur. Ac primo liberum arbitrium adjutum gratia ſufficiente, quæ non ſit efficax, divina præcepta plena libertate tranſgreditur, ac poteſt eadem implere, nemine Theologorum id diffitente, nunquam tamen implebit, niſi accedat auxilium illud præveniens, & efficax, quo actu opus peragitur. Priuſquam vero hæc efficax gratia divinitus inſpiraretur, aut erat illud libertatis æquilibrium, aut non erat. Si non erat; igitur abſque æquilibrio erat in voluntate poteſtas indifferentiæ, quoniam hæc poteſtas ſtabat cum ſola gratia ſufficiente: ſi autem ante gratiam efficacem voluntas in æquilibrio erat poſita; hæc gratia voluntatem magis alliciens ac trahens debet æquilibrium illud evertere, cum non poſſit æqua libra perſiſtere, ſi pondus aliquod ex una parte ſuperaddatur. Voluntas enim efficaci gratiæ auxilio prærnota habet affectionem aliquam, motionemque, quam utique non habebat carens eodem auxilio; ideoque ſi prius in æqua lance verſabatur, novo adjutorio ſuffulta ab æqua libratione deflectit. 2. Noſtra, omniumque Theologorum, quos laudavi §. 2. num. 9. & ſeq. ſententia, ubi non eſt gratia effectrix, non eſt in homine *potentia proxime expedita*, ea nempe potentia, quæ nullam aliam ad efficiendum opus gratiam requirat; requirit enim efficacem ac prædeterminantem: at nulla alia poteſtate indiget, ut libere gratiam abjiciat, & Deo vocanti diſſentiat, quum liberum arbitrium ad malum ſeipſo ſufficiat. En ergo in voluntate poteſtas expeditiſſima ad malum, ſine tali poteſtate ad bonum: en libertas abſque æquilibrio. 3. Hoc intercedit inter Adam originali juſtitia præditum, hominesque lapſos diſcrimen, quod *tales vires haberet ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut digne tantæ bonitati & tantæ bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium*. Nunc vero caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: nunc in certamine laborantes ac periclitantes dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt: *nunc poſteaquam eſt illa magna peccati merito*

amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Agnoscis, opinor, verba Augustini de Corrept. & Grat. capit. XII. num. 37. Nunc ergo æquilibrium illud, in quo conditus fuit primus homo, cum naturali facultate in utramque partem flexibili, & cum adjutorio, *quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet*, subeunte concupiscentia, & lege peccati, deperiit: & qui æquilibrium ipsum propugnant, ut ait Eminentissimus Gotti de Grat. q. 2. dub. 5. num. 26. *videntur esse peccati originalis obliti*. 4. Revera Pelagiani, qui peccatum originale negabant, adstruebant quoque æquilibrium, de quo in præsentia disseritur. Etenim S. P. Augustinus epist. 186. ad Paulinum num. 34. inquit: *Aliquando ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpendit; ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definiat Pelagius; quod si ita est, nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere*. Neque dicas, Pelagianos affirmasse tale dari æquilibrium, quo *sine gratia* voluntas tantum ad non peccandum valeret, quantum valet ad peccandum: nam sicut posito hoc æquilibrio Pelagiano, nullus reservatur locus gratiæ Christi; ita si cum gratia sufficiente duntaxat detur æquilibrium, & æqua ad peccandum, & ad non peccandum potestas, nullus erit locus gratiæ efficaci; nec erit cur Deum orare debeamus, ut operetur in nobis velle & perficere, nobisque adjutorium sanctæ operationis elargiatur. Disputans præterea Augustinus adversus Pelagianos non semel ait periisse illam libertatem, quæ erat in Paradiso, prout ostendimus lib. 16. cap. 3. pag. 294. at nec in Paradiso erat potestas perseverandi absque adjutorio *sine quo*, quum homo non talis naturæ esset conditus, ut sine auxilio Creatoris posset in accepta justitia perseverare: ideoque in hoc infirmitatis statu, etiamsi adsit adjutorium *sine quo non*, non tamen habetur plena illa libertas, quæ erat in Paradiso, nec æqua in bonum, malumque potestas, & consequenter nec perseverat æquilibrium illud; sed cogimur, quoadusque liberemur gratia Salvatoris, exclamare: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, inquit ad Rom. cap. 7. 23. Apostolus. 5. Definiente Juliano apud Augustinum lib. 3. *Op. imperfecti* n. 110. liberum arbitrium in tali libramento constitutum, *Ut tam liberum sit homini sacrificium facere velle, quam nolle, tam liberum sit parricidium velle perpetrare, quam nolle, tam liberum sit adulterium committere velle, quam nolle, tam possibile sit verum testimonium perhibere, quam falsum, tam liberum Deo obedire imperanti, quam diabolo persuadenti*; hæc Augustinus Pelagiano respondet: *Verum dicis: hoc est liberum arbitrium, tale omnino accepit Adam: sed quod datum est a Conditore, & a deceptore vitiatum, utique a Salvatore sanandum est*. Quid perspicuum magis proferri potest ad commonstrandum potestatem illam liberi arbitrii in æquilibrio sitam, quam deprædicabat Julianus, spectare ad statum innocentiæ, non ad statum hunc, in quo caro concupiscit adversus spiritum? 6. Voluntas, etiam post Adæ prævaricationem, nullo adminiculo indiget ad peccandum, cum ad malum se ipsa sufficiat; at ad non peccandum eget Dei gratia, & quidem potentiore, quam fuerit illa, quæ collata fuit primo homini; cum ad bonum non sufficiat, nisi adjuvetur ab omnipotenti Bono, & in hoc infirmitatis statu gratia non tantum posse, sed etiam velle inspiret ac tribuat. At in æqua lance constitutum non est, quod absque alterius adminiculo unum potest, alterum non potest; unum actu facit, alterum non opitulante Deo, & quidem subministratione illius adjutorii, quod dat posse & velle, nunquam actu faciet. Quare eodem lib. 3. numer. 117. ita Julianum Augustinus alloquitur: *Pingis tibi ipse quod placet, cui vacat inani corde inania volutare phantasmata. Cur enim tu adminicula gratiæ supponis bonæ voluntati, cum voluntas mala nullo innitatur adminiculo ut mala sit, vel mala esse persistat? An hic libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantum est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem te indicat delirantem?* 7. Tametsi Pelagiani æquilibrium illud, quo voluntas sine gratia ex æquo posset bonum & malum, adstruerent; nihilominus cum faterentur dari Dei gratiam ad facilius operandum, evincitur ex hoc principio non requiri ipsum æquilibrium ad libertatis naturam. Posita enim illa gratia ad facilius operandum, erit in voluntate aliquid virium, quod antea non erat, ideoque non erit tunc præcedens, & in utramque partem æquabilis libra: unde sapientissime Augustinus citata epistola 186. ad Paulinum num. 36. inquit: *Quanquam illa possibilitas liberi arbitrii tam in bonum, quam in malum, ex æqua lancis perpensione nec huic facilitati locum relinquit, quam saltem videtur* (Pelagius) *esse confessus dicendo*, Facilius possunt implere per gratiam, facilius impletur per gratiam, facillime autem sine gratia fit malum: *profecto ista possibilitas non æqua lance perpenditur*. 8. Tantum abest, ut æquilibrium sit necessario admittendum, ut longe verisimilius sit, nunquam voluntatem deliberate operaturam, si æquilibrium illud persisteret. Enim vero si duo media proponantur voluntati, neutrum eliget, nisi judicio practico unum alteri præferatur: intellectus enim *practicus*, non speculativus, movet voluntatem, ut omnes docent cum S. Thoma 1. 2. q. 9. art. 1. ad 2. Neque dicas, judicium practicum esse actum ejusdem voluntatis, unum præ alio eligentis, ut ajunt antiquiorum, & recentiorum Philosophorum bene multi: non, inquam, hoc dicas; nam idem S. Thomas proxima q. 13. art. 6. ad 3. docet, quod si duo æqualia proponantur, ideo voluntas magis in unum flectitur, quam in alterum, quia *consideratur aliqua conditio, per quam* unum alteri *emineat:* & q. 6. de Electione docet voluntatem ex necessitate ferri in bonum, *quod apprehenditur conveniens, secundum omnia particularia, quæ considerari possunt*, quo pacto voluntas *ex necessitate appetit beatitudinem*; at non moveri ex necessitate in bonum, *quod non inveniatur esse bonum secundum omnia particularia*: quod vero unum præ alio eligat, inde provenit, quod unum præ altero sit conveniens *consideratum secundum aliquod particulare*. Exponit etiam eo loci Doctor Angelicus, unde sit quod voluntas feratur in id, *quod sibi offertur magis secundum hanc particularem conditionem, quam secundum aliam*; & ait id tripliciter contingere: *Uno quidem modo, in quantum una præponderat, & tunc movetur voluntas secundum rationem, puta cum homo præeligit id, quod est utile sanitati, eo quod est utile voluptati. Alio vero modo, in quantum cogitat de una particulari circumstantia, & non de alia, & hoc contingit plerumque per aliquam occasionem exhibitam, vel ab interiori, vel ab exteriori, ut ei talis cogitatio occurrat. Tertio vero modo contingit ex dispositione hominis; quia secundum Philosophum, qualis unusquisque est, talis finis videtur ei: unde aliter movetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti, quia non idem est conveniens utrique, sicut etiam aliter acceptatur cibus a sano, & ægro.* Hæc sapientissime dicta sunt, & cohærenter ad ea, quæ leguntur in Summa 1. 2. q. 13. ubi docetur art. 3. electionem non esse finis, sed mediorum, & art. 6. bonum, quod non potest apprehendi sub ratione mali, appeti ex necessitate, cetera vero libere eligi, quatenus unumquodque secundum diversam rationem potest apprehendi, *ut eligibile, vel fugibile*. Si ergo ut voluntas libere eligat unum ex iis, quæ illi proponuntur, necessum est, ut unum alteri præponderet, aut occurrat cogitatio unius, non alterius, aut spectata subjecti dispositione unum alio videatur convenientius; ubinam erit jactatum a quibusdam recentioribus æquilibrium? 9. Non tantum recentiores Thomistæ his subscribunt, inter quos adversus æquilibrium acerrime pugnant memoratus Cardinalis Gotti q. 2. de divisione Gratiæ dub. 5. §. 3. & Cajetanus Benitez de vera Christi Gratia disp. 3. dub. 1. sed etiam priusquam æquilibrium ipsum excogitaretur a Pelagianis, & refutatum ab Augustino rursus in litterarium orbem obtruderetur, Gabriel Vasquez in 1. 2. disput. 43. argumentis pluribus demonstravit, non posse a voluntate ex æqualibus mediis unum eligi, perseverante judicio, quod utrumque sit æque conveniens; sed necessum esse ut in eo, quod eligitur, inveniatur ab intellectu peculiaris ratio boni, ob quam eligatur, & in eo, quod rejicitur, inveniatur ab intellectu ratio mali, ob quam rejiciatur. Eadem est sententia Cardinalis Bellarmini lib. 3. de Grat. & lib. Arbitrio cap. 8. ubi sexta propositione demonstrat electionem voluntatis necessario pendere *ab ultimo judicio practicæ rationis*; sibique objiciens, quod in mediis conducentibus ad finem nunquam detur judicium ita determinatum ad unum, ut non simul etiam adsit tale judicium, quod alia quoque sint media ad illum finem utilia, *Respondeo* (inquit) *judicium ultimum non pati secum aliud judicium simile, quia essent contradicentia, & repugnantia judicia. Itaque ultimum judicium non negat, quin alia sint media utilia ad eumdem finem, sed dicit omnibus consideratis hic, & nunc, hoc unum esse accipiendum tamquam utilissimum, ac per hoc absolute & simpliciter melius ceteris; quare si voluntas tunc eligeret aliquid aliud, haberet quidem rationem cur eligeret illud tale medium, quia nimirum est utile, sed non haberet rationem ullam cur omitteret illud aliud, quod hic & nunc & simpliciter est judicatum melius. Non enim nunc habet nisi unum ultimum judicium, nec potest habere, quia contradicentia essent, nimirum, omnibus consideratis hoc est melius, & omnibus consideratis hoc non est melius.* Quapropter etiam juxta Bellarminum, ut voluntas unum præ alio eligat, necessum est ut præcedat judicium pra-

Aug. to. 10. pag. 770.
Ibid. cap. 11. n. 31. pag. 767.
Gotti to. 9. p. 141.
Aug. to. 2. p. 675.
S. Thomas to. XI. pag. 24. 2.
Ibid. p. 33. 2.
Tom. VIII. q. disput. P. 140. vol. 1.
Lib 3. Ethic. cap. 5.
Tom. X. p. 2 pag. 1095.
Card. Gotti to. 9. pag. 139. & Benit. p. 199.
Gab. Vasq. 1. 2. to. 1. p. 204. col. 2. & seq.
Bellarm. to. 4. p. 269. col. 2.
Ibid. p. 1098.
Aug. to. 2. p. 676.

practicum, quo ratio affirmet illud hic & nunc esse eligendum, atque ad tale judicium requiritur ut id, quod eligitur, secundum aliquam peculiarem rationem melius appareat; quæ duo æquilibrium, & æquam voluntatis in utramque partem flexibilitatem evertunt. 10. Æquilibrium denique illud, de quo dictum est hactenus, rejiciunt quoque centum Galliarum Episcopi in sæpe laudata *Acceptatione* Constitutionis *Unigenitus;* ubi pertractantes de libertate indifferentiæ ad meritum & demeritum necessaria, ita loquuntur: „ Cette indifférence active, ce pouvoir de resister soit à la grace la plus puissante, soit aux tentations les plus fortes, ne doit pas estre confonduë avec un systême, qui supposeroit dans la volonté, des forces toujours égales pour faire le bien, & le mal; ce qui est contraire à la doctrine de l' Eglise par le peché; systeme, dont on pourroit conclure, que Dieu seroit dans l' obligation d' augmenter ses graces à ses crimes. „ Atque hæc doctissimorum Antistitum verba aliam invictissimamque rationem ad oppugnandum prædictum æquilibrium suppeditant; homini nempe, quo magis peccat, & pravis consuetudinibus sese implicans ad malum robustiori concupiscentia inclinatur, conferendum fore a Deo ampliorem & uberiorem gratiam, quæ illum constitueret in æquilibrio, sine quo admisso ejusdem æquilibrii systemate nec posset ad meliorem frugem revocari, neque ulteriora peccata vitare.

VI. Quæ paullo supra ex S. Thoma producta sunt, systemati nostro quammaxime quadrant. Affirmo enim voluntatem non ex electione, sed ex necessitate appetere finem ultimum, in quo nulla ratio mali deprehenditur, & in quem fertur naturali inclinatione: erga alia objecta & electionem dari, & motum liberæ voluntatis, quia in iis potest adinveniri ratio, per quam a voluntate abjiciantur: quod non repeto, quoniam §. 3. num. 8. collatione verborum meorum cum iis, quæ de libertate differens tradidit S. Thomas, arbitror satis superque manifestum esse. Etsi autem dum delectatione victrici voluntas trahitur ad bonum, in æquilibrio non est, & sancta delectatio præponderat cupiditati, aut ob validiorem gratiæ impulsum, aut quia animum non subit, nec voluptatem excitat objectum noxium & delectabile, aut quia ob piam affectionem, ac minorem subjecti concupiscentiam apparet illi veritas pulchrior, & virtus delectabilior; tamen bonum prosequitur electione liberrima, ut adversus Jansenium demonstravi libro 16. cap. 2. propos. 2. & 3. & judicium practicum, quo accedente voluntas unum præ alio eligit, non evertit libertatem indifferentiæ.

VII. Jansenius contra, præter loca innumera, in quibus asserit necessitatem non repugnare libertati, sed huic solam adversari coactionem, quorum locorum nonnulla produxi præcitato §. 3. num. 2. negat fieri posse, *ut eadem potentia voluntatis circa finem versetur ut natura, quantumvis in eum ferri ponatur necessario, & in ea, quæ sunt ad finem ut potentia libera*; affirmatque esse impossibile, ut eadem *potentia duos oppositos operandi modos habeat*, summopere commendans Scotum, qui in 1. dist. 10. *absurdum* existimat, *quod libera dicatur voluntas in eligendis iis, quæ sunt ad finem, & non in appetendo ipso fine*, & concludens *eamdem libertatem* esse respectu utriusque, & utrumque attingi *eodem omnino actu*. At memoria repete, quæ nos adversus hanc Jansenii doctrinam, & pro recta Scoti intelligentia scripsimus tom. 3. pag. 291. ubi demonstravimus, quomodo voluntas *naturali instinctu* feratur in finem ultimum, *electione* autem, *& libertate indifferentiæ* feratur in media; quod in capite tertio libri XVI. tam sæpe repetitum est, ut hoc unum sufficiat ad calumniam Jansenismi nobis illatam, in iis, quæ ad libertatem attinent, & ceterorum errorum origo sunt, exsufflandam. Placuit tamen operosius id agere, non ob auctoritatem accusatoris, quem nemo unus comparabit tot tantisque viris, qui nobis rectissimam viam præmonstrarunt; sed in gratiam eorum, pro quorum utilitate conscribendo Operi de Theologicis disciplinis animum appuli, & quibus peramanter quidquid in me reliquum est facultatis, ingeniique, devoveo.

Tom. 3. p. 275. & seq.

Jan. lib. 7. de Grat. cap. 13. col. 797.

COROLLARIUM I.

Ex hactenus dictis, & insignium Theologorum auctoritate confirmatis manifestissima consecutione deducitur,

1. Jansenianam hæresim circa systema *duarum delectationum* in hoc situm esse, quod Jansenius existimavit a delectatione, quæ gradu superior sit, voluntatem *necessitate* flecti, ita, ut *a sola coactione* sit libera; non autem in eo, quod Christi gratiam locaverit in inspiratione sanctæ dilectionis, aut auxilium efficax in delectatione victrici, hanc vero non *absolutam* dixerit, sed *relativam*: id enim Catholici bene multi, & quidem præstantissimi, etiam post damnationem quinque propositionum, affirmaverunt; prout constat ex §. 1. & 2.

2. Sequitur præterea duo esse capita illius hæresis; unum, quod Jansenius non admiserit genus aliquod gratiæ *ab efficaci* distinctæ; alterum, quod sub gratia *efficaci* non agnoverit *libertatem a necessitate*: his vero duobus capitibus illos adversari, qui ajunt dari gratiam, cui voluntas resistit, & sub gratia *efficaci* propugnant *libertatem indifferentiæ*; ut apparet ex §. 3.

3. Evidens item est Jansenium turpiter aberrasse, dum ait aliqua Dei præcepta esse justis *impossibilia*, & dum iisdem justis gratiam, qua fiunt *possibilia*, subtraxit; quamvis verissimum sit, non semper justis adesse gratiam *efficacem*, & potentiam illam *proxime completam*, atque *expeditam*, quæ nullum aliud exigat adjutorium, ut erumpat in actum; sicuti demonstratum est §. 4.

4. Constat in secunda, tertia, & quarta Jansenii propositione contineri duo illa portentosa capita, num. 2. hujus Corollarii expressa, quibus nempe Jansenius affirmavit gratiæ nunquam resisti, nec dari in hoc infirmitatis statu liberum *a necessitate* arbitrium: a quibus erroribus longe distant qui admittunt auxilium *inefficax* & *sufficiens*, tametsi doceant istud quoque esse efficax comparatione alicujus effectus; & ulterius ad meritum, vel demeritum requirunt *libertatem indifferentiæ*, licet rejiciant *æquilibrium* illud, quo voluntas parem habeat in unum, & in alterum propensionem, ut liquet ex §. 5. & 7.

5. Quantum denique spectat ad universalem redemptionem, in hoc versatur hæresis Janseniana, quod neget Christum mortuum esse *pro reprobis*, pro iis obtulisse sanguinis sui pretium, remedia salutis instituisse, & præparasse omnia divinarum gratiarum auxilia; execranda sane hæresis! a qua immunes sunt, qui tradunt Christum pro omnibus sanguinem fudisse, & salutis remedia, atque gratiarum munera omnibus præparasse, quamvis negent hæc singulis applicari, ut demonstravimus §. 6.

COROLLARIUM II.

Rursus ex dictis sequitur, per iniquissimam atrocissimamque calumniam tamquam Jansenianos illos traduci,

1. Qui docent utique gratiam Salvatoris esse illustrationem mentis, sanctæ dilectionis inspirationem, varios in ipsa gratia admittunt gradus, & eam, quæ efficax est, *victricem delectationem* appellant; at cum Jansenio non affirmant delectatione superiori libertatem everti, atque voluntatem non tantum *a coactione*, verum etiam *a necessitate* liberam esse defendunt.

2. Per summam item calumniam Jansenianæ hæreseos insimulantur, qui libertatem, de qua nuperrime dixi, adstruentes, agnoscunt præterea gratiam inefficacem, cui humana voluntas libere dissentitur, ideoque præcipua Jansenismi capita, unde fluxerunt errores ceteri, oppugnant ac detestantur.

3. Inique pariter Jansenistæ dicuntur, qui etsi non agnoscant absque gratia efficaci illam *completam expeditamque potentiam*, quæ ad opus peragendum non exigat auxilium aliud, docent tamen justis (immo & peccatoribus sceleratissimis) divina præcepta esse *possibilia*, eosdemque justos, nisi prius ipsi Deum deserant, nunquam a Deo deseri subtractione gratiæ actualis.

4. Nequeunt ulterius salva æquitate tamquam Jansenistæ in crimen adduci, qui licet doceant omnem gratiam esse efficacem respectu alicujus actus, rejiciantque libertatis *æquilibrium*, seu parem ad bonum, & malum, vel ad actum, & non actum, inclinationem; gratiam tamen, cui voluntas resistit, & libertatem *indifferentiæ* ad meritum & demeritum necessariam adversus Jansenistas asserta propugnant.

5. Immerito demum Jansenistæ erroris criminationem illi subeunt, qui cum exponant voluntatem Dei *antecedentem* salvandi omnes per institutionem ad præparationem auxiliorum, & universalem redemptionem per effusionem, oblationemque sanguinis Christi pro omnibus, docent a Christo etiam reprobos omnes fuisse redemptos; quamvis horum universis & singulis instituta remedia, & præparata sufficientia auxilia non applicentur.

§. VIII.

In ea, quæ de hæresi Janseniana scribit Anonymus, animadversiones, & notæ.

I. NOn erimus in hisce adnotationibus nimium prolixi, siquidem quo sensu damnatæ fuerint quinque Jansenii propositiones, & quomodo idem sensus a Catholicis universis, quantumvis in Scholarum placitis

placitis discrepantes sint, unanimiter refutetur, productis plurimis gravissimisque monumentis, in septem præcedentibus sectionibus demonstravimus. Decurram tamen per *Jansenismi Redivivi* latebras omnes, ne adversarius audeat asserere, a me arreptam potius fugam, quam initum fuisse certamen. Ait ergo articulo 1. Jansenium contendere ita peccato primi hominis sauciatam fuisse humanam voluntatem, *ut vim omnem amiserit flectendi se ad bonum, vel ad malum, ac se in quam vellet partem pro nutu determinandi.*

Fatemur hanc esse Jansenii hæresim, si addatur vo-
Jan. Red. art. 1. pag. 14. luntatem humanam peccato primi parentis vulneratam ita inter oppositas delectationes luctari, ut ab ea, quæ robustior est, *ineluctabili necessitate* flectatur. Ceterum in sententia Augustinensium, sicuti sub quacumque prava cupiditate, ita sub quacunque spirituali delectatione admittitur *libertas indifferentiæ*; ideoque hæc est nostra sententia expressissima, *Sicut quacunque gratia præventus potest iniquus reluctari; ita quacunque premente cupiditate potest justus perseverare*, lib. 17. de Theol. discipl. cap. 1. atque alibi sæpenumero. Negamus præterea nos voluntatem, in quocunque statu spectetur, etiam sine concupiscentia, non habere vim determinandi se ad malum, ad quod se ipsa sufficit: ad bonum etiam sese determinare fatemur, sed virtute præmotionis ac prædeterminationis divinæ, adeo ut sit determinans, non prædeterminans. Subscribimus demum sententiæ Scholasticorum, quam ipsemet Jansenius commemorat lib. 8. de Gratia Salvat. cap. 4. col. 825. sed cap. proximo rejicit, tanquam ab Augustini mente alienam, videlicet, requiri ad libertatem, *ut positis omnibus ad agendum requisitis, etiam cælesti quacunque delectatione, & prædeterminatione, stet simul, ut possit non velle, non autem ut simul non velit.*

Addit Anonymus, Jansenium ad *necessitatem delectationis* totum systema suum revocare, docendo lib. 4. de Gratia Christi cap. 7. lib. 5. cap. 6. & lib. 7. cap. 3. neminem animo amplecti, *quod eum non delectat, & nisi delectet, moveri nullo pacto voluntatem posse.*

Verum hoc, si intelligatur cum principio altero Jansenianæ doctrinæ, quod superior delectatio *antecedentem necessitatem* imponat, perversum & hæreticum dogma est, propriumque Jansenianæ hæreseos principium: at si intelligatur saniori sensu, idest, quod voluntas delectatione trahatur, salva tamen liberrima illius potestate, nulla ratione refellitur. Vide Antoninum Massoulié tom. 1. pag. 348. & seqq. demonstrantem ex inconcussa Augustini ac Thomæ doctri-
S. Th. sui interpres dis. put. 1. de libert. q. 6. art. 6. na, *divina motione perfici libertatem, quod ex S. Augustino & S. Thoma delectationem victricem immittat*: quod vir eximius evincit ex Augustino in cap. 5. ad Galat. lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. serm. 26. de verbis Domini, tract. 26. in Joannem, in Psal. 84. & 118. de Gratia Christi cap. 13. ex Doct. Angelico in 2. dist. 24. q. 2. art. 1. in 1. 2. q. 32. art. 1. q. 33. art. 3. & 2. 2. q. 53. art. 6. quorum perpetua doctrina est, animum voluntate trahi, delectatione voluntatem moveri ad faciendum quodcunque opus, in intelligibilibus quod est apprehensum non movere voluntatem, nisi apprehendatur sub ratione boni, naturam humani cordis esse cognatam actioni dilectionis, aliaque id genus plura, etiam ratione & argumentationibus invictissimis comprobata, quæ possunt eo loci perlegi; quum ego satis superque de his in præcedentibus pertractaverim. Quod ergo animus numquam amplectetur quod eum non delectat, a nullo hominum, qui Augustinum ac Thomam lectitaverit, immo qui philosophicis institutionibus mediocriter sit imbutus, nec ignoret pervulgatum, tritissimumque proloquium, *Trahit sua quemque voluptas*, reprehendi potest, & inter Jansenii errores amandari.

II. Animadvertit Anonymus repeti a Jansenio præ-
Jans. Red. pag. 16. viæ delectationis necessitatem, *non præcise ex natura voluntatis, sed ex ipsius infirmitate*, productis Jansenii verbis ex lib. IV. de Gratia Christi Salvat. cap. 7.

Adhuc ludit operam adversarius, Jansenianæ principia ab Orthodoxorum sententiis discernere nescius. Nam quod in statu innocentiæ non esset lacertosa cupiditas ad malum inclinans, indubitatum est; quum
Trid. Sess. V. can. 5. definitum sit in Concilio Tridentino sess. v. de Peccato Originali concupiscentiam esse *ex peccato*. Quod vero in statu innocentiæ non esset *inspiratio sanctæ dilectionis* per gratiam actualem, docent ii Theologi, qui ajunt gratiam primi hominis in hoc a gratia Salvatoris distingui, quod Adamo & Angelis ad perseverandum collata fuerit gratia, quæ non complectebatur *motionem voluntatis*, & quod in eodem statu Adam *cum sola habituali gratia & adjutorio cognitionis* potuerit perseverare: quam sententiam defendit Stephanus Dechamps de H. Jansen. lib. 3. disp. 3. cap. 16. & sequentibus, contendens in eadem stetisse Gregorium nostrum Ariminensem in 2. dist. 29. q. 1. art. 1. *quem* (inquit pag. 556. Dechamps) *non vitæ tantum instituto, sed etiam doctrina Augustinianum fuisse norunt omnes, qui vel strictim ejus libros attigerunt.* Eo loci Dechamps ad Jansenianæ potius decreta refert, quod gratia *sanitatis* comprehenderet illam voluntatis motionem, quæ ab Augustino *delectatio cælestis* appellatur, Jansenium antilogiæ, & minime sibi constantis opinionis redarguens. Adhæret eidem sententiæ Honoratus Tournely, cujus in Tract. de Gratia q. 2. art. 1. pag. 25. hæc sunt verba: *Necessitatem adjutorii* Quo, *seu gratiæ efficacis in præsenti statu repetit S. Aug. ex noxia concupiscentia, ex corruptione & infirmitate naturæ per peccatum vitiatæ, ex prævia, & indeliberata, qua indiget ut ad bonum certo inclinetur, motione, delectatione ac suavitate gratiæ victricis. Atqui ejusmodi causæ & rationes locum non habuere in statu naturæ innocentis & integræ. Quapropter gratiam sanitatis nusquam S. Aug. appellat nomine delectationis, voluptatis, præviæ suavitatis, aut motionis & excitationis victricis, quemadmodum gratiam medicinalem sæpius appellat.* Si ergo creatura innocens juxta Orthodoxos quosdam Theologos a Deo cum bona voluntate & amore casto producta non opus habebat ad perseverandum in accepta justitia, *motione voluntatis, & inspiratione sanctæ delectationis* in ordine ad actus consequentes: nequit in hoc sita esse Jansenianæ hæresis, quod ex infirmitate, & ex concupiscentia repetat necessitatem præviæ delectationis.

III. Pergit Anonymus adnotare, quod Jansenius *duplicem delectationem distinguat, terrenam quæ ad malum trahit, & cælestem quæ ad bonum movet*, & quam lib. 4. de Grat. cap. 1. & 8. appellat *gratiam medicinalem Salvatoris.*

Verum utinam nil aliud Jansenius dogmatizasset! Quis enim inficias ibit, aliud esse cupiditatem allicientem ad malum, & aliud sanctam delectationem trahentem ad bonum, & hanc gratiæ deputandam esse? Vide Augustinum de sp. & lit. cap. 29. num. 51. & cap. 36. num. 64. lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 10. num. 22. aliisque in locis a me productis lib. 15. cap. 8. Addamus unum, vel alterum. *Caritatem*, inquit S. P. in 3. de doctrina Christiana cap. 10. 16. *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, & proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* Et de Trinitate lib. 9. cap. 7. in fine, *Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit: quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris, idest, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis: ergo aut cupiditate, aut caritate.* Igitur ad agendum trahimur amore sive cupiditatis, sive caritatis; sive prava, sive sancta delectatione, sensu exposito, ne iterum *Bajanismum* objicias, in dissertatione priori. Quod autem suavitas, & delectatio cælestis sit Dei gratia, nonne satis constat ex lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum num. 11. ubi Augustinus gratiam definit *inspirationem dilectionis*, & ubi doctissimi Benedictini Editores apposuerunt in margine, *Gratia inspiratio dilectionis?* *Tom. X. pag. 474.* Nonne evidens est ex illis Augustini verbis in 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 19. num. 33. *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum ejus gratia didicimus, dum antea lateret, ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret, ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur?* *Eodem tom. 10. pag. 57.*

IV. At enim, inquit Anonymus, Jansenius *utramque delectationem adstruit*, quæ antevertit voluntatis con-
Jans. Red. pag. 57. sensum, ideoque gratiam constituit *in delectatione indeliberata, cælitus in voluntatem immissa*, uti sese explicat de Gratia Chr. Salvat. cap. 11.

Bene, sapienterque; at nil hactenus ad hæresim Jansenianam. Quod enim gratia præveniens sit actus inspiratus intellectus & voluntatis, sive illustratio mentis, & voluntatis affectio omnem deliberationem præveniens, est sententia inter Theologos fere communis. Vide auctores id asserentes, horumque sententiæ monimenta apud Fridericum Gavardi tom. 4. pag. 301. Nuperrimus Auctor, qui *Summam Augustinianam* * Romæ edidit, idem demonstrat q. 1. art. 3. ex quo Augustinus prævenientem gratiam appellaverit *certam scientiam, & victricem delectationem*, & quidem *indeliberatam*, ut docet art. 4. pag. 7. de quo auctore dictum supra. Parum ab hac sententia discrepare mihi videntur Thomistæ, qui gratiam statuunt in Dei motione actus indeliberatos præveniente, siquidem motionem Dei nemo unus denegat; quamquam Ferrariensis 4. contra Gentil. cap. 145. Sotus de natura & Gratia cap. 26. Medina 1. 2. q. 110. Gonzales 1. p. disp. 48. sect. 3. & quidam alii Thomistarum sententiam priori loco positam approbent. Utut sit, nequit inter scita Jansenianæ locari quod gratia præve-

*Scilicet, Alticotius Jesuita.

præveniens in delectatione *indeliberata* sita sit : quamquam hæc gratiæ definitio non sit adæquata , quum delectationem præcedat illustratio mentis , quæ est gratiæ effectus prior ; unde Tournelius , cujus verba produxi num. 2. fatetur repeti ab Augustino in hoc statu necessitatem gratiæ efficacis , ex quo natura per peccatum vitiata indigeat *prævia & indeliberata delectatione gratiæ victricis*. Quomodo vero delectatio sit *indeliberata*, quatenus inspiratur a Deo, sed ad actum liberum præcedat *deliberatio* voluntatis, satis , ut arbitror, explicavi §. 7. Jansenius itaque non erravit constituendo gratiam in actu *indeliberato* ; sed erravit negando *deliberationem* voluntatis , ac liberam ejus potestatem , contendens voluntatem a Deo inspiratam *necessitate* ad agendum impelli.

V. Quod numero v. & sequentibus ait Anonymus ,

Jans. Red. pag. 18. *delectationes indeliberatas* in Jansenianο systemate esse *invincibiles*, *ita ut necesse sit debiliorem semper cedere illi , quæ actu prædominatur* ; id proprie Jansenianæ hæresis principium & caput est. Gratulamur itaque , quod interdum ex invito pectore erumpat veritas. Verum absolvat nos a Jansenianæ hæreseos calumnia ; siquidem & nos principium illud execramur , atque proscribimus , non tantum in hisce vindiciis , & in præcedenti §. 3. verum etiam in locis illis compluribus , in quibus pro libertate *indifferentiæ* sub quacunque delectatione victrici pugnavimus. Et ne repetamus singula ; annon tom. 3. pag. 316. hæreticum Jansenii sensum esse tradidimus, quod in illius systemate impossibile est, *ut vigente sancta delectatione illicitum prævaleat desiderium & consideratio peccati , & e contra sub vividiori concupiscentia necessario liberum arbitrium succumbat* ? Vide nos nequaquam fraude, ac dolo hæreticum Jansenii sensum involvere , ut sæpenumero conviciator conqueritur. Verissimum est Jansenianam hæresim in statuendo delectationes *invincibiles* potissimum sitam esse, sive ut scribit Stephanus Dechamps lib. 2. disp. 3. cap. 5. pag. 231. *Jansenius secutus est opinionem a Concilio Tridentino damnatam & execratam , quia pugnat nullam gratiæ efficaciam , nullam necessitatem actibus liberis formidandam esse , sed solam vim , coactionem , & necessitatem violentiæ* : lib. 8. de Grat. Christi cap. 19. *Quia docet genuinam gratiæ cum libero arbitrio consensionem in eo positam esse , ut voluntas sub gratia non mere passive se habeat , sed sponte agat , & sine coactione ;* ibidem cap. 17. *Quia statuit ad naturam & essentiam liberi consensus non pertinere potestatem dissentiendi , & abjiciendi inspirationem si velit ;* eodem cap. 17. *Quia statuit victricem gratiam operandi necessitatem inferre , & gratiam quantumlibet efficacem , etiam talem , qualis in cælo cum summa delectatione dabitur , non tollere libertatem , adeoque pugnat , in Christo , qui summæ gratiæ torrente visionem Dei claram comitante ad unum determinatus fuit , tantam necessitatem libertati ad meritum necessariæ non nocuisse* ; lib. 8. de Gratia Chr. cap. 3. *Quia* demum *licet videatur admittere ad sensum Thomistarum* distinctionem *sensus compositi & divisi*, atque sub quacunque delectatione victrici *potestatem dissentiendi ;* quia tamen in sensu Jansenii hæc potestas dissentiendi invenitur, ubicunque est voluntas immunis *a coactione* , nullibi his verbotenus Catholicis declarationibus adstruit veram libertatem *indifferentiæ*. Ex quibus obiter inferas , quum nos pro libertate ista adversus Jansenianos totis viribus certaverimus, Volumine 1. de Theologicis disciplinis pag. 378. Vol. 2. pag. 307. & 506. Vol. 3. pag. 132. 151. 156. 197. 265. usque ad 282. 316. 343. Volum. 4. pag. 188. Volum. 5. pag. 176. aliisque in locis, systema nostrum distare toto cælo ab errore Jansenιano , fluente *ex duabus delectationibus invincibilibus*.

VI. Possent prætermitti cetera , quæ Anonymus ait

Jan. Red. pag. 19. de duabus delectationibus , siquidem hoc unum ab eo contendimus, ut demonstret easdem delectationes ita a nobis admitti , ut ideo liberum fateamur arbitrium , quia cum trahimur delectatione , volumus , nec operamur inviti , libertate indifferentiæ sublata : sed nihilominus attingamus & reliqua. Itaque num. 6. ait , *juxta Jansenium in conflictu duarum delectationum ab illa , quæ prævalet , semper trahi voluntatis assensum* . At hoc duplici ratione potest intelligi: si enim dicas in hoc errasse Jansenium , quod asseruerit voluntatem trahi a superiori, ac prævalente delectatione , quadam *ineluctabili necessitate*, & cum interitu libertatis ; utique hoc est dogma Jansenianum , ut nuper diximus . Si autem dicas esse errorem in Jansenio damnatum , quod voluntas sequatur id , quod magis delectat, allucinaris & falleris: nam est doctrina S. Thomæ , atque , ut arbitror , omnium philosophorum , quod voluntas sequatur judicium practicum intellectus , quo judicio id proponitur amplectendum , quod magis bonum , seu *convenientius* apprehenditur . Quare id nequit inter Jansenιana placita connumerari.

VII. Ejusdem generis est , quod Anonymus animadvertit seq. num. scilicet , in Jansenιano systemate , *si duæ delectationes oppositæ , atque ejusdem ponderis contranitantur , voluntatem hærere suspensam* . Id enim errorem comprehendit, si hoc ita accipias , ut illarum oppositarum delectationum conflictus *sopiri nequeat* , nisi altera delectatio prævaleat , ac prævalente voluntas *necessitate* trahatur ; ut revera docet Jansenius lib. 1v. de Grat. cap. 10. citato ab Anonymo , ubi ait in hoc infirmitatis statu periisse libertatis indifferentiam , & *immani delectationum pondere voluntatem ita delectabiliter captivam detineri , ut neque libeat , neque velit , neque possit , neque sciat surgere* . Immo non veretur voluntatem appellare non solum *ægrotam* , sed etiam *mortuam* . Vide Jans. pag. 433. Ceterum si quis dixerit voluntatem non moveri , nisi una delectatio alteram vincat, salva ipsius voluntatis libera potestate, verum dicet , neque ob id tantum merebitur tanquam Jansenianus traduci. Idem namque docet , nec docet tantum , verum etiam demonstrat Antoninus Massoulié citato art. 6. pag. 349. ubi ait : *Certum est , & a Sancto Augustino in caput* 5. *Epist. ad Galatas verissime dictum* , Quod amplius nos delectat , secundum illud operemur necesse est. *Quod hoc accommodatissimo exemplo explicat . Si occurrat alicujus pulchritudinis species , quæ incautam voluntatem ad voluptatem pelliciat ; si tamen plus delectat illa intima & sincera forma castitatis , hæc delectatio alteram delectationem vincet , alteriusque vires subtrahet alter amor . Unde tanquam certissimam in Philosophia Morali & Ethica Christiana regulam statuit idem Augustinus peccati causam duplicem esse* , sive quia *bonum* latet , sive quia non delectat, *lib. 2. de peccator. meritis cap.* 17. Tanto quippe vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus , eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum. *Hæc verissime a sancto Viro dicta , quibus omnino consentanea sunt quæ toties docuit D. Thomas , bonum , quo voluntas movetur , esse bonum cognitum & conveniens : cognitum quidem , quia ignoti nulla cupido , neque amari potest si lateat : conveniens vero , quia alioquin non moveret voluntatem , &c.*

VIII. In sequenti adnotatione statuit Anonymus , *Jans. Red. pag. 20.* ita Jansenium systema suum in duplici delectatione locasse, ut delectationi , quæ gradibus superior est altera , atque ad unum movet ac determinat , *voluntas nullatenus possit suum denegare consensum* , producitque ad hoc demonstrandum loca quædam Jansenii , quæ & nos Volum. 3. pag. 396. aliisque in locis ad Jansenianæ hæreseos pravitatem demonstrandam protulimus . Sane citato in loco hæc nostra de Jansenio sententia est: *Docet Jansenius lib.* 1v. *de Grat. Christi cap.* 11. *gratiam esse delectationem & suavitatem , qua animus in bonum appetendum delectabiliter trahitur ; ac pariter delectationem concupiscentiæ esse desiderium illicitum , quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat. Eodem lib. cap.* 9. *docet utramque delectationem invicem pugnare , earumque conflictum sopiri non posse , nisi alteram altera delectando superaverit , & eo totum animæ pondus vergat , ita ut vigente delectatione carnali impossibile sit , quod virtutis & honestatis consideratio prævaleat , &c.* Hæc eadem Anonymus profert laudato n. 8. Consentimus ergo cum Orthodoxis omnibus , immo cum ipsomet adversario in designando præcipuo Jansenii dogmate , neque istud artificiosa fraude ullibi dissimulare ausi fuimus. Verum cum ipso damnato pravoque dogmate aut nostra, aut nostratium asserta immerito accusator confundit.

IX. Ait proximo numero 1x. Jansenianæ doctrinæ basim ac fundamentum esse quod Augustinus scribit in caput 5. Epistolæ ad Galatas , *Quod enim amplius nos delectat , secundum id operemur necesse est* . In quo Jansenius prave Augustini verba interpretatur, *Augustinus enim commentario suo in Epistolam Pauli ad Galatas de iis agens , in quibus regnat justitia , qui libera voluntatis electione ac determinatione virtutem vitiis anteponunt , & quos virtus consequenter magis delectat , quam vitium , de iis inquam asserit Sanctus Doctor , quod dum eis inest virtutis amor , talis amor impediat ne tentationi cedant , ac naturæ pravitate vincantur ; quia scilicet tunc magis delectat virtus , quam vitium , & hæc delectatio causa est cur non peccato consentiamus*. Hinc infert Augustinum loqui de illa delectatione, quæ oritur ex amore virtutis, ex eo quod virtutem vitio libere præponamus, quæ est *delectatio deliberata*, & quæ ex libera voluntatis determinatione procedit; Novatorem vero contendere per id *quod amplius nos delectat* intellexisse Augustinum delectationem præviam , indeliberatam, & invincibilem, qua ad aliquid volendum necessario impellamur. Hæc Anonymus.

Aliquantulum in his immoremur , necessum est . Ac primum aperte est demonstrandum , nos ab hac interpretatione Jansenii penitus recessisse : quod con-

ſtat ex noſtra Auguſtiniani loci expoſitione lib. XIV. cap. 11. ſive tomo 3. pag. 201. *Auguſtinus docet nos neceſſario ſequi quod magis delectat, ſumpta neceſſitate pro infallibili conſecutione actus, non pro negatione poſſibilitatis ad actum oppoſitum: quo ſenſu neceſſe eſt ut ſedeamus quandiu efficaciter ſedere volumus, ſalva ſemper poteſtate non volendi quod volumus.* Et lib. XVII. cap. 1. ſive pag. 317. hæc ſcripſimus: *Sententia noſtra nec ſemper gratiæ delectationem inſpiranti aſſentimur, neque neceſſe eſt ut ſequamur quod magis delectat.* Non potuit ergo a nobis expreſſius refelli Janſenianum dogma, in eo ſitum, quod ex prævia delectatione ſuperiori ad aliquid volendum *neceſſitate antecedenti*, & *abſque poteſtate reluctandi* impellamur. Certiſſimum deinde eſt, nonnullos Theologos Orthodoxos uti ad explicandam efficacitatem gratiæ, quæ prævenit omnem actum deliberatum, atque determinationem voluntatis, præcitato Auguſtini teſtimonio, ut conſtat ex Antonino Maſſouliè, de quo præcedenti num. 7. Nec proinde tamen vir præſtantiſſimus aſſentitur Janſenio; ſiquidem poſita gratia per ſe efficaci, ſive ea ſit delectatio victrix, ſeu Dei motio hanc delectationem inſpirans, ſeu phyſica qualitas, neceſſum eſt ut conſequatur opus, non illa neceſſitate, quæ tollit poteſtatem ad oppoſitum, & quam Scholæ appellant *antecedentem*, ſed neceſſitate illa, quam *conſequentem* dicunt, & quæ infert infallibilem conſecutionem effectus, ſalva liberi arbitrii poteſtate ad oppoſitum, ut nuperrime egomet explicavi, & luculenter ipſe Antoninus *De libertate creata* quæſt. 7. art. 2. & 4. Tandem animadvertendum eſt, præcedere quidem operi deliberationem voluntatis, ſeu voluntatem, ac delectationem deliberatam, quam Orthodoxi omnes fatentur adverſus Janſenianos: at hinc non ſequitur gratiam prævenientem hujuſmodi deliberationem non eſſe inſpirationem ſanctæ delectationis; neque enim voluntas libere aliquid amplectitur, niſi Deus inſpiratione gratiæ *aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat*, ut ait Auguſtinus de Peccat. meritis cap. 19. Sed repete quæ ſcripſimus libro XIV. cap. 8. prop. 2. ac ſupra §. 7. ac lege ipſum Maſſouliè tom. 1. pag. 349. & ſequentibus.

X. Hinc ſequitur ad nos nullatenus pertinere quæ addit Anonymus pag. 22. ut evincat Auguſtinum non loqui *de illa delectatione prævia indeliberata & invincibili, qua ad aliquid volendum neceſſario impellamur*. Etenim & nos hujuſmodi delectationem neceſſitate impellentem rejicimus. Neque ad nos ſpectant quæ affert num. x. ad oſtendendum loqui Auguſtinum in Epiſtolam ad Galatas cap. 5. *de amore deliberato caſtitatis*; ſiquidem amorem deliberatum agnoſcimus, ſed aſſerimus huic præcedere motionem & inſpirationem ſuavitatis, quæ delectare faciat quod antea non delectabat, uti explicavimus §. 7. luculenter, & in 2. de peccat. meritis num. 33. tradidit Auguſtinus. Hæc autem ſuavitatis inſpiratio, quum fiat in nobis ſine nobis libere volentibus, indeliberata dicenda eſt, ſed deliberationis & voluntatis liberæ cauſa prævenions & effectrix. Auguſtinum autem non loqui de indeliberata amoris inſpiratione hoc modo a nobis expoſita, quomodo adverſarius evincit? Primum, quia hoc exemplum Auguſtinus adducit: *Occurrit forma ſpecioſæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſi plus delectat pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundum hanc vivimus, & ſecundum hanc operamur.* Perſpicuum eſt (inquit Anonymus) hic agere Auguſtinum de amore deliberato caſtitatis, ſecundum quem actiones noſtras dirigimus & ordinamus. „ Verum longe melius Antoninus Maſſouliè, de quo ſupra n. 7., ait eodem exemplo explicari ab Auguſtino quomodo voluntas delectatione trahatur, ratione ſcilicet, quæ efficacitati gratiæ poteſt aptari. Detur enim Auguſtinum loqui de amore caſtitatis deliberato, quod ex hoc teſtimonio non conſtat: nonne ad amorem illum deliberatum neceſſe eſt, ut *pulchritudo intima, & ſincera ſpecies caſtitatis* voluntatem alliciat, ut ſecundum gratiam deliberate operemur, & cum delectatione deliberata faciamus quod Deo placere cognoſcimus, quemadmodum forma ſpecioſæ fœminæ allicit excitatque illicitam delectationem, quæ, niſi plus delectet pulchritudo illa intima, trahit ad inceſtuoſam fornicationem? Hoc itaque in loco Auguſtinus delectationem indeliberatam minime excludit. Immo ſi attente legas, percipies ſanctum Patrem eo loci ante deliberatas actiones agnoſcere *motus voluptatis & cupiditatis ſine nutu conſenſionis:* qui utique *indeliberati* ſunt, ac ſi ad immunditiam titillent, ſunt motus inſeminatæ vitio Adæ concupiſcentiæ; ſi ad caſtitatem alliciant, ſunt gratiæ Salvatoris effectus, non tamen cum demerito, ſive cum merito, niſi accedat deliberatus voluntatis aſſenſus. Futilis eſt ergo prima Anonymi argumentatio. Nec eſt melioris notæ ſecunda. Inquit „ Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum aſſerere Angelum & Adamum peccaſſe, *quia illos aliquid illicitum delectavit*, nec tamen in Angelis & Adamo præceſſiſſe indeliberatam delectationem, quam Janſenius contendit ortam eſſe ex infirmitate per peccatum contracta „. Profitemur rurſus nulla nos de Janſenio, cujus dogmata jure Eccleſia proſcripſit, angi cura: at oriri motus indeliberatos pravæ delectationis ex concupiſcentia in nobis ad agonem permanente certiſſimum eſt, & gratiam inſpirantem bonam voluntatem neceſſariam eſſe in hoc infirmitatis ſtatu ob vulnus naturæ aſſerunt Theologi præſtantiſſimi, ut diximus num. 2. Perperam ergo hæc ab Anonymo repetuntur. Peccatum quoque patrari delectatione deliberata, ultro concedimus: at huic non præcedere indeliberatam animi motionem in hoc ſtatu, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, quomodo, obſecro, infertur ex peccato primi parentis & Angelorum? Hi præterea ab initio non habebant utique præviam delectationem ingenitam, aut præcedenti peccato inſeminatam; ſed habere poterant, atque habuerunt reipſa præviam delectationem, ſibi rei illicitæ contemplatione immiſſam: neque enim deliberate appetiiſſent, quod concupiſcibile & voluptuoſum antea non judicaſſent. Itaque Auguſtinus adverſus Fauſtum hoc unum docet, hominem & Angelum non ita conditos, ut nihil eos poſſet illicitum delectare, ſed in eo genere creatos, *ut ineſſet eis poſſibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccaverunt.* Ex hac poſſibilitate frænandi delectationem demonſtrat bonam eſſe naturam humanam & Angelicam, & laudabilem eſſe Deum Conditorem utriuſque naturæ. Hic Auguſtini ſcopus eſt, hæc adverſus Manichæos ratiocinatio, ad delectationem, quam gratia inſpirat, omnino impertinens. Probat denique Anonymus Auguſtinum non agere *de delectatione indeliberata* argumento *ad hominem*, ut inquiunt, contra Janſenium; quoniam delectatio indeliberata, quam admittit Janſenius, „ non eſt effectus gratiæ, ſed juxta illum eſt ipſamet gratia: Auguſtinus autem agit de delectatione caſtitatis *per gratiam*, ideſt, quæ gratiæ effectus eſt. „ Invictum ſupra quam dici poſſit argumentum! Hoc argumento premuntur (ſi premuntur tamen) & ii, qui gratiam conſtituunt in actibus indeliberatis; nam & hi actus ſunt *per gratiam*, non per ſolius naturæ virtutem. At enervat Auguſtinus puerilem illam luſionem, definiens gratiam, *Gratia eſt inſpiratio ſanctæ dilectionis*: inſpiratio gratia eſt, ſancta dilectio effectus eſt. Vide definitionem a nobis traditam tom. 3. pag. 140. ad iſtiuſmodi ſcrupulos eradicandos aptiſſimam.

XI. Sequitur Anonymus Janſenium refellere, eo quod præcitatum Auguſtini locum millies obtrudens totum ſyſtema ſuum eo nitatur exponere, adeo ut juxta Janſenium *neceſſe ſit, ut e duabus delectationibus indeliberatis, gratia nimirum & cupiditate, voluntas ſemper illi obſequatur, quæ actu alteram gradibus ſuperat, neque gratiæ, neque cupiditati reſiſtere unquam valeat, cum una aut altera ardentior ac ſuperior eſt.* Nunc bene Anonymus hæreſim Janſenianam delineat: nec aliud optamus, niſi ut oculos adaperiat, videatque num ita nos locum illum Auguſtini interpretati ſimus. Extant verba ab adverſario legenda paullo ſupra num. 9.

XII. Adducit præterea Anonymus argumentum, quod vocat *peremptorium*: „ Omnes enim etiam Janſeniani, fatentur Commentarium in Epiſtolam ad Galatas editum ab Auguſtino antequam ad Epiſcopatum eveheretur, & quum Semipelagianorum detineretur errore, de qua re, ut omne dubium tollatur, conſuli poſſunt Tillemontius, Dupinius, & nova Patrum Benedictinorum editio. Janſenius ergo Sancti Doctoris textui adulterinum ſenſum, ſuoque errori faventem, quem ipſi tribuit, tribuere non poteſt, quoniam *textus Auguſtini in ſenſu Janſenii intellectus directe impugnat non ſolam hæreſim Pelagianam, ſed etiam Semipelagianam quoad initium fidei.*

His rejecto duarum delectationum ſyſtemate, ut a Janſenio ſtatuuntur invincibiles, & neceſſitatem ineluctabilem inferentes, reſpondeo eſſe revera Auguſtinianam *expoſitionem* Paulinæ ad Galatas Epiſtolæ conſcriptam, antequam ſanctus Pater penitus a Semipelagianis declinaſſet: ad quod dignoſcendum non opus eſt Tillemontium, Dupinium, & Maurinos Patres perlegere, quos Anonymus, ut aliquantulum oſtentet eruditionis, indiligenter locisque prætermiſſis commendat; quum evidens ſit ex lib. 1. Retract. cap. 23. & 24. eamdem expoſitionem perfectam fuiſſe ab Auguſtino adhuc presbytero. Verum illic S. Pater loquitur de *ſancta delectatione caſtitatis*, quam & Semipelagiani gratiæ adſcribebant, nativæ arbitrii facultati tribuentes ſolum ſanctæ credulitatis effectum, quem & a caſtitate, & ab omni opere ſecernebant, ut gratiam ſimul admitterent, ac ſalutis initium a naturali voluntatis facultate repeterent. Quod S. Hilarius aperte ſcri-

Janſ. Rediv. pag. 22.

Auguſt. in cap. 5. ad Galat. num. 49.

Janſ. Rediv. pag. 25.

Pag. 26.

Tom. 1. Op. Aug. pag. 783. & 791.

te ſcribit in Epiſtola ad Auguſtinum his verbis: *Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt*; & Auguſtinus ipſe lib. de Dono Perſev. cap. 1. num. 2. *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant.* Nil ergo adverſus duarum delectationum ſyſtema efficit, quod Auguſtinianum illud proloquium depromptum ſit ex libro edito ab Auguſtino adhuc inter Semipelagianos verſante. In hoc tamen culpandus Janſenius, quod libertati indifferentiæ indicto bello, verba Auguſtini interpretatus ſit de illa neceſſitate *antecedenti*, quæ talem libertatem non patitur. At nos ea verba de neceſſitate tantum ſequente, prout hanc ſub divinis præfinitionibus ſalva poteſtate ad oppoſitum exponit univerſa ſchola Thomiſtica, accepimus & explanavimus. Repete quæ numero 9. dicta ſunt. Eadem ratione Auguſtiniana verba expoſuit P. Bellelli, ſcribens lib. 3. de modo Reparationis cap. 6. *Etenim, ut etiam docet in Expoſit. Epiſt. ad Galatas num. 49. Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt. Quoniam ſcilicet, facta ſuppoſitione quod virtus, tametſi indifferens, operi ac actioni applicetur, agat tunc, opereturque neceſſe eſt; neceſſitate tamen conſequentiæ & illationis.* Ait vero Theologus præſtantiſſimus, *ut etiam docet in Epiſtolam ad Galatas*, quoniam per gratiam fieri ut velimus, & *tanto ardore diligamus* ut voluntas ſpiritus vincat voluntatem carnis contraria concupiſcentem, ſive ut *vehementius velimus, & delectemur ardentius*, tradidit itidem S. Pater de Corrept. & gratia cap. 11. num. 31. cap. 12. num. 38. de peccator. meritis lib. 2. cap. 17. num. 26. & 27. atque in aliis locis compluribus, de quibus §. 1. & 2. Atque hinc magis apparet infirmitas illius argumenti, quod Anonymus exiſtimat *peremptorium*: quum voluntatem operari ſecundum id, quod vehementius & ardentius delectat, docuerit ſapientiſſimus Auguſtinus non ſolum in Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas, verum etiam in poſterioribus contra Pelagianos Operibus. Redarguatur itaque Janſenius verbis Auguſtini abutens ad libertatis exitium, & ad neceſſitatem antecedentem inferendam; ſed præmoneatur ſimul iiſdem verbis ſobrie & caſtigate Theologos illos uti, qui ita victricem delectationem cum Auguſtino propugnant, ut libertatem a neceſſitate immunem adverſus hæreſim Janſenianam defendant.

Bellelli de modo Reparat. tom 1. pag. 129.

XIII. Evincit præterea Anonymus, Janſenianum ſyſtema aperte Auguſtino adverſari, quod nunquam S. Patro in mentem venerit, *oriri ex delectatione indeliberata invincibili agendi neceſſitatem*: imo expreſſe Auguſtinus docuerit, immunem *a neceſſitate* voluntatem poſſe pro nutu prævenienti gratiæ conſentire, vel diſſentire. Duo hanc in rem Auguſtini loca producit. Primus ex lib. de ſp. & lit. cap. 34. ad hunc modum ſe habet: *Agit Deus ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes, ſive intrinſecus, ubi non habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt . . . . . Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Et in libro de Civit. Dei ſupponit idem Doctor, *e duobus hominibus æqualiter animo, & corpore affectis, & eadem tentatione pulſatis unum peccare, alterum in bono perſeverare; atque hujus diſcriminis nullam aliam apparere cauſam reponit, niſi quia unus voluit, alter vero noluit tentationi aſſentire.* Hæc Anonymus citans e veſtigio Auguſtini lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. Addit quædam alia ad demonſtrandum adverſari S. Doctori Janſenianum dogma *de ineluctabili neceſſitate*.

Janſ. Rediv. pag. 27.

Gratulandum mihi eſt adverſario, quod Janſenio eripiat Auguſtini patrocinium, & quod Janſenianum dogma non in delectationem *utcunque* ſitum agnoſcat, ſed *in delectatione invincibili*, ex qua oriatur *neceſſitas ineluctabilis*. Hunc Janſenianæ hæreſeos characterem & ego ſuperius ſtatui §. 3. num. 2. & priuſquam manus huic Operi admoverem tom. 3. de Theolog. Diſciplinis pag. 156. 160. 316. atque alibi paſſim. Itaque fidem noſtram commendet, & quod nos a Janſenianis divellit, non taceat, maxime quod non unum, aut duo, ſed quamplurima Auguſtini loca produximus, ut adverſus Janſenium invicte defenderemus, auctoritate præſertim S. Patris, perſiſtentem cum gratia efficaci *libertatem indifferentiæ*. Nunc ergo quantum a Janſenio diſceſſerimus, evincimus ex iſtis Anonymi prænotatis. Nam ſtatuit Janſenius *invincibilem delectationem*, ex qua oritur *agendi neceſſitas*, hanc ex Auguſtino peſſime inferens, quum S. Doctor adverſus eamdem neceſſitatem propugnaverit liberam ad aſſentiendum, vel diſſentiendum voluntatem. Hæc illius num. 13. ſumma eſt. At nos negamus indeliberatam illam delectationem, ex qua voluntas ad agendum *invincibili neceſſitate* trahatur, ac defendimus ſub concupiſcentiæ, vel gratiæ robuſtiori delectatione liberum *a neceſſitate ineluctabili* arbitrium. Id vero argumentum eſt totius fere libri XVI. Theologicarum diſciplinarum. Igitur Janſenio, judice ipſomet Anonymo, nos e diametro opponimur, & adverſamur. Ceterum quid ſibi volunt interpunctiones illæ priori loco de ſp. & lit. ab Anonymo infixæ? Ibi nempe Auguſtinus commendat prævenientem gratiam, *qua Deus ipſum velle operatur in homine*, atque hinc infert non ex ſolo voluntatis arbitrio pendere quod unus aſſentiatur, alter diſſentiatur Deo vocanti, ſed repetendum hoc eſſe ex ampliori gratiæ virtute, & ex beneplacito Dei in uno vocationem, in altero etiam ſuaſionem voluntatemque operantis. Quare addit paullo infra Auguſtinus: *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat*: O altitudo divitiarum! &, Nunquid iniquitas apud Deum? „ Interſecanda itaque erant Auguſtini verba a Scriptore, qui ſtatim erat affirmaturus, ex duobus *æque affectis* unum peccare, alterum perſeverare in bono; atque hujus diſcriminis nullam aliam cauſam apparere, *niſi quia unus voluit, alter noluit tentationi aſſentire*. Non ita profecto Auguſtinus, qui docet ei, qui perſeverat, ita bonum ſuaderi, *ut perſuadeatur*, ei autem, qui peccat, *non ita*, ideoque non eſſe æqualiter affectos, ſed diſpari gratia prævento. Hinc agnoſcimus cujus ſententiæ ſit adverſarius, ex eorum nempe genere, qui ajunt ex duobus æqualiter animo & corpore affectis, eademque vocatione pulſatis, unum cadere, alterum ſtare, neque aliam hujus diſcriminis dari cauſam, niſi liberam voluntatem. Nil ergo mirum, ſi nos *Janſeniſmi* damnat homo, qui aperte ſe prodit eorum unus, penes quos nil ſolemnius, quam defenſoribus gratiæ efficacis opponere libertatis interitum, & fatalem neceſſitatem.

Aug. tom. 10. pag. 120.

Dices, opinor, annon idem revera tradidit Auguſtinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 6.?

Huc, etiamſi non provocaſſes, jam accedebam. Auguſtini verba hæc ſunt: *Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam male ſuadenti adhibuit, voluntatem, quæ in eo res fuerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, alter conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? Unde niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio?* Norunt omnes hæc a Mediſtis urgeri, ut ſuadeant ſub eadem prævenientè gratia unum pro nutu voluntatis aſſentiri, non alterum: produxitque Auguſtinianum hunc locum diſp. 12. Concordiæ Ludovicus Molina, quem poſtea Mediſtarum reliqui ſequuti ſunt ad ſyſtema ſuum confirmandum. Rurſus itaque Anonymus Mediſtam ſe prodit; aut potius, quoniam nullibi ſententiam eorum, qui gratiam abſolute victricem defendunt, audet aperto marte refellere, Proteum quemdam, de quo fabulantur in varias ſeſe formas vertere ſolitum, nunc animal, nunc ſtipitem apparuiſſe. Ceterum qualiſcunque ei arrideat opinio, neque enim nos ulli in crimen adſcribimus quod a nobis recedat; argumentationi ex verbis Auguſtini petitæ reſponſum eſt a Thomiſtis, atque a Noſtratibus, agere S. Patrem lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. de cauſa *malæ voluntatis*, quam Manichæi malæ adtribuebant ſubſtantiæ, ideoque demonſtrare ſeq. cap. 7. & 8. malæ voluntatis initium repetendum eſſe ex ſolo libero arbitrio, non autem aſſerere non eſſe tribuendam Deo voluntatem bonam, quam cap. 9. oriri docet *ex operante adjutorio Creatoris*. Reſponderunt quoque, nil verius eſſe, quam unum aſſentiri, alium vero diſſentiri gratiæ vocanti, pro nutu atque optione voluntatis ſuæ; ſed in eo tamen, qui aſſentitur, præparari voluntatem a Domino, eique divina miſericordia conferri efficax gratiæ adjutorium, quod alteri occulto Dei judicio negatur, prout S. Pater expreſſe docet in libro de Prædeſt. SS. cap. 6. n. 11. ubi ad objectionem Semipelagianorum, *Multi audiunt verbum veritatis: ſed alii credunt, alii contradicunt; volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi*, reſpondet: *Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio*. Jam ego hæc animadverteram lib. 4. cap. 12. ac ſimilia tradiderat Alvarez diſput. 108. n. 5. Hinc habes Anonymum recte contra Janſenium aſſerere *libertatem indifferentiæ*, perperam autem uti iis Auguſtini verbis, quibus Mediſtæ auxilium efficax, atque in iis, qui aſſentiuntur, voluntatem inſpirans, ac prædeterminans oppugnare nituntur; quum nil ex iiſdem verbis ad hanc rem pertinens inferatur.

Molinæ pag. 37. edit. Antuerpiæ.

Aug. to. 7. p. 305

Aug. to. 10. pag. 798.

De Th. diſcipl. t. 1. pag. 370. Alv. pag. 851.

XIV. Concludit Anonymus priorem articulum aſſerendo Janſenianum duplicis delectationis indeliberatæ principium in hoc ſitum eſſe, quod *delectatio victrix voluntatis conſenſum certo ac neceſſario obtinet*:

Jan. Red. p. 28.

quod *vigente delectatione carnali impossibile est, ut virtutis & honestatis consideratio prævaleat*, ut ait ipse Jansenius lib. 4. de Gratia Christi cap. 9. quod *voluntas nunquam possit suum denegare consensum illi e duabus delectationibus, quæ actu prædominatur*: quod demum constet ex hoc principio duarum delectationum *invincibilium*, tanquam ex radice fluere *alios fere omnes Jansenii errores, ac præsertim quinque ab Innocentio X. damnatas propositiones*.

Subscribimus utroque pollice huic adversarii prænotationi; at illum enixe oramus, ut pauca ex libris
Tom. 3. p. 316. nostris exscripta legere non dedignetur. *Docet Jansenius* (ita scripsimus lib. 17. cap. 1.) *lib. 4. de Grat. Christi cap. 11. gratiam esse delectationem & suavitatem, qua animus in bonum appetendum delectabiliter trahitur; ac pariter delectationem concupiscentiæ esse desiderium illicitum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat. Eodem lib. cap. 9. docet utramque delectationem invicem pugnare, earumque conflictum sopiri non posse, nisi alteram altera delectando superaverit, ita, ut vigente delectatione carnali impossibile sit, quod virtutis & honestatis consideratio prævaleat. Addit lib. 7. cap. 5. delectationem esse vinculum, quo liberum arbitrium in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quandiu isto constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non possit. Contendit lib. 4. cap. 7. naturali ordine ex delectatione dilectionem, ex dilectione operationem consequi: & lib. 2. cap. 25. gratiam & opus bonum ita reciprocari, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consequuturum esse infertur, ita vice versa ex defectu operis inferatur gratiam non esse datam. Demum lib. 3. cap. 21. scribit omnibus illis, pro quibus Christus sanguinem fudit, etiam sufficiens auxilium donari, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint, & faciant id, quod ab eis volendum, & faciendum esse decreverit. Hæc omnia verbis ipsis Jansenii a nobis narrata sunt.* Equidem oportet, ut his perlectis, velit, nolit, fateatur Anonymus notum nobis Jansenianum duplicis delectationis principium; in scriptis nostris expressius & absque permixtione impertinentium rerum delineatum; ipsis Jansenii verbis descriptum, agnitumque tanquam oppositum libertati, atque damnatarum propositionum turbulentissimum fontem. At legat ulterius, cernatque Jansenianum illud principium a nobis penitus refutari. Nullis enim verbis interjectis ita prosequimur: *Videt, ut arbitror, qui legerit superiores dissertationes nostras cum hæreticum sensum propositionum Jansenii, tum maximum Augustinensium a Jansenianis discrimen. Ait Jansenius impossibile esse, ut vigente sancta delectatione illicitum prævaleat desiderium, & consideratio peccati, & e contra sub vividiori concupiscentia necessario liberum arbitrium succumbere: Justis ergo conantibus & volentibus, dum deest victrix delectatio & gratia efficax, impossibile est divina observare præcepta. Nos contra contendimus, nullam delectationem injicere vinculum libertati, nisi summi boni per lumen gloriæ manifestati, aut boni, ut inquiunt, extra quod divagari nequit voluntatis instinctus; propterea quod hæc duo tantum tollunt indifferentiam judicii: ideoque sicut quacunque gratia præventus potest iniquus reluctari, ita quacunque premente cupiditate potest justus perseverare. Ita propositionem primam Jansenii rejicimus, damnamus, refellimus, reprobamus. Quod de reliquis eadem ratione dicendum est. Nam sententia nostra nec semper gratiæ dilectionem inspiranti assentimur, neque necesse est ut sequamur quod magis delectat, neque potestas reluctandi gratiæ, quæ datur per subministrationem Spiritus Sancti, Semipelagianismi est indicium; neque solis prædestinatis gratia operationis intuitu meritorum Christi confertur.* Habes ergo Jansenianæ hæreseos principium perspicue a nobis expositum: habes systema delectationum invincibilium & necessitatem ineluctabilem inferentium a nobis aperte rejectum: habes fluentes ex eodem systemate propositiones a nobis evidenter proscriptas: habes denique Anonymi calumniam ex sui ipsius prænotationibus omnino sublatam.

§. IX.

In prænotationes Anonymi ad primam Jansenii propositionem.

Jans. Red. art. 2. pag. 30. I. TAmetsi apparet ex dictis maxima Augustinensium a Jansenianis discrepantia, ipsius adversarii prænotationibus comprobata; magis tamen elucebit ex iis, quæ art. 2. Anonymus præmittit de prima *Jansenii propositione*. Ubi itaque rursus ait oriri eamdem propositionem ex systemate *duarum delectationum invincibilium*, quod & nos paullo supra affirmavimus, quia revera justi sub *victrice delectatione carnali*, prout a Jansenio traditur, ad transgrediendum præcepta *necessitate* trahuntur: inquit propositionem illam, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant*, expressam haberi lib. 3. de Gratia Christi Salv. cap. 13. Hujus vero propositionis sensum eruendum esse censet ex responsionibus, quibus Jansenius diluere nititur oppositionem illam: *Justi peccant transgrediendo præcepta: ergo habent auxilium sufficiens, quo præcepta possunt implere*.

Priusquam ulterius progrediamur, primum repetenda sunt, quæ nos de ea propositione scripsimus §. 4. ibi enim ostendimus quantum a Jansenio Augustiniani, ac Thomistæ dissiti sint in ea quæstione, *Quomodo divina præcepta possint impleri?* Deinde nostra, omniumque Augustinensium sententia primo reponimus, ex Jansenio systemate consequi, justis conantibus & volentibus divina præcepta esse *impossibilia*; quoniam in eo systemate *impossibile est, ut vigente sancta delectatione illicitum prævaleat desiderium*, & contra *sub vividiori concupiscentia necessario liberum arbitrium succumbit*: at juxta Augustinenses Theologos, *nulla delectatio injicit vinculum libertati, & sicuti quacunque gratia præventus potest iniquus reluctari, ita quacunque præmente cupiditate potest justus perseverare*: ita enim scripsimus lib. 17. cap. primo. 2. Nos itidem affirmavimus Jansenianam propositionem contineri lib. 3. de Grat. cap. 13. unde Jansenii verbis exscriptis hæc subjecimus: *En prima propositio verbis expressissimis in libro Jansenii.* 3. Illud quoque animadvertimus deprehendi Jansenianam hæresim ex responsionibus ad objectionem illam, *Si justi prævaricentur, peccant; igitur non carent gratia, qua possunt vitare peccatum*. Habet ergo Anonymus reprobatum in libris nostris Jansenianum principium, habet demonstratam a nobis in Jansenio primam propositionem, habet nostra opera jam perfectum quidquid in præsentia ipsemet agendum aggreditur.

De Th. Discipl. tom. 3. p. 317. Ibid. pag. 318.

II. Jansenii responsionibus allatis, quas nos item produximus tom. 3. pag. 327. animadvertit Anonymus non errare Jansenium, quod præcepta *possibilia* esse fateatur cum auxilio gratiæ, sed quod neget esse *possibilia* iis, in quibus cupiditas gradibus gratiam superat: id vero cum in justis aliquando contingat, quotiescunque scilicet victrici delectatione sunt destituti, idcirco ita Jansenius concludit: *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia.* Addit Anonymus frustra Jansenium sententiam firmare suam exemplo Petri, aliorumque multorum, *qui tentantur ultra quam possint sustinere*.

Jan. Red. p. 32.

Quum non sit culpandus Jansenius per hoc tantum, quod præcepta dixerit observatu *possibilia cum gratiæ auxilio*; a censura immunes sunt Augustinenses, qui cum PP. Concilii Carthaginensis negant *ad Dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam*. Errorem namque Jansenii propositione prima enuntiatum Augustinenses ipsi refellunt: imo egomet illum exposui, & refutavi præmisso eodem integro testimonio, *Hæc igitur omnia plenissime*, &c. Nil itaque novi hactenus ab adversario didicimus. De exemplo item Petri a Jansenianis adhibito, hæc nos scripsisse meminimus: *Exemplum Petri insite nimis a Jansenio, & Arnaldo adhibetur, ut demonstrent gratiam aliquando deesse justo, & hanc deseri a Deo subtractione auxilii actualis, antequam Deus ab eo deseratur: probatur enim lapsu, & exemplo Apostoli oppositum.* Ergo & secunda Anonymi prænotatio nos a nota Jansenismi apertissime vindicat, susceptamque ab illo causam pessundat.

De Th. Discipl. tom. 3. p. 404. Ibid. p. 325. & 333.

III. Demonstrat Anonymus Jansenium lib. 3. de Grat. cap. 5. denegasse justis *gratiam orationis*, siquidem suis principiis cohærens exigit ad orandum *delectationem victricem* scribens: *Nam etiam ad orandum quammaxime delectatio necessaria est*, &c.

Jans. Red. p. 33.

Sapientissime; at quid Augustinenses? In libris de Th. Disc. lib. 18. cap. 8. scriptum adinvenies: *Justis sufficientem gratiam adesse, & neminem deseri a Deo, nisi ipse Deum deserat, cum omnibus Catholicis profitemur.* Et lib. 17. cap. 3. *Adest justis sufficiens gratia ad orandum, cum habent notitiam præcepti & cupiunt illud implere, atque propriam agnoscentes infirmitatem ex hujus consideratione ad implorandum Omnipotentis Dei adjutorium moventur.* Requiri autem ad orandum victricem *delectationem* docuit Augustinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 19. num. 33. Id ergo non Jansenianæ, sed Augustinianæ sententiæ character est. Stat enim sine delectatione victrici potestas orandi, at non conjuncta cum actu; quoniam datur absque gratia efficaci, ut scholastica utamur phrasi, potentia *possibilitatis*, sed *non positionis*. Interpellamus itaque his verbis Anonymum: Ajunt ne Augustinenses *sufficientem gratiam* adesse justis?

De Th. Discipl. tom. 3. p. 438. & 333. Aug. tom. 10. pag. 57.

ſtis? Ajunt. Negant ne iis, antequam ſuperbia implicati Deum deſerant, *ſufficiens auxilium ad orandum?* Nequaquam. Calumniator eſt ergo, qui Janſeniſtis Auguſtinianos accenſet, & hac quoque tertia prænotatione, ſuoque judicio revincitur ac redarguitur.

Jan. Red. p. 57. IV. Proſequitur Anonymus, & num. 4. arguit Janſenium, quod aſſerat juſtis etiam, ac non tantum excæcatis & obduratis, abſque injuſtitia denegari gratiam, & nihilominus illos præcepta damnabiliter tranſgredi, quoniam *culpa peccantium promeruit, ut æquiſſima iſta ſeveritate puniantur.*

Sed jam ex dictis manifeſtum eſt, in Auguſtinenſium ſententia juſtis *auxilium ſufficiens* non ſubtrahi, niſi prius Deum deſerant, ac de viribus ſuis præſumentes obicem gratiæ ponant. Ceterum ſi loquamur indiſcriminatim de omnibus, nequit impietatis, aut erroris redargui ſententia eorum, qui docent *auxilium ſufficiens* in pœnam præcedentium peccatorum aliquibus denegari; quum eidem ſententiæ adhæreant Orthodoxi quamplurimi, ut oſtendi præced. §. 6. Quamquam tamen aliqui ſupernæ gratiæ adjutorio actu careant; nequeunt tamen præcepta dici illis *impoſſibilia*, & quia quandiu vivunt, *habere poſſunt gratiam, quæ Dei miſericordia ſingulis præparatur*, ut inquiunt Lemos, Alvarez, Gonet, aliique Thomiſtæ, laudati §. 4. num. 5. & quia carentes auxilio ſufficienti nullam habent *impotentiam, niſi libere volitam;* nam ideo *De Theol. diſciplinis tom. 3 p. 467.* non poſſunt, quia prava voluntate ponunt *potentiæ proximæ impedimentum*, ut ego ſcripſi lib. 18. cap. 8.

Jan. Red. p. 36. V. Præterea obſervat Anonymus, *multipliciter* juxta Janſenium lib. 3. de Grat. cap. 15. *hominem dici poſſe aliquid*, at ſemper verbum *poſſe* æquivoca ſignificatione a Janſenio uſurpari. Is enim ait 1. dici hominem poſſe *remotiſſime* per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem. 2. *Paulo propinquius* per fidem. 3. *Multo plenius* per charitatem, *qua juſtificatur*. 4. *Completiſſime*, quando Sancti Spiritus inſpiratione *ſic voluntas præparatur, ut non tantum poſſit, ſed etiam velit*. His omnibus in juſto, qui delectatione victrici careat, non agnoſcit Janſenium veram præcepta adimplendi potentiam: immo ſine illa delectatione *tam eſt impoſſibile voluntati, ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur, quantumvis eis & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cetera ſanitatis adjumenta ſuppetant*. Ita enim Janſenius loquitur lib. 2. de Grat. Ch. Sal. cap. 1. Quapropter cit. cap. 15. concludit reliquos tres *poſſibilitatis modos* adeo eſſe imperfectos, ut niſi adſit poſtremus, qui per actualem gratiam datur, *non magis hic, & nunc & abſolute fieri poſſe præceptum dici poteſt, quam ſi ſine alis volare poſſe diceretur*.

Verum quid contra docent Auguſtinenſes? 1. *Duplicem dari poteſtatem, unam ab actu ſeparatam, aliam cum actu conjunctam; quorum illa dat poſſe, iſta facit ut potentia exeat in actum*. 2. *Potentiam ſeparatam ab actu aliam eſſe proximam, aliam remotam, aliam remotiſſimam: proximam, quæ ad operandum non eget niſi motione, qua determinatur ad actum, ut eſt potentia videndi in oculo ſano & clara luce perfuſo, etiamſi clauſus teneatur, aut averſus; remotam, quæ expedite & immediate exercere actum non poteſt, aliquo remorante impedimento, ut oculus tenui luce illuſtratus, & pes in via præcipiti & lubrica: remotiſſimam, quæ eſt omni adjumento expoliata, ut oculus in tenebris, pes cum podagra*. 3. *Potentiam remotiſſmam adinveniri in quolibet peccatore, qui poteſt eſſe ſine peccato, dummodo gratia Chriſti ſanetur: potentiam remotam in eo qui habet voluntatem parvam: potentiam proximam in illo adinveniri, qui magnam habet, & robuſtam voluntatem, cum qua faciente Deo ut faciamus per inſpirationem victricis delectationis, habetur etiam poteſtas quæ conjungitur cum actu*. 4. *Hanc ſolam poteſtatem tradi a Janſenio, qui ſcripſit eſſe extra poteſtatem arbitrii actum oppoſitum, quotieſcunque prævalet carnalis delectatio, & ſub iſta nullam eſſe poteſtatem juſtitiæ, ſed vinculum arbitrii, & neceſſitatem peccandi*. 5. *In ſententia autem noſtra, in eo qui habet voluntatem parvam & invalidam, eſſe potentiam proxime ſufficientem ad orandum, & ſufficientem remote ad obſervantiam præceptorum, quæ poterit proxime implere, dum per orationem obtinuerit magnam & robuſtam voluntatem*. 6. *Cum voluntate illa parva & invalida obſervandi præcepta ſtare horum poſſibilitatem; quoniam contraria voluntas carnalis, quantumvis prævaleat, non obſtringit arbitrium vinculo neceſſitatis*. Hæc omnia habentur in Libris de Theo- *Tom. 3. P. 332.* log. Diſcipl. ad prop. 1. Janſenii: quæ ſi Anonymus vidit, quid diſtent æra lupinis prorſus ignorat.

Jan. Red. p. 38. VI. Ad hæc producit Anonymus verba Janſenii, memorato in loco aſſerentis juxta quoſdam Theologos vere peccare eos, qui adjutorio ſufficientis gratiæ carent: *Non enim ideo peccant quia non poſſunt abſtinere a peccato, quamvis revera non poſsint, ſed idcirco peccant quia non volunt, neque vellent, etiamſi poſſent.*

Reprobamus nos & hanc Janſenii aſſertionem: de qua lib. 16. cap. 2. hæc litteris conſignavimus: *Refellitur ſcitum Janſenianum primo ſcripturis, quæ nobis delineant liberum arbitrium, tamquam poteſtatem extendendi manum ad ignem & aquam, eamque poteſtatem opponunt neceſsitati, explanantque verbis optionem, dominium, ac vim electivam ſignificantibus. Deinde definitionibus Tridentini decernentis eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, & diſſentire ſi velit gratiæ excitanti. Ex Romanis quoque Pontificibus damnantibus tertiam propoſitionem Janſenii, & recenſitos Bajanos articulos conſtituentes peccatum in iis etiam, quæ vitare non poſſumus, & opponentes libertati ſolam coactionem, & vim inferentem violentiam. Rejicitur præterea pleniſſimis Patrum ſuffragiis, & præclariſsimi præſertim Auguſtini nullam ſtatuentis in peccato naturalem neceſsitatem, nullamque in bonis operibus determinationem immutabilis voluntatis. Janſeniani inſuper revincuntur ratione ipſa, quoniam ubi eſt neceſsitas, nec vitium eſt, nec virtus, nec vituperium, neque præconium laudis: & locum ibi non habent præceptiones, hortationes, comminationes*. Hæc aut legenda, aut memoria repetenda erant adverſario, qui ait nos aſſerere in iis quoque patrari peccatum, quæ *neceſſitate* eveniunt, & vitari non poſſunt, ut videbimus ſeq. cap. *Tom. 3. Th. diſcipl. pag. 279.*

VII. Perſtringit ulterius Anonymus quod præcitatis in locis ait Janſenius, *impotentiam*, qua laborant qui tranſgrediuntur præcepta, *nullo modo excuſare eum, qui non implet quod præcipitur, poſſet enim implere ſi vellet*: quæ poſtrema verba in ſenſu Janſenii idem ſonant, ac ſi diceretur, *ſi vellet illud implere, quod tamen non poteſt actu velle, illud poſſet tunc implere, & illud revera impleret*. Enim vero juxta Janſenium non datur medicinalis gratia, niſi ſit gradibus ſuperior cupiditate, *quod e noſtra nunquam elabatur memoria*, & ſine hujuſmodi gratia *impoſſibile eſt voluntati*, ut bene velit, ſicut homini cæco eſt *impoſſibile* ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur. Quare omnes a Janſenio allatæ reſponſiones futiles ſunt, ac penitus evaneſcunt. *Janſ. Red. pag. 39.*

Evaneſcunt utique; ſed non evaneſcit, & magis magiſque Janſenianæ adinvenitur oppoſita Auguſtinenſium doctrina: hi enim negant ad meritum, vel demeritum ſufficere *libertatem lubentiæ*, in eo ſitam, quod *homo velit*; & requirunt ut ſimul poſſit *nolle*, negantes haberi rationem peccati in iis, quę vitari non poſſunt, atque *ex neceſsitate* contingunt: negantes inſuper, *quod e noſtra numquam elabatur memoria*, delectationem illam gradibus ſuperiorem, *quæ obſtringat arbitrium vinculo neceſsitatis*. Sat eſt, ſi dicta num. præcedenti, ut reliqua præteream, iterum perlegantur.

VIII. Congerit deinde Anonymus teſtimonia quædam Janſenii aſſerentis lib. 3. de Grat. Chriſti Salvat. cap. 15. poſt Adæ tranſgreſſionem poſſe Deum idipſum homini poſt peccatum jubere, quod ante peccatum juſſerat, *quamvis ei jam propria culpa factum ſit impoſſibile, nec teneri ipſi conferre magnum illud redemptionis adjutorium, quod hominem nolentem velle facit, & facere, quamvis ſine magno illo adjutorio peccatum jam vitare propria & culpabili volendi infirmitate non poſsit*. *Janſ. Red. pag. 40.*

Quid vero Auguſtinenſes? Docent, ſi loquamur de originali peccato, ab hoc liberum non eſſe poſteris Adæ abſtinere, *niſi comparate ad illam voluntatem, a qua primo deſcendit ipſum originale peccatum*: at ſi loquamur de peccatis actualibus, hæc a nullo hominum committi, *niſi ab iis abſtinere ſit liberum unicuique*; demonſtrantque allucinationes Janſenii, qui in libris Auguſtini adverſus Pelagianos non diſtinxit quæ de peccato originis & de carnis inſeminata concupiſcentia, ab iis, quæ de peccatis propria voluntate patratis idem Auguſtinus diſſeruit. Hæc a me demonſtrata ſunt in prolixa diſſertatione lib. 16. cap. 3. Præterea noſtrates docent dari, etiam ſine gratia efficaci & ſine delectatione victrici, potentiam implendi præcepta, non tamen potentiam *conjunctam cum actu*, ut diximus paullo ſupra num. 5. Tandem aſſerunt non eſſe characterem *Janſeniſmi* affirmare quod gratia actualis, etiam ſufficiens & non efficax, *in pœnam præcedentium peccatorum* aliquibus denegetur, quum procul dubio hæc ſit ſententia Auguſtini, aut ſaltem, fatentibus omnibus, quæſtio in utramque partem a Scholaſticis agitata. Characteres itaque Janſenianæ hæreſeos ſunt, qui §. 3. fuerunt producti. *De Th. diſcipl. tom. 3. pag. 297.*

IX. Ex præcedentibus adnotationibus ſuis Anonymus colligit, præcepta in ſenſu Janſenii fore juſtis *poſſibilia, ſi cupiditas, quæ actu gradibus ſuperior eſt, debilior evaderet*; & quamvis plures *poſſibilitatis* modos admiſerit, nullam tamen veram potentiam in ipſius ſyſtemate adſtrui, niſi potentiam illam, qua precepta adimpleri poſſunt cum auxilio gratię, *quæ gradibus ſuperet cupiditatem*; ideoque ab errore Janſenii nequaquam recedere, qui ajunt poſſe mandata *Janſ. Red. pag. 42.*

ſervari

ſervari *cum gratia gradibus ſuperiore*, & qui, licet gratias parvas & *inferiores* admittant, principium tamen *duarum delectationum indeliberatarum*, & *pro graduum ſuperioritate invincibilium* non deſerunt. Gratia enim *gradibus inferior* ſufficientes vires non confert, quibus frænari poſſit robuſtior concupiſcentia, & conſequenter adimpleri præceptum.

Verum pari ratione ex noſtra ſententia Janſenianæ e diametro oppoſita, atque luculentiſſimis teſtimoniis hucuſque productis legitima conſecutione infertur, a nobis reprobari primam ex damnatis propoſitionibus, quoniam etſi ad potentiam conjunctam cum actu, quam Schola *potentiam poſitionis* appellat, requirimus gratiam efficacem, ſeu delectationem victricem; agnoſcimus tamen in gratia inferioris gradus *potentiam poſsibilitatis*: nec admittimus ſyſtema *duarum delectationum invincibilium*, ſed duarum delectationum, quarum nec ſuperior trahit *neceſsitate* ad agendum, nec inferior hæret *neceſsario* in parvo motu, quem excitat, ſyſtema nimirum traditum a Theologis §. 2. enumeratis: in quorum lectione ſi aliquantulum Anonymus ſeſe exercuiſſet, non auſus eſſet orthodoxis ſcriptoribus novitatis ſtudium, & hæreſim Janſenianam adſcribere.

§. X.

Ad prænotata Anonymi in ſecundam Janſenii propoſitionem.

Jan. Red. art. 3. pag. 44. I. IN ſecundam Janſenii propoſitionem, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, nil peculiare profert Anonymus, quod in anteceſſum non ſit omnino diſcuſſum. Cuncta nihilominus ſummatim attingamus. Ait primum, iſtius propoſitionis ſenſum non eſſe, *quod interior gratia non ſemper conſequatur effectum*, ad quem excitat voluntatem, quandoquidem parva etiam gratia excitat in ſenſu Janſenii *velleitates quaſdam*, *vel complacentias*, ut idem Janſenius ait lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 27.

Certe, ut monet Anonymus, in hoc non conſiſtit Janſenianus error; quod enim gratia ſæpenumero excitet parvam voluntatem, comprobatur experimento, demonſtratur a Noriſio, aliiſque Theologis præſtantiſſimis, quorum memini §. 1. & ſecundo, imo & a Ludovico Molina; qui diſp. 44. Concordiæ affirmat *motus gratiæ prævenientis ſæpe admodum debiles eſſe*, *tum propter modicam præparationem & conatum noſtrum*, *& præcedentia delicta*, *pravaſque affectiones*; *tum etiam*, *quoniam Spiritus ubi vult ſpirat*, *nemini interim denegando*, *quæ ad ſalutem opus ſunt*. Tenuiſſimos hujuſmodi motus, qui auctore eodem Molina interdum adeo ſunt debiles, *ut deprehendi & agnoſci nequeant*, quis dixerit producere effectum, ad quem excitant? Id multo minus affirmari poteſt in ſententia Congruiſtarum de vocatione non congrua, & in ſententia Thomiſtarum ac noſtra de Gratia non efficaci. In quo ergo ſitum ſit Janſenianum dogma oſtendimus nos §. 5. num. 4. & longe antea lib. 14. cap. 8. ubi ſcripſimus:

Molina in Conc. pag. 179. edit. Ant.

Tom. 3. pag. 160. & 161. *Janſenius parvam quidem*, *& invalidam voluntatem a Deo inſpirari fatetur*, *ſed quam neceſſe ſit permanere infirmam atque torpentem*, *niſi ſubminiſtretur delectatio tam vivida*, *quæ arbitrium trahat indeclinabili neceſſitate*, & rurſus: *In Janſeniano ſyſtemate*, *impie fabricato ad libertatis exitium*, *non datur ſanctæ operationis poteſtas*, *niſi adſit gratia neceſſitatem inferens*, *& niſi in alterno cupiditatis & caſtæ delectationis conflictu hæc illam ſuperans in bonum voluntatem noſtram tanta vi*, *ut nequeat contraniti*, *compellat*: & in 2. prop. Janſenii lib. 17. cap. 3. *Per Janſenium ſub gratia parva*, *pag. 341.* *premente perverſa cupiditate*, *non eſt potentia rectè operandi*, *& ſub gratia magna & robuſta non ſtat poteſtas peccandi*, *& neceſſitate alligati illud tantum facere poſſumus*, *quod magis delectat*; *ita ut alternantibus delectationibus*, *nec una alteram ſuperante*, *neceſſario inefficacibus deſideriis hæreat animus*. Hunc eſſe damnatum Janſenii ſenſum concludit tandem Anonymus, ut paullo infra videbimus.

II. Deinde Anonymus ait, nec eos Theologos a Pontifice cum Janſenio damnari, qui aſſerunt interiorem gratiam *ſemper producere aliquem effectum in voluntate*, modo fateantur, *non ſemper producere omnem illum effectum*, *cujus producendi veram confert potentiam*. *Janſ. Red. pag. 45.*

Præmonſtravimus nos ipſi hanc veritatem Anonymo lib. 14. cap. 8. teſtimonio Archiepiſcopi Tranenſis, & lib. 17. cap. 3. ex omnium fere Theologorum ſententia, pluraque addidimus §. v. num. 5. & 6. ubi quod proletarius iſte ſcriptor jejune ac frigide narrat, perſpicue & luculenter comprobatur. Nunc, quoniam veritate cogente fatetur eos diſſidere a Janſenio, qui docent dari gratiam, quæ non producit effectum, *cujus producendi veram confert potentiam*, ad ea loca, unde quædam nuper exſcripſimus, mitigato aliquantulum animo revertatur. Itaque lib. 14. cap. 8. expoſi- *Tom. 3. pag. 160. & pag. 340.*

ta Janſenii doctrina circa invalidam parvamque voluntatem, quam doctrinam *noxiam*, *blaſphemam*, *horrendiſſimamque* appellavimus, ita ſententiam noſtram expoſuimus: *In pia illa affectione*, *quam per gratiam ſufficientem nos dicimus hominibus inſpirari*, *tribuitur operis*, *non quidem executio*, *ſed vera poteſtas*, *quamquam non ita expedita*, *ut reapſe prodeat in actum*; & paullo ſupra pag. 156. *Fatemur qualemcumque gratiam in hoc ſtatu ſive parvam*, *ſive magnam eſſe gratiam Chriſti*. *Deinde defendimus dari gratiam inefficacem*, *cui voluntas reſiſtit*: *ac tandem per gratiam ſufficientem dari nobis poteſtatem implendi divina mandata*, *ſed non taliter validam*, *& expeditam*, *ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax*: atque in lib. 17. cap. 3. *Gratia inſpirans voluntatem parvam & invalidam reſpectu hujus voluntatis eſt efficax*, *quoniam actu hanc voluntatem inſpirat*; *reſpectu operationis liberæ*, *E. G. converſionis*, *& adimpletionis præcepti*, *eſt ſufficiens tantummodo*. Ex his vero fluit hæc obvia ratiocinatio: Fatente Anonymo, a Janſeniano errore ſunt alieni, qui, licet aſſerant internam gratiam ſemper producere aliquem effectum, ut mentis illuſtrationem, piamque motionem voluntatis, docent tamen dari gratiam, quæ non producit effectum, cujus producendi *veram confert potentiam*: ita accuſator cit. num. 2. At Auguſtiniani Theologi, quamvis doceant gratiam ſemper aliquem producere effectum, piam ſcilicet cogitationem, & voluntatis affectum, confitentur attamen dari gratiam, qua non exequimur opus, cujus exequendi *veram tribuit poteſtatem*: ita nos in locis nuperrime laudatis. Igitur Auguſtiniani Theologi, fatente ipſomet conviciatore, a Janſeniano errore ſunt alieni.

III. Ex quo in Janſeniano ſyſtemate neceſſum ſit voluntatem obſequi delectationi gradibus ſuperiori, & abſque hujuſmodi delectatione omiſſio actus non ſit libera, ſed omnino neceſſaria; infert Anonymus duo requiri, ut dici poſſit quod voluntas gratiæ reſiſtat, ideſt, *quod gratia careat eo effectu*, *ad quem excitat*, *& quod conferat voluntati potentiam operandi ipſum effectum*. *Janſ. Red. pag. 46.*

Rurſus ex hac Anonymi prænotatione, ſeu potius reciprocatione per lineam eamdem, apparet noſtrum a Janſenio diſcrimen; quum Janſenianam illam *neceſſitatem* rejiciamus, & gratiam abſque effectu, ad quem excitat voluntatem, veramque cum tali gratia agendi *potentiam* dari fateamur, ut oſtendimus paullo ante.

IV. Animadvertit præterea Anonymus ſecundam Janſenii propoſitionem nequaquam in eo ſenſu fuiſſe proſcriptam, *quod gratia nunquam privetur eo effectu*, *ad quem inclinat voluntatem*, *vel quod nunquam privetur eo effectu*, *quem revera produxiſſet*, *ſi minorem habuiſſet debellandam cupiditatem*, propterea quod etiam Janſenius lib. 4. de Grat. Chriſti cap. 4. & 5., luctam, conflictumque gratiæ & concupiſcentiæ deſcribit, nec negat gratiam illo fruſtrari effectu, ad quem excitat, fatetur quoque gratiam effectum in aliis circumſtantiis fore conſecuturam, ſi nimirum cupiditas, quæ actu robuſtior, & ardentior eſt, gradibus eſſet debilior. Quare fruſtra novatores conantur iſtiuſmodi ſubterfugiis eludere Summorum Pontificum conſtitutiones. *Janſ. Red. pag. 47.*

Ad hæc reponimus, quod licet novatores his effugiis doloſe utantur; ſunt tamen omnia recta fide ab orthodoxis ac præſtantiſſimis Theologis tradita. Ut enim demonſtravi §. 2. num. 2. affirmavit Macedus, *Auguſtinum delectationes carnis delectationibus ſpiritus opponere*, *& in ea pugna concupiſcentiam cum gratia committere*, *& fortiori victoriam aſſignare*. Docent Thomiſtæ laudati a Graveſono, ibique a nobis num. 5. *quod ſi Deus homini male affecto gratiam conferat*, *quæ plures & majores efficaciæ gradus habeat*, *quam ſint gradus obſtinationis & malitiæ in voluntate*, *tunc ea gratia ſuapte vi*, *ſeu victrice delectatione ſuperabit obſtinationem voluntatis*, *& erit reipſa efficax*: *at ſi Deus gratiam minus validam conferat*, *& quæ in gradibus efficaciæ ſuperior*, *major*, *ac fortior non ſit gradibus obſtinationis*, *ſeu malitiæ voluntatis*, *tunc illa gratia voluntatem quidem commovebit*, *ſed illam non convertet*, *nec illius obſtinationis gradus ſuperabit*, *eritque tunc temporis tantum ſufficiens & inefficax*, *non quidem defectu ſui*, *cum reipſa & vi ſua converteret voluntatem*, *ſi minor eſſet voluntatis reſiſtentia*, *ſed ex defectu voluntatis*, *quæ obſtinatione ſua magis obſiſtit*. Affirmat doctiſſimus Maſſoulié, de quo eo loci num. 6. *quod ſi fortior ſit divinæ gratiæ motio*, *& ea motione accenſa charitas vincat ſuperetque pravam cupiditatem*, *tunc motio divinæ gratiæ efficax eſt*: *quod ſi e contra vehementior ſit ipſa cupiditas*, *caſſa & inefficax redditur divina motio*, *aut ejus vis ita retardatur*, *ut licet effectum aliquem habeat*, *non tamen habet effectum*, *ad quem ex divina ordinatione* refertur. At quid plura faſtidioſe repeto? quando ipſemet Auguſtinus de dono Perſev. cap. 14. n. 35. ait Tyrios Sidonioſque credituros fuiſſe, ſi qualia viderunt Corozaitæ & Bethſaitæ ſigna vidiſſent, quia

non

non erant ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum: ideoque gratiam in his ob minorem excæcationem minoremque duritiem futuram fuiſſe effectricem, quæ in illis ob majorem obdurationem & cæcitatem ſufficiens fuit & inefficax. Diſcat ergo tandem Anonymus quænam ſint ſubterfugia novantium, & quænam Catholicorum aſſerta. Luctam eſſe inter concupiſcentiam & gratiam, hanc efficacem eſſe quando gradibus ſuperat contrariam cupiditatem, & ſufficientem & inefficacem quando ſuperior non eſt gradibus obſtinationis atque malitiæ, ac demum in tali circumſtantia non conſequi effectum, quem produceret ſi minor eſſet cupiditas & reſiſtentia voluntatis, eſt inſignium Theologorum ſententia, ut vident qui forte non ſunt magis excæcati, quam fuerint Corozaitæ. Quo ergo jure hæc dicantur ſubterfugia novantium? In eo iſti decipiuntur, quod ex illo gratiæ, & concupiſcentiæ conflictu, (qui utinam non daretur !) inferunt ſub robuſtiori concupiſcentia voluntatem neceſſitate ſuccumbere, & ſub victrici delectatione neceſſario obſequi & aſſentiri, e medio ſublatis gratia ſufficiente, & libertate, ut diximus ſæpenumero.

Jan. Red. pag. 49. V. Advertit præterea Anonymus, ſenſum ſecundæ Janſeniæ propoſitionis non eſſe, *quod cupiditas nunquam reſiſtat gratiæ, ſed quod homo nunquam ei reſiſtat, hoc eſt numquam eam privet eo effectu, quem potuiſſet producere, atque etiam produxiſſet, ſi voluntas gratiæ conſentire voluiſſet*: neque etiam ſenſum ejuſdem propoſitionis eſſe, *quod gratia interdum eo privetur effectu, quem in alio ſubjecto minus reſiſtente aſſequeretur*; quoniam juxta Janſenium *eadem gratia in uno victrix eſt, in altero non victrix pro majori, vel minori concupiſcentiæ reſiſtentia*.

Poterit adverſarius, quandoquidem quinque hiſce prænotationibus nondum Janſenii ſenſum adinvenit, illum a nobis percipere legendo quintam hujus diſſertationis ſectionem. Duo tamen hic animadvertat: primum, ex quo gratia interdum eo privetur effectu, quem in alio minus reſiſtente aſſequeretur, doctiſſimum Thomiſtam Antoninum Maſſouliè inferre quod revera detur gratia *ſufficiens*, cui in hoc ſtatu infirmitatis reſiſtitur: ait enim diſſ. 3. de div. grat. q. 6. art. 2. *ſufficientem gratiam, quam Schola D. Thomæ admittit, veriſſime & propriiſſime ſufficientem eſſe*, hac producta ratione: *Quod enim gratiæ divinæ motio v. g. ut quatuor interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu ipſius motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat: eſt enim veriſſime ſufficiens, imo & natura ſua efficax, nec minorem ſuo in ordine vim habet agendi, quam habeat v. g. calor in ordine phyſico, quem nemo negaverit vim habere ſufficientem comburendi, ita ut ſi admotum lignum ignis non comburat, id non oriatur ex quo ipſi igni deſit virtus comburendi, ſed quod lignum oppletum humiditate & aqua, impreſſioni, ſeu vi & efficaciæ ignis obſiſtat. Atque idem de voluntate ſentiendum eſt: nam ſi prava voluntas minori v. g. obſtinatione obfirmata eſſet, minuſve intenſus eſſet parvus ipſius habitus, quo veluti pondere a virtute colenda retrahitur, & ad vitium impellitur; ipſa eadem divinæ gratiæ motio ut quatuor voluntatem ad virtutem impelleret, atque hujus conſenſum obtineret: ſuperaret enim vim pravi habitus, & malitiam voluntatis, eamque a ſequendo vitio retraheret. Quod ſi ea gratiæ divinæ motio ut quatuor voluntatis conſenſum non obtinet, id non oritur ex defectu ipſius motionis gratiæ divinæ, ſed ex prava diſpoſitione voluntatis, quæ ob pravum habitum intenſum, v. g. ut quinque, ipſius actionis impreſſioni, & vi ſeu efficaciæ divinæ motionis non ſubjicitur*. Hinc apparet nos (eadem quippe tradita a me fuerunt lib. 4. cap. 12. lib. 13. cap. 8.) ex conflictu concupiſcentiæ & gratiæ, variiſque *gradibus* utriuſque, unde Janſeniani perverſa illatione deducunt nullam in hoc ſtatu dari gratiam *ſufficientem*, cui libere humana voluntas reſiſtat, meliori & legitima conſecutione inferre ipſam *ſufficientem* gratiam, & Catholicum dogma ſecundæ Janſenii propoſitioni contrarium. Aliud vero, quod Anonymi memoriæ ſubjicimus, eſt, Macedam quoque, Noriſium, Auguſtinenſes & Ægidianos, Joannem Gonzales, præcitatum Maſſouliè, immo & Congruiſtas omnes, negare *entitativam* diſtinctionem inter auxilium ſufficiens & efficax, atque affirmare quod *eadem gratia, quæ in uno victrix eſt, in altero non ſit victrix*, ut evidenter oſtendimus §. 2. & 5. ideoque cavendum adverſario, ne id enumeret inter dogmata Janſeniana a Summis Pontificibus condemnata.

Maſſoul. tom. 2. pag. 112.

Tom. 1. Th. diſcipl. pag. 367. & tom. 3. pag. 354.

Janſ. Red. pag. 50. VI. Tandem Anonymus, quo ſenſu damnata ſit propoſitio ſecunda Janſenii, poſt præcedentia divertícula exponens, ait, *Theologos Orthodoxos ad evitandas Janſenianorum cavillationes atque fallacias exigere quod poteſtas, quæ per gratiam confertur, non ſit actu ligata per cupiditatem majorem, ſeu quod ſit potentia expedita: & ulterius quod poteſtas illa ſit relativa ad gradus cupiditatis, ita ut homo ſecundum præſentes, quas habet, vires, poſſit operari bonum illud, ad quod gratia excitat voluntatem, ſeu ita ut revera poſſit gratiæ conſentire in circumſtantiis cupiditatis fortioris*.

Videntur hæc ad primam, non ad ſecundam Janſenii propoſitionem ſpectare, atque abunde iis ſatisfactum §. 2. num. 9. & §. 4. num. 3. ac ſeqq. Repetamus nihilo tamen minus nonnulla, ne dicamur flocci habuiſſe hanc eruditorum Margaritam. De potentia *expedita* non eſſe eamdem omnium Orthodoxorum mentem demonſtravimus prælaudatis §§. locupletiſſime. Indicet ergo Anonymus, quos modo nominet *Orthodoxos*; nam ſi loquatur de univerſis, ſuam in lectione ſummorum Theologorum vel oſcitantiam, vel mentis hebetudinem patefacit. Audivit nuper præclarum Thomiſtam, qui ait gratiam illam eſſe *inefficacem*, & *ſufficientem* duntaxat, ac proinde talem, cui voluntas reſiſtit, *quæ cum ſit motio ut quatuor, non ſuperat pravum habitum intenſum ut quinque*: ideoque adinvenit Theologum *Orthodoxum*, qui negat gratia ſufficiente, ut diſtinguitur ab efficaci, conferri potentiam *expeditam* a glutine robuſtioris cupiditatis. Inveniet Thomiſtas alios, utique *Orthodoxos*, docentes illam eſſe gratiam *ſufficientem* tantummodo, quæ *in gradibus efficaciæ ſuperior, major, & fortior non eſt gradibus obſtinationis, ſeu malitiæ voluntatis*, ſi legerit quæ ſcripſimus §. 2. n. 5. ideoque nec hi agnoſcunt in gratia ſufficiente, & non efficaci, potentiam *expeditam* a glutinamento concupiſcentiæ fortioris. Si autem conjiciet oculos in num. 9. ejuſdem §. percipiet ex Cardinali Noriſio illam juxta Suarium, alioſque, dici potentiam completam atque expeditam, *quæ includit omnia prævenientia auxilia*, & quæ ad agendum alio non indiget adjutorio; & conſequenter occurrent *Orthodoxi* alii negantes conferri per auxilium mere *ſufficiens* potentiam *expeditam*. Si ulterius legerit §. 6. num. 5. diſcet a Theologis quamplurimis, nec non a centum Galliarum Epiſcopis rejici æquilibrium illud, in quo gratiæ gradus æquiponderent gradibus concupiſcentiæ, quum non teneatur Deus iis, qui majoribus criminibus ſeſe implicant, ampliorem gratiam conferre: unde & in his ſufficiens gratia, cui reluctantur, nequit eſſe *expedita* a glutino cupiditatis robuſtioris. Ex his perpaucis (non enim præſtat omnia repetere) intelliget criminator gratiæ ſufficienti, cui voluntas obſiſtit, non adſcribi ab Orthodoxis omnibus hanc proprietatem, ut voluntatis conferat *completam expeditamque potentiam*. Ceterum quum in hiſce vocabulis *Potentia expedita* latere poſſit æquivocatio, iiſque adverſarii noſtri abuti ſoleant, ut ajebat Maſſouliè, de quo vide §. 4. num. 9. idcirco nos affirmavimus tom. 3. pag. 341. aliiſque in locis, potentiam, quam confert gratia inſpirans piam affectionem, a qua non ſuperatur fortior cupiditas, non eſſe ita *expeditam*, *ut reapſe prodeat in actum*: quod a nemine eorum, qui ad ponendum actum requirunt auxilium efficax, negari poteſt. Neceſſum ergo non eſt ad refellendam Janſenii hæreſim, gratiæ, quæ ab efficaci contradiſtinguitur, adſcribere potentiam *expeditam*, neque id requirunt *Orthodoxi* omnes, prout Anonymus præmittit, tamquam rem ſingulis Theologis exploratiſſimam, Quamobrem in eo conſiſtit Janſenianus error, quod *ſub delectatione victrici voluntas neceſſitate flectatur, nec actus oppoſitus in ejus ſit poteſtate: ideoque per Janſenium ſub gratia parva, premente perverſa cupiditate, non habetur potentia recte operandi, & ſub gratia magna & robuſta non ſtat poteſtas peccandi, & neceſſitate alligati illud tantum facere poſſumus, quod magis delectat*. Atque ita nos Janſenium deſcripſimus hæreſim præcitata pag. 341. Profecto Auguſtinenſes, etſi in delectatione victrici agnoſcant *auxilium operationis*, ſeu gratiam efficacem; in delectatione tamen minori agnoſcunt gratiam *poſſibilitatis*, ſive auxilium ſufficiens; quoniam licet gratia ſit minor gradibus, eſt altioris nihilominus ac ſupernaturalis ordinis, & potens eſt ſuperare quoſcunque gradus concupiſcentiæ; hæc vero, quantumvis robuſtiſſima, non obſtringit arbitrium *vinculo neceſſitatis*. Quod vero minor gratia majorem concupiſcentiam non ſuperet, non evincit quod ſuperare non poſſit, ſicuti quod gratia *ſufficiens* ſenſu Thomiſtico, aut gratia *non congrua* ſenſu Suareſiano non habeat obſequentem ſibi voluntatem, minime probat quin hujuſmodi gratiæ voluntas obſequi & obtemperare non valeat; ſed hoc unum commonſtrat, in minori ſancta delectatione non haberi gratiam victricem, gratiam quæ ita movet ut perſuadeat, gratiam quæ præparatur a Domino non tantum ut voluntas poſſit, ſed etiam ut velit & faciat: quod neceſſum non eſt iterum iis explicetur, qui efficacis gratiæ naturam, & energiam quomodolibet aſſequuntur.

VII. Nil aliud num. 7. addit Anonymus, niſi ad graſſantem Janſenianam hæreſim coercendam minime ſatis eſſe ſi fateamur interiori gratiæ in eo ſenſu aliquando reſiſti, *quod homo aliquando non producat effectum, ad quem gratia excitat voluntatem, vel quod eum*

Jan. Red. pag. 50.

eum effectum non producat, quem per gratiam, si debilior adesset cupiditas, revera produxisset: alioquin insons foret ipsemet Jansenius, qui eadem omnino confitetur.

Jam hæc audivimus num. 1. eadem rursus repetita sunt n. 3. iterum hæc attentis auribus excepimus n. 5. & ubique ostendimus ulterius ad coercendam hæresim requiri, ut in minori delectatione agnoscatur vera potestas agendi, & a superiori delectatione tollatur vinculum necessitatis.

VIII. Ait postremo Anonymus plures reperiri Jansenianos, qui asperiora Jansenii verba emollientes, *non solum docent sæpe resisti interiori gratiæ, sed admittunt præterea gratias sufficientes, quæ dant veram bonum operandi potentiam. Alii etiam addunt illam potentiam esse completam, proximam, imo expeditam & relativam:* mera tamen hæc verba esse, atque ad involvendum errorem accommoda: quoniam evidens est, non posse hæc omnia catholico sensu proferri, quandiu non rejicitur doctrina duarum delectationum *indeliberatarum &* invincibilium pro graduum superioritate: admissa enim hac doctrina nunquam voluntas resistit delectationi victrici, & si victrix non sit, gradibusque superior, necessum est ut voluntas obsequatur cupiditati.

Fateor me ignorare quinam sint Janseniani illi adeo secum pugnantes, qui cum adhæreant delectationum invincibilium systemati, asserunt dari cum gratia sufficiente, quæ distincta sit a delectatione victrici, *potentiam completam, proximam, imo expeditam & relativam.* Non enim hæc duo consistere possunt, dari plenam resistendi potentiam, & voluntatem necessario obsequi cupiditati gradibus superiori; nec puto talia aut Calphurnium Lanarium, aut Margitem dicturos. Novi quidem dari Jansenianos, qui abstinent *a necessitatis vocabulo*, & affirmant *necessitatem & libertatem pugnare invicem*: sed hi distinguunt *necessitatem naturalem a necessitate inclinationis*, autumantes nihil esse *naturali necessitati* alligatum, si in illud *voluntas propendeat*; & ajunt quidem voluntatem a gratia excitatam aliquando resistere & reluctari, sed negant dari hanc reluctandi *potestatem*, quandiu voluntas sub *victrici delectatione* consistit, libertate indifferentiæ sublata. Atque hæc verborum aucupia egomet
Tom. 3. pag. 310. exsufflavi in præfatione libri XVII. Verum sive reperiantur, sive non, Janseniani illi, vel potius cucurbitæ, adstruentes *potentiam* reluctandi *expeditam & relativam*, simulque *necessitatem* obsequendi cupiditati, quæ gratiam gradibus superet: memoria repetendum est, a nobis systema duarum delectationum defendi, at non duarum delectationum *invincibilium*, & necessitatem graduum superioritate inferentium, ut ostendimus in octava sectione ad articulum 1. Anonymi numer. 14. ad art. 2. numer. 5. & 6. atque ad hunc art. 3. numer. 1. & 2. necnon tom. 3. de Th. disc. pag. 160. & 161. pag. 317. 340. 341. &c.

§. XI.

De Anonymi prænotationibus in tertiam Jansenii propositionem.

I. PAucis me expediam a prænotationibus Anonymi in tertiam Jansenianam, quamvis integrum occupent articulum, a 52. pagina ad sexagesimam. Sunt enim omnia, quæ a nobis prius, & quidem luculentius, fuerunt tradita, ac proinde talia, quibus, etsi nulla alia momenta suppeterent, Anonymus manifestæ calumniæ convinceretur. Postquam ergo præmisit, tertiam propositionem his verbis expressam, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*, a Jansenio latius exponi in tribus libris de Gratia Christi, scilicet 6. 7. & 8. eamque propositionem consequi ex systemate duarum delectationum, quarum robustiori necessum sit voluntatem obtemperare; ait Jansenium *duplicem tantum distinguere necessitatem, unam coactionis, alteram simplicem, seu voluntariam*, ut constat ex lib. 6. de Grat. Christ. cap. 6. sub necessitate autem coactionis Jansenium complecti omnes actus, qui fiunt voluntate actu resistente, & qui *non possunt volendo impediri*.

Jan. Red. art. 4. pag. 52.

Jam vero constat nos propositionem illam tertiam
Tom. 3. pag. 343. reprobasse lib. 17. cap. 3. ac demonstrasse tradi illam a Jansenio pluribus in locis, & profluere a principio *duarum delectationum invincibilium*, juxta quod *voluntas necessario abripitur a superiori delectatione*, produxisse quoque Jansenii verba deprompta ex lib. 6. de Grat. Christi cap. 6. quibus Jansenius adstruere nititur *duplicem tantum necessitatem, coactionis, & simplicem, seu voluntariam*; ac demum hæc omnia Jansenii commenta rejecisse tum eo loci, tum præcedenti libro 16. cap. 2. & 3. Manifestum est ergo, nos ab errore & hæresi tertiæ propositionis penitus recessisse, ex ejusdem accusatoris allata prænotatione.

II. Prænonet deinde Anonymus, Jansenium ea distinctione supposita asserere quod libertati repugnet *necessitas coactionibus, non autem necessitas* simplex & voluntaria; idque adniti ut demonstret lib. 7. de Gratia Christi Salvatoris cap. 1. & lib. 8. cap. 14. pluribusque aliis in locis, quæ retexere supervacaneum foret ac tædiosum, & ubique doctrina & verbis Augustini eumdem Jansenium abuti. *Jans. Red. p. 54.*

Quid vero nos? Præcitato lib. 16. cap. 3. non tantum id de Jansenio affirmavimus, verum etiam sophismata ejus omnia diluimus, ac primum ea, quæ dogmatistes ex Augustino deprompsit. Ea enim sophismata proponentes scripsimus: *Audiendi sunt modo Janseniani. Illud, inquiunt, est in potestate voluntatis, perfecte liberum, & sufficiens ad meritum, quod facimus cum volumus. At dummodo operemur cum sola libertate a coactione, volumus operari. Sola ergo libertas a coactione sat est, ut opus sit perfecte liberum, in nostra voluntate, ac patratum cum merito.* Hic subjecimus argumenta Jansenii, ac priori loco ex Augustini libris petita. Singula autem refutavimus inferius, responsionem nostram his verbis aggredientes: *Hydram hanc sese tali ausu erigentem nihil negotii est concidere & obtruncare.* Pudeat ergo rursus Anonymum conviciorum suorum, quæ ex secunda quoque prænotatione in ipsum recidunt. *Tom. 3. Th. Disc. pag. 287.*

III. Tradit Anonymus prævidisse Jansenium, quod *modus hic inauditus exponendæ libertatis*, requisitæ ad meritum & demeritum, commovere poterat Christianorum animos, ac mirus videri Scholasticis. Deinde producit prolixum Jansenii locum ex lib. 6. de Grat. cap. 35. ubi perspicue docet, *actus voluntatis necessarios, a quibus abstinere non possumus, esse tamen in potestate nostra, & nos illorum actuum dominos esse.* *Jan. Red. p. 55.*

Et hæc criminatorem Augustinianæ Scholæ aperte redarguunt. Quod ut facilius lector percipiat, animadvertere debet, quomodo Jansenius, licet lib. 6. de Grat. Chr. Salv. cap. 6. col. 532. scribat, *mira videbitur Scholasticis ista doctrina;* paucis tamen interjectis ad se trahere conatur S. Thomam, & cap. 25. col. 700. etiam Scotum, idemque facere nititur de aliis Scholasticis antiquioribus. Ego vero præcitato cap. 3. lib. 17. Scholasticorum quoque auctoritate demonstravi non sufficere ad merendum, vel demerendum libertatem *immunem a coactione;* & postquam Jansenium usurpato Scholasticorum præsidio exspoliavi, ad hunc modum responsionum mearum seriem absolvi: *Ex dictis manifeste deprehenditur aut dolus, aut oscitantia Jansenistarum in captando sibi patrocinio veterum Scholasticorum.* Quod vero attinet ad verba Jansenii eodem lib. 6. cap. 35. totus ibidem est, ut ex Augustino evincat actum voluntatis deliberatæ necessarium esse in potestate, & dominio ejusdem voluntatis, quoniam juxta Augustinum nihil tam est in nostra potestate, *quam ipsa voluntas*, & illud omnino liberum est, *quod cum volumus facimus.* Vide Jansenium pag. 716. & seq. Nos autem eodem cap. 3. pag. 287. hæc Jansenii argumenta exscripsimus, & sequenti pagina cuncta dissolvimus, contra ex Augustino demonstrantes, nulla ratione motum voluntatis esse culpabilem, si *ex necessitate* eveniat, ac cecentes quo sensu intelligendus sit S. Pater adversus Manichæos, & quo sensu adversus Pelagianos decertans. Ex eo itaque tertio capite, prænotationi suæ comparato, poterit rursus Anonymus nostrum a Jansenio discrimen, suamque in calumniando turbulentam præcipitemque inconsiderantiam deprehendere. *Tom. 3. p. 291.*

IV. Pergens Anonymus investigare Jansenii sensum, ait ab illo nequaquam rejici *indifferentiam contradictionis*, sive *potestatem agendi & non agendi ad libitum voluntatis*, productis ad id commonstrandum verbis Jansenii ex præcitato capite 35. & ex cap. 37. ac 38. libri 6. de Gratia Christi Salvatoris. *Jan. Red. p. 56.*

Verum admittit Jansenius, ac simul non admittit *potestatem agendi, & non agendi*; quoniam, ut nuper dicebamus, illud in sensu Jansenii est in potestate voluntatis, quod cum volumus, facimus, etiamsi necessario velimus. Id affirmat Anonymus proximo n. 5. & colligitur ex hoc n. 4. verbisque Jansenii ab Anonymo recitatis. In primo enim testimonio ait Jansenius nullum esse *detrimentum libertatis*, etsi voluntas necessarie & *immutabiliter velit:* in altero inquit, ubicunque est voluntas, adesse modum libertatis, *sive contingenter agat, sive necessario*; in tertio addit voluntatem actus sui dominam esse, *quantumcunque aliquid immutabiliter, necessarioque velit.* Hæc tandem nihil sunt aliud, quam potestatem voluntatis pro sola *spontaneitate* usurpare, ut evincunt etiam loca a nobis præmissa §. 3. num. 2. At ego ad refutandas technas omnes Jansenianas demonstravi diversa ratione voluntatem protendere in finem ultimum; diversa autem ratione eligere media; & aliter loquendum de voluntate *ut natura est*, aliter vero ut est *liber ad*

facien-

faciendum & non faciendum animi motus, neceſſitatemque voluntatis inveniri in naturali inſtinctu, quo fertur in finem, ſed in electione mediorum, in qua proprie relucet libertas, admittendam eſſe libertatem oppoſitam neceſſitati. Vide tom. 3. pagina 288. Vitavi ergo ambiguitatem omnem, qua Janſenius errorem involvit ſuum, & jure in conviciatorem quartam quoque ejus prænotationem obtendam.

Jan. Red. p. 57. V. Ex Janſenianis verbis infert Anonymus, Janſenium quando voces iſtas uſurpat, *quod voluntas poſſit ad libitum agere, & non agere, quod ſit domina ſuarum actionum, quod habeat quodam ſenſu indifferentiam contradictionis, quod ſeipſam moveat & determinet ad agendum, &c.* nil aliud aſſerere, quam voluntatem velle cum advertentia & reflexione, *licet ab eo volendo nullatenus poſsit abſtinere*; ideoque ſolam *coactionem*, quæ rationis advertentiam excludit, repugnare libertati, *neceſsitatem vero ſimplicem & voluntariam* vere cum libertate ſubſiſtere.

Bene habet: nequeunt ergo, niſi per ſummam calumniam, tamquam Janſeniani traduci, qui negant *libertatem a coactione eſſe veram libertatem, quæ requiritur ad merendum & demerendum:* & qui docent *neceſsitatem evertere eſſentiam liberi arbitrii, quatenus liberum arbitrium eſt;* ſicuti ego præſtiti tom. 3. pag. 275. 277. 279. ne loca alia commemorem: ideoque & quinta Anonymi prænotatio fidem noſtram teſtatur, calumniam ipſius aggravat, dicteria cuncta diſpellit.

Jan. Red. p. 58. VI. Proſequitur num. 6. Anonymus animadvertere, quod Janſenius, dum aſſerit voluntatem *poſſe diſſentire ſi velit*, id affirmat, *non quod revera voluntas polleat diſſentiendi potentia, ſed quod diſſentiret ſi vellet, quum tamen velle diſſentire non poſsit*. Ait hoc Tridentinæ Synodo adverſari: nihil enim fingi poteſt abſurdius, quam Concilium adverſus hæreticos definiiſſe, voluntatem *poſſe velle diſſentire, ſi velit diſſentire*. Neque enim Lutherani & Calviniſtæ negabant voluntatem poſſe velle, quando vult. At adulterina Janſenii interpretatio in ea Concilii verba, *poſſe diſſentire ſi velit*, mirifice congruit duarum delectationum ſyſtemati; in quo voluntas conſentiens delectationi alteram gradibus ſuperanti, nequit profecto intelligi quomodo poſſit velle ei diſſentire.

Hæc ſemel, iterum, ac tertio audivimus: atque hinc eamdem, quam ſupra, conſecutionem deducimus, Janſeniſmi calumnioſiſſime inſimulari Theologos negantes voluntatem neceſſario velle, & neceſſario aſſentiri delectationi, quæ gradibus alteram vincit. *Tom. 3. p. 317. & 198.* *Nos contra contendimus nullam delectationem injicere vinculum libertati, niſi ſit delectatio ſummi boni manifeſtati per lumen gloriæ, aut boni in communi, extra quod divagari nequit voluntatis inſtinctus.* Ita ſcripſimus lib. 17. cap. 1. Affirmamus itaque in voluntate, *quando vult*, eſſe poteſtatem nolendi. De Concilio itidem Tridentino ſcripſimus lib. 14. cap. 11. *Cum hæretici ex promotione Dei & doctrina de gratia per ſe efficaci mala conſecutione inferrent liberum arbitrium non cooperari Deo moventi; definit Synodus Tridentina præmoveri utique & excitari, ſed liberum arbitrium non rapi neceſsitate, ſed etiam motum poſſe diſſentire ſi velit:* quibus verbis a Dei excitatione, & voluntate auxilio efficaci præmota apertiſſime ſejunximus *neceſsitatem*. Verum tamen eſt, quod Theologi oppugnantes gratiam per ſe efficacem, utuntur adverſus nos eadem definitione Tridentini: ac Thomiſtæ communiter reſpondent, non poſſe voluntatem cum ipſa præmotione efficaci conjungere diſſenſum, quum impoſſibile ſit voluntatem ſimul velle & nolle: at non proinde iidem Thomiſtæ negant *potentiam diſſentiendi*. Horum vero ſententiam ego approbans hæc ſcripſi cit. capite 11. *Reſpondeo optime exponi definitionem Tridentini Concilii per ſenſum compoſitum ac diviſum. Neque enim Thomiſtæ docent quod in ſenſu compoſito excitationis & motionis divinæ non ſit in nobis potentia diſſentiendi, ut cavillantur nonnulli, ſed docent tantummodo quod non poſsit componi diſſenſus cum ipſa efficaci excitatione & motione, ita ut ſenſus compoſitus & diviſus appellet poſitionem actus, non poſsibilitatem*. Et poſt pauca: *Aliud eſt poſſe diſſentire, aliud diſſentire reapſe. Dum excitamur auxilio efficaci, infallibiliter aſſentimur; poſſumus tamen non aſſentiri.* En Auguſtinenſes, quorum nos mimini ſumus, agnoſcentes cum gratia efficaci, & cum delectatione victrici *veram diſſentiendi potentiam*, atque cum Thomiſtis, non cum Janſenio, exponentes Tridentini Concilii decreta.

Jan. Red. p. 60. VII. Superius dicta Anonymus ſummatim colligit, inferens ab errore tertiæ propoſitionis eos non eſſe alienos, qui ajunt: *Voluntatem non poſſe diſſentiri illi delectationi, quæ gradibus alteram ſuperat; ſi enim non poſsit diſſentiri delectationi gradibus præponderanti, libera non eſt libertate a neceſsitate.*

Spectavimus ſatis *le refrain de la ballade*. Qui ergo ajunt voluntatem poſſe diſſentire præponderanti delectationi, Judice Anonymo, iniquiſſime appellantur Janſeniani.

§. XII.

Ad Anonymi prænotata in quartam Janſenii propoſitionem.

Jan. Red. p. 60. art. 3. I. IN quarta Janſenii propoſitione duæ ſunt partes. 1. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei.* 2. *Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* Quum hæc propoſitio damnata ſit, tanquam falſa & hæretica. Anonymus num. 1. affirmat juxta communem Theologorum ſententiam *falſitatis* nota affici priorem partem, & nota *hæreſeos* poſteriorem.

Tom. 3. p. 236. Sententia noſtra eſt, *Semipelagianos ad initium fidei admiſiſſe gratiam illuminationis, etiam interioris, at non gratiam, quæ ad illuminationem mentis addit inſpirationem dilectionis per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti*; & hanc ſententiam nos demonſtraſſe arbitramur invictiſſimis monimentis. Quæ ſi Anonymo videantur infirma, ea diluat, ſolvatque. Quod etſi fecerit, convincetur tamen auctoritate illuſtrium Scriptorum, hanc noſtram communi Theologorum ſententiæ non adverſari. Ac primo oſtendimus lib. 14. cap. 5. gratiam internæ illuminationis neque a Pelagianis in poſtremo ſtatu fuiſſe rejectam, laudatis Joanne Gonzales controverſia 4. de auxiliis art. 6. Lovanienſi & Duacenſi Academia, ceteriſque permultis. Deinde auctor *Scholæ Thomiſticæ vindicatæ*, animad. 29. affirmat in eadem ſententia ſtetiſſe Thomam de Lemos, Didacum Alvarez, alioſque primæ notæ Scholæ Thomiſticæ Profeſſores, necnon Cenſores ſelectos in celeberrimis Congregationibus de Auxiliis. Inſuper Joannes Baptiſta Gonet diſput. 2. de Grat. art. 3. demonſtrat, aliquos ſaltem Semipelagianos ad initium fidei & bonæ voluntatis neceſſariam putaſſe indifferentem gratiam, quæ ab humana voluntate determinationem expectaret, laudans pro eadem ſententia Franciſcum Macedo, qui idem tradidit in libro inſcripto, *Mens divinitus inſpirata*, art. 5. Steterunt inſuper in eadem opinione Salmanticenſes, Contenſonus, Piccinardus, Maſſoulié: de quibus præcitatus auctor *Scholæ Thomiſticæ Vindicatæ* anim. 26. Nec hujus ſententiæ infirma ſunt argumenta, quod Semipelagiani eam tantum gratiam denegarent, ex qua arbitrabantur conſequi libertatis exitium, & quod S. Proſper adverſus illos pugnaverit pro gratia excitante bonam voluntatem, ut vidimus lib. 15. cap. 5. Me non latet Honoratum Tournely in propoſit. 4. Janſenii vehementer optare, ut Franciſcus Macedo ſuam retractaſſet ſententiam, ſicuti retractaſſe dicitur Gonetus in editione Lugdunenſi ann. 1681. Sed nunquid propterea Gonet ſententiam priorem in Janſenio damnatam aſſeruit? Nunquid ab ea receſſerunt complures alii hactenus recenſiti? Præterea Gonetus in *Manuali* editionis Lugduni prædicti anni 1681. priorem ſententiam utique retractaſſe videtur, prout animadvertit Tournelius; ſed ſimul cum *Manuali*, eodem anno 1681. iiſdemque Lugdunenſibus typis curavit ut iterum imprimeretur *Clypeus*, continens ampliores Theologicarum diſquiſitionum tractatus: ibique tom. IV. pag. 18. num. item 18. aſſeritur Semipelagianos, non quidem omnes, ſed tamen aliquos revera *ad initium fidei* admiſiſſe *interiorem gratiam illuminantem, & moraliter excitantem, & quæ nutum & determinationem voluntatis expectaret*, atque hæc eadem eſt ſententia noſtra, necnon Dionyſii Petavii. Sententia vero Goneti ad hunc modum expoſita traditur etiam in *Manuali* poſteriorum editionum, ut conſtat ex Veneta anni 1691. pag. 423. ac Patavina anni 1704. pag. 418. At quoniam de Tournelio incidit mentio; ex ipſomet evidenter demonſtrabo, valde eſſe probabile Semipelagianos ad initium fidei admiſiſſe interiorem gratiam *ſupernæ illuſtrationis*. Calcans enim Tournelius veſtigia Stephani Dechamps, de quo dixi nonnulla ſuperius ad 1. Anonymi art. num. 2. ac pertractans de Gratia Adami q. 2. pag. Ven. edit. 25. tamquam rem in Auguſtino exploratiſſimam ſtatuit, adjutorium *ſine quo non* Adamo collatum, ſeu gratiam ſufficientem & poſſibilitatis in ſola mentis illuminatione ſitum fuiſſe, ſecundam ſuæ concluſionis probationem his verbis abſolvens: *In mente igitur S. Doctoris gratia innocentis naturæ ſolam includebat mentis illuſtrationem, cui pro præſenti ſtatu ſemper opponit gratiam voluntatis.* Audiatur modo Petavius, qui de Hær. Pelag. cap. 9. num. 12. demonſtrat *internam revelationem*, qua Dei voluntas innoteſcit, ſed non inflammatur voluntas, revocandam eſſe ad legem forinſecus inſonantem. *Nam etſi Semipelagiani* (inquit) *gratiam Chriſti non in externa*

Vide Gonz. pag. 162.

Serry tom. 2. p. 569.

Gonet. tom. 4. pag. 17.

Vide Salmanc. tom. 5. de Grat. pag. 59: Contenſ. tom. 5. pag. 387. edit. Lugd. Piccinardum tom. 3. pag. 71. Eamdem ſententiam tradi a Doctoribus gravibus, & in doctrina Auguſtini verſatis affirmat Lemos tom. 1. Panopl. tract. 5. cap. 17. pag. 100.

Petav. tom. 3. pag. 640.

terna legis propositione, sed in interna voluntatis excitatione, verum metaphorica & morali positam putarent, ut eruditiores Theologi fatentur, præter paucos illos, qui consensu majoris partis exploduntur: nihilominus eos, Prosper queritur in Carmine de ingratis, nullas alias gratiæ Christi mandasse partes, quam doctoris, monitoris, ac forinsecus insonantis. Idem nos de Semipelagianis scripsisse apparet ex tom. 3. pag. 256. Jamvero ita ratiocinamur. Semipelagiani admiserunt internam revelationem, atque illustrationem mentis, qua voluntas moraliter, & metaphorice excitaretur: hanc propositionem, teste Cl. Petavio, tradunt *eruditiores Theologi, præter paucos illos, qui consensu majoris partis exploduntur.* Atqui interna revelatio, & illustratio mentis est auxilium *sine quo non*, collatum Adamo: hæc propositio est Dechampsii, Tournely, aliorumque recentiorum. Ergo Semipelagiani non denegarunt necessarium esse ad initium fidei auxilium *sine quo non*, collatum Adamo. Ut ut sit de hac facti quæstione; manifestum est sententiam nostram de gratia interioris illustrationis, sed non voluntatis, a Semipelagianis non denegata, traditam fuisse a Petavio, invicte propugnari, & ab omni censura esse prorsus immunem.

Jan. Red. p. 61.

II. Ait Anonymus, nonnullos alios, *licet numero pauciſsimos*, velle priorem partem Jansenianæ propositionis nulla inustam censura: sed horum assertionem ab aliis rejici *tamquam temerariam*, quoniam Summus Pontifex notæ hæreseos addendo notam falsitatis, *quæ in censura aliarum propositionum omissa est*, aperte innuit hanc notam cadere in primum propositionis membrum. Præterea inquiunt iidem Theologi, quæstionem illam, an Semipelagiani necessitatem gratiæ ad singulos actus, etiam ad fidei initium, admitterent, ita ad factum pertinere, ut etiam spectet ad dogma. Nam si Jansenianus quis contendat, quod talis gratiæ necessitas revera a Semipelagianis fuerit admissa, sequi videtur eos in hoc esse hæreticos, quod admiserint talem gratiam, cui posset voluntas obsistere vel obtemperare: quæ est hæresis proscripta in altero membro quartæ propositionis. Quidam alii Semipelagianos in classes duas dividentes fatentur unam, non alteram, admisisse necessitatem gratiæ ad fidei initium; sed horum quoque opinionem alii censent esse explodendam, quum & Jansenius illam Semipelagianorum distinctionem tradiderit. Hæc Anonymus.

Diximus sententia nostra Semipelagianos omnes admisisse ad initium fidei gratiam duntaxat supernæ illuminationis, quæ sola cum non sit vera illa gratia, quam Augustinus adversus Pelagianos propugnavit, consequens est Semipelagianos ad initium fidei veram Christi gratiam non admisisse. Quare nos primam quoque Jansenianæ propositionis partem *falsam* diximus tom. 3. pag. 259. & 346. Ceterum qui ajunt Semipelagianos admisisse gratiam a libero arbitrio pendulam, quæcumque gratia ea sit, sive intellectus, sive voluntatis, sive utriusque, nullatenus frivolis hisce Anonymi notationibus refelluntur. Nam ad 1. respondebunt non esse pauciſsimos illos Theologos, sed permultos, ac præclariſsimos, ut constat ex num. præcedenti, & ex tom. 3. de Theol. Disc. pag. 251. Potest autem utraque nota *hæreseos*, & *falsitatis* convenire uni eidemque parti: ut constat ex quinta propositione, in cujus censura nota falsitatis minime omittitur, quidquid affirmet Anonymus immemor eorum, quæ scripserat pag. 6. Attamen neque nos primam illam conjecturam prætermisimus, sed eam produximus octavo argumento in eodem vol. 3. pag. 254. Ad 2. reponent, eam consecutionem, quæ infertur in systemate Jansenio, in quo e medio tollitur potestas ac libertas utendi & abutendi adjutorio gratiæ, & adstruitur sola gratia inferens necessitatem, non inferri ex sententia Catholicorum, qui pro libertate indifferentiæ, & pro gratia sufficiente & efficaci distincta a sufficiente, adversus Jansenianos decertant. Ad 3. evidens est a me quoque prænotatam fuisse pag. 251. illam distinctionem Semipelagianorum traditam a Jansenio lib. 7. H. P. cap. 2. & Jansenium refutatum fuisse pag. 255. ejusdem vol. 3. Nihilominus qui contendunt Semipelagianos non denegasse ad fidei initia gratiæ indifferentis necessitatem, respondebunt se a Jansenio discrepare, quod non inter damnatas hæreses, sed inter fidei dogmata recenseant *libertatem indifferentiæ*.

Jans. Rediv. pag. 63.

III. Prætermissis Anonymus quæstionibus ad historiam spectantibus, quas *ad fidem directe* non pertinere fatetur, inquit rem esse certissimam & indubitatam, hæresim in quarta Jansenii positione cubantem hanc esse, *quod divina gratia talis sit, cui humana voluntas resistere, vel obtemperare non possit.* Et quamquam id ex prænotationibus aliis perspicuum sit, idem tamen uberiori explicatione commonstraturus advertit primo eamdem quartam propositionem ex eo principio manare, quod *voluntas eo semper necessario & immutabiliter rapiatur, quo eam trahit major voluptas*: iisdem repetitis, quæ jam singulatim produximus, & expendimus. Addit vero num. 4. pag. 64. Jansenii discipulos post Innocentii X. constitutionem, quartam, sicut & ceteras propositiones, simulate rejicere, fatentes posse quidem humanam voluntatem divinæ gratiæ obtemperare, aut resistere: verum id asserere adjecta semper conditione, *si velit*: quæ ignorantibus Jansenianorum mysteria fucum facit, propterea quod *in circumstantiis, in quibus voluntas reperitur*, idest sub pondere robustioris concupiscentiæ, *nullo pacto velle possit.* Monet insuper fidem non adhibendam esse Jansenio, ubi ait hominem posse gratiæ inferiori obtemperare, & gratiæ quæ cupiditati prædominatur resistere, aut *per solam liberi arbitrii flexibilem facultatem*, aut paullo propinquius *per fidem*, vel multo plenius, propinquiusque *per caritatem*, ut dixerat art. 2. num. 5. siquidem hæc omnia minime ad veram libertatem constituendam sufficiant. Quum enim in Jansenio systemate *cupiditas, quæ in nobis remanet tamquam pondus ad peccandum*, non possit vincere *superiorem gratiæ delectationem oppositam, a peccato retrahentem, & ad bonum invincibiliter determinantem*; consequens est, quod humana voluntas sub illa minus robusta cupiditate nequeat divinæ gratiæ resistere: atque his effugiis perperam conari Jansenium, ut sese a Tridentino anathemate possit subducere. Advertit quoque pag. 67. num. 7. ut suos obtendat errores Jansenium se induere *larva Thomistica*, & adhibere *sensus compositi & sensus divisi distinctionem*; sed Thomistis, verbis, non re consentire: quum hi sub gratia efficaci *veram potentiam* resistendi cum ceteris Orthodoxis admittant, quam potentiam veram, ac proprie dictam Jansenius rejicit; ideoque affirmans posse hominem resistere gratiæ efficaci *in sensu diviso*, id asserit prædictarum subsidio æquivocationum, *quæ in famoso duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum superioritate invincibilium principio perfecte cohærent.* Hæc Anonymus de quarta Jansenii propositione ad paginam usque 69.

Manifestissimum est eadem ab Anonymo semper repeti: quod tamen absque ullo fastidio, & maxima animi jucunditate excipimus; quoniam nil nobis acceptum magis, quam si universa Jansenianorum effugia detegantur: quibus scripta opponentes nostra referre possimus solemniorem de adversario triumphum. Hæresis itaque Jansenianæ in quarta propositione est, *quod humana voluntas divinæ gratiæ resistere, & obtemperare non possit*, nempe quod necessario robustiori obsequatur delectationi. At nos scripsimus tom. 3. pag. 317. aliisque in locis, quorum nonnulla præmonstravimus ad præced. prop. num. 6., nec superiori delectatione concupiscentiæ, nec robustiori delectatione gratiæ *injici vinculum necessitatis*; ac Tridentinam Synodum definire, quod liberum arbitrium motum & excitatum gratia efficaci *non rapiatur necessitate*, sed possit dissentire si velit. Quartam igitur propositionem, sensumque ejus legitimum reprobavi. Quid? Annon in quartam Jansenii propositionem hæc prænuntiavi, *Quod vero Massilienſium error ſitus non fuerit in hoc, quod homo lapſus poſsit cum adjutorio gratiæ credere, ſit tamen in poteſtate arbitrii non credere, tam falſum eſt, quam eſt falſum non pertinere ad liberum arbitrium poteſtatem agendi vel non agendi, & libertatem* A NECESSITATE? Poterat ne sensus Jansenii, ab ipso Anonymo expositus, verbis magis expressis refelli? Quod Anonymus addit de Jansenianorum calliditate latente in ea conditione, *si velit*, qua in transennam inducuntur ignorantes Jansenianæ hæreseos mysteria: evidens itidem est, a me calliditatem ipsam prænonstratam fuisse in præfat. ad librum 17. in qua de Jansenii discipulis hæc litteris tradidi: *Abhorrent illorum plurimi ettiam a* necessitatis *vocabulo, affirmantes neceſsitatem ac libertatem pugnare invicem: at neceſsitatem naturalem, & neceſsitatem inclinationis diſtinguunt, autumantes nihil eſſe naturali neceſsitate alligatum, ſi in illud voluntas propendeat.* Hanc vero Jansenianam doctrinam annon execratus sum lib. 14. cap. 5. prop. 4. ita scribens, *Hæc eſt communis liberi arbitrii notio, ut ſit poteſtas animi libera ad faciendum, vel non faciendum; unde jure ac merito damnata eſt Janſeniana propoſitio, quod ad merendum, vel demerendum in hoc ſtatu non requiritur libertas indifferentiæ, dummodo arbitrium ſponte & voluntarie velit, ita ut libertas cum neceſsitate conſiſtat?* Annon cuncta Jansenii effugia, innixa conditioni istiusmodi, *dummodo velit*, lib. 16. cap. 2. pag. 271. & cap. 3. pag. 287. in medium attuli, diligenterque contrivi? Et nos ergo Jansenianæ hæreseos arcana novimus: nec novimus tantum; refutavimus quoque & disjecimus, & quamvis minimi simus Augustinensium universorum; non tamen indigemus præstantissimi hujus Anonymi

Tom. 3. p. 346.

Tom. 3. p. 310.

nymi singulari doctrina ad hæreses discernendas. Præterea nos non tantum facultatem arbitrii *flexibilem*, ac potestatem *a fide*, & *a gratia habituali* collatam adversus novantes tradidimus, verum & potestatem resistendi gratiæ, tametsi *prævaleat carnalis delectatio*; prout ostendimus ad prænotata Anonymi in prop. 2. num. 5. & 6. ideoque a Jansenianis hoc etiam in capite sumus alienissimi. Insuper distinctionem *sensus compositi ac divisi* explicavimus lib. 4. cap. 13. quatenus sub prædeterminatione persistit libera *potestas ad oppositum*, non autem ut traditur a Novatoribus, asserentibus non remanere *sub efficaci decreto libertatem indifferentiæ*, *quod jure damnatum est a Tridentino* sess. 6. can. 4. Et lib. 14. cap. 11. ad hunc modum loquimur: *Respondeo optime exponi definitionem Tridentini Concilii per sensum compositum ac divisum. Neque enim Thomistæ docent quod in sensu composito excitationis & motionis divinæ non sit in nobis potentia dissentiendi, ut cavillantur nonnulli; sed docent tantum, quod non possit componi dissensus cum ipsa efficaci excitatione & motione, ita ut sensus compositus & divisus appellet positionem actus, non possibilitatem.* Distinctionem ergo *sensus compositi & divisi*, prout traditur a Thomistis salva libertate indifferentiæ, non ut adhibetur a Jansenio eadem libertate sublata, admittimus ac propugnamus: atque hoc etiam nomine a Jansenianis discedimus. Quantum denique spectat ad systema duarum delectationum; constat ex adnotationibus XIV. ad primum Anonymi articulum, aliisque VII. ad art. 4. præcedentem, a nobis *veram ad oppositum potestatem* agnosci, etiam *sub delectatione, quæ gradibus alteram superat*; & consequenter nullus a Jansenianis characteribus ab adversario delineatis in Augustiniano systemate adinvenitur; sed oppositis omnino, insignibusque notis istud præfulget: & quot Anonymus apices in Jansenium hactenus exaravit, sunt totidem argumenta ad ipsius criminationes redarguendas.

Tom. 1. p. 373. & 382. Tom. 3. p. 197.

§. XIII.

Ad prænotationes Anonymi in quintam Jansenii propositionem.

I. AD postremam Jansenii propositionem progrediens Anonymus præmittit in hoc omnes consentire, quod Christus Prædestinatorum Redemptor his *gratias efficaces* meruerit, quibus vitam assequantur æternam: Jansenium vero post Calvinum ad solos electos Redemptionis nomen limitando, docuisse Christum mortuum *pro salute duntaxat Prædestinatorum*, & tamquam Semipelagianos traduxisse, qui dixerint Christum pro universis hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; ut habetur prop. 5. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Ait ergo falsam, temerariam & scandalosam esse hanc propositionem, quatenus redarguit communem sententiam Orthodoxorum, affirmantium Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, tamquam id foret Semipelagianorum assertum; impiam vero, blasphemam, contumeliosam, derogantem divinæ pietati, & hæreticam, quatenus enuntiat Christum duntaxat pro salute Prædestinatorum esse mortuum. Itaque hinc infert tenendum esse, tamquam fidei dogma inconcussum, quod Christus *non pro prædestinatorum duntaxat, sed etiam pro nonnullorum saltem reproborum salute* mortem subierit: & quamvis Summus Pontifex constitutione sua non definierit, *Utrum Christus pro omnibus omnino hominibus sit mortuus*; asserere tamen communiter Theologos, esse de fide quod Christus mortuus sit pro omnibus fidelibus, qui per baptismum gratiam regenerationis acceperunt, imo plurimos censere, quod certum sit certitudine fidei Christum mortuum esse pro omnibus hominibus nullo excepto, pro reprobis etiam infidelibus, qui nihil unquam audierunt de Christo, necnon pro parvulis in utero materno morientibus: quamvis nonnulli Theologi numero paucissimi, & quorum sententia ab aliis rejicitur, & firmioribus momentis convellitur, docuerint *Christum pro salute parvulorum in utero materno morientium non esse mortuum*. Hæc Anonymus.

Jan. Red. pag. 69. art. 6.

De censura, qua delator ait quintam Jansenianam propositionem fuisse ab Apostolica Sede reprobatam, nihil est quod modo reponam. Censuram enim illam omni æquitate latam fuisse demonstravi lib. 17. cap. 3. & lib. 28. cap. 9. atque hinc etiam colligitur, quam præcipiti, & iniquo judicio Jansenianis accensear. In cetera Anonymi verba aliquid leviori calamo animadvertam. Ac primum Christum promeruisse Prædestinatis singulis *gratias efficaces*, quibus veniant ad regnum, *si efficaces gratias* intelligas, quæ ex absoluto Dei beneplacito, non ex præscientia in actum certissime erumpunt; non omnes consentient, quod hujusmodi gratiæ sint admittendæ, atque a Mediistis omnibus rejicientur. At quoniam a nobis propugnantur; finamus hominem de his quidquid ei libet proferre. Ad sequentia quod spectat, & nos firmissime profitemur Christum *pro omnibus omnino hominibus* mortuum esse. Id prælaudatis in locis demonstravimus ex Apostolo scribente 2. ad Corinth. 5. *Unus pro omnibus mortuus est*. 1. ad Timoth. 2. *Dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus*, & cap. 4. *Salvator est omnium hominum*: ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 3. *Ille pro omnibus mortuus est*: ex universa Traditione Patrum, unde collegimus testimonia complura Irenæi, Clementis Alexandrini, Athanasii, Cyrilli, Gregorii Nazianzeni, Optati Milevitani, Ambrosii, Augustini, Leonis Magni, Prosperi, aliorumque. Qui sunt ergo ii Theologi, qui adversus tam expressam divinarum Scripturarum auctoritatem, plenissimamque traditionem asserere audent *Christum non esse mortuum pro omnibus*? Si qui sunt, his Augustinenses unanimiter adversantur. Pro parvulis quoque in utero matrum decedentibus mortuum esse Christum Redemptorem universorum, omni proculdubio credimus & profitemur: atque ea præsertim ratione, confirmata lib. 13. cap. 1. testimoniis Apostoli & Augustini ostendimus contrahi ab omnibus parvulis originale peccatum, quoniam *pro omnibus mortuus est Christus*. Vide tom. 3. pag. 12. Vereor tamen, quin Anonymus existimaverit Theologos illos asserere Christum non esse mortuum pro parvulis materno in utero decedentibus, qui negant conferri iisdem parvulis auxilia sufficientia; nam revera pag. 243. Gabrieli Vasquez gratiam iisdem infantibus deneganti audacter imponit, quod etiam opinatus sit, *pro illis mortuum non esse Christum*: quam in Vasquium calumniam a nobis sublatam invenies §. VI. num. 11.

II. Nil aliud num. 2. *in Jansenismo Redivivo* legimus, nisi a Jansenio lib. 3. de Grat. Christi Salvat. cap. 21. *beneficium mortis Christi ad solos Prædestinatos restringi*. Verum negant ne id Augustinenses Theologi? Nequaquam. Libro enim 17. de Theol. discipl. cap. 3. legitur: *scripsit Jansenius* lib. 3. de Grat. Christi cap. 21. *Omnibus illis, pro quibus Christus sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donari, quo non solum possit, sed etiam reipsa velit, & faciant id, quod ab iis volendum & faciendum esse decrevit. Non ergo, si Jansenio fides habenda est, obtulit Salvator noster Jesus Christus divini sanguinis pretium pro iis, qui efficaci gratia privantur.* Vides ne a nobis Jansenianam propositionem ipsomet in loco, in quo eam deprehendit Anonymus, præmonstratam?

Jan. Red. pag. 71. *Tom. 3. pag. 347.*

III. Animadvertit præterea Anonymus, Jansenium eo loci errorem suum aliis verbis adstruere, dum ait de Augustino: *Nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelibus in infidelitate morientibus, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum Redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur.*

Jan. Red. ead. pag. 71. & seq.

Hæc quoque a nobis prænotata fuerunt, eademque omnino verba, immo & alia produximus citato cap. 3. eademque pagina 347. ad evincendum quintam propositionem in Jansenii libro inveniri. Non ergo fraude veritatem abscondere, nec Jansenianam hæresim renovare studuimus.

Jans. Red. pag. 71.

IV. Suscipit Anonymus patrocinium Augustini, subjiciens: *Quam injuriosa sit Augustino doctrina hæc, quæ ipsi calumniose imputatur, nemo non videt.* Addit etiam Christo contumeliosam, & divinæ pietati derogantem esse. Observat Jansenium eo extulisse hujusce doctrinæ impietatem, ut cit. loc. scripserit, Christum *juxta sanctissimum Doctorem* tam deprecatum fuisse *pro æterna liberatione reproborum, quam pro salute diaboli.* Ait exitialem illum errorem manare ex quo *nulla alia sit operandi gratia, quam delectatio victrix*: ex quo enim delectatio, quæ prævalet, semper necessario, ac invincibiliter suum habeat effectum, sequitur Dei mandata, & perseverantiam in justitia esse *impossibilia* iis omnibus, *qui deficiunt*. Si enim iis omnibus, qui non perseverant, impossibilis sit perseverantia; Christus noluit ipsis æternam salutem possibilem reddi, noluitque ad istos mortem, sanguinem, redemptionem, & propitiationem suam dilatari.

Anonymo primum gratias rependimus, quod Jansenii doctrinam dixerit *injuriosam Augustino*; quamquam auxiliis ac defensoribus istis ille non egeat, pro quo filii, & discipuli collatis viribus certant. Nos quidem Augustinum Jansenio adversari demonstravimus in *Antithesi* ad quintam Jansenianam eodem lib. 17. cap. 3. de eadem propositione tom. 3. pag. 351. scripsimus: *Derogat divinæ misericordiæ, extenuat pretium sanguinis Christi, magnum Redemptionis opus imminuit, & Salvatoris meritum, cruciatus, obedientiam, orationem & vulnera parvipendit.* Quantum vero ad reliqua pertinet; de systemate duarum Delectationum non semel petractavimus, & ostendimus a nobis

Jans. Red. pag. 72.

Tom. 3. pag. 349. Tom. 5. pag. 448.

rejici

rejici delectationes *invincibiles*, & ad agendum *neceſſitate* impellentes. Itaque & principium, unde fluit theſis quinta Janſeniana, refellimus. Ceterum ſententia noſtra ſunt nonnulli, quibus occulto Dei judicio non tantum denegatur *delectatio victrix*, & *finalis perſeverantia*, verum etiam auxilium *ſufficiens*; cujus generis ſunt obduratorum quidam, & parvuli maternis in uteris decedentes: & nihilominus pro iis quoque mortuus eſt Redemptor hominum univerſorum. Demonſtravimus enim §. 6. actualem collationem auxiliorum ad peculiarem Dei providentiam, non ad univerſalem communemque redemptionem, ſpectare. Specialiſſimum quoque *Perſeverantiæ* donum iis tantum dari, quos Deus a maſſa perditionis diſcrevit, & ad ſalutem prædeſtinavit *voluntate efficaci*, ſententia eſt Auguſtinenſium ac Thomiſtarum omnium; idque nemo unus ignorat. Et tamen ii etiam, quibus aut gratia *efficax*, aut *perſeverantia* negatur, ſervare mandata, & ſalutem conſequi poſſunt, ut oſtendimus eodem §. 6. & 4. plurimorum Theologorum auctoritate. Jure ergo contendimus in ea quæſtione, *An Chriſtus pro omnibus omnino hominibus ſubierit mortem, & pretioſum ſanguinem fuderit*, præſcindendum eſſe a Scholaſticis controverſiis, quæ ad gratiarum diſtributionem, ad auxilia efficacia, & ad finalem attinent perſeverantiam: in quibus Theologi non conveniunt, etſi Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum contra Calvinum & Janſenium fide firmiſſima, & unanimi conſenſione propugnent.

V. Anonymus ulterius animadvertit Janſenianos quoſdam ad temperandam quintæ propoſitionis duritiem, fateri *Chriſtum non ſolum pro ſalute Prædeſtinatorum mortuum eſſe, ſed etiam pro temporalibus illis gratiæ donis, quibus aliqui reprobi hac in vita exornantur*. Verum allucinantur, dum hoc effugio a Janſenii doctrina putant ſe eſſe alienos. Neque enim diffitetur Janſenius Chriſtum mortuum eſſe ad obtinenda reprobis quædam divinæ gratiæ munera: ſed hoc diſerte docet lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 21.

Janſ. Red. pag. 43.

Subſcribendum Anonymo, quotieſcunque non aberrat a veritate, & fatendum eſt præter temporalium gratiarum munera ad veram communemque redemptionem conſtituendam aliud requiri, ideſt, oblationem pretii pro omnibus, ſuſceptionem communis cauſæ, remediorum inſtitutionem, & gratiæ præparationem atque exhibitionem: quod vero hæc omnia recipiantur ab iis ſingulis, pro quibus Chriſtus crucem mortemque ſubiit, falſum eſt; quoniam licet pro omnibus mortuus ſit, *non tamen omnes beneficium mortis ejus recipiunt*, ut inquit Tridentinum Concilium ſeſs. 6. cap. 3. Porro nos de communi illa redemptione, ad quam plura præter temporales gratias exiguntur, ſcripſimus lib. 17. cap. 4. *Chriſtus & oravit, & mortuus eſt, quantum ad communem cauſam pertinet, ut inſtitueret remedia, quibus omnium hominum poſſint deleri peccata, pretium ſanguinis ſui pro omnibus offerens, Quomodo enim eſſet omnium Redemptor, Salvator, animarum Medicus, & Mediator Dei, & hominum, niſi pro omnibus pretium obtuliſſet, preces fudiſſet, remedia inſtituiſſet, necnon etiam inimicis, reprobis, obduratiſſimis paraſſet, atque exhibuiſſet?* Occurrunt vero in ſcriptis noſtris quamplurima alia his conſimilia, quæ opportuniori loco proferentur: hæc enim ſufficiunt ad commonſtrandum in iiſdem ſcriptis characterem alium recta Janſeniano adverſantem.

Tom. 3. pag. 359.

VI. Infert Anonymus ex dictis ſenſum quintæ propoſitionis ex mente Janſenii nullum alium eſſe, *quam quod Chriſtus pro nullius reprobi æterna ſalute mortuus ſit, non autem quod pro nulla reprobis gratia temporali obtinenda ſit mortuus; quidquid reclament adverſarii falſo contendentes, ideo damnatam eſſe propoſitionem, quia mortis Chriſti beneficium ad electorum ſalutem reſtringendo, excludit gratias temporales reprobis collatas*.

Janſ. Red. pag. 75.

Jam conſtat ex præced. num. nos in eo adverſariorum genere nequaquam comprehendi: unde nec Fulgentio Bellelli, nec mihi hoc Janſeniſtarum effugium, quod Chriſtus etiam reprobis temporales promeruerit gratias, in altera parte Anonymus objecit. Sunt autem in omnium Auguſtinenſium, Thomiſtarumque plurium ſententia nonnulli, quibus nec temporalis gratia confertur, ut ſunt pueruli in maternis viſceribus pereuntes; pro quibus tamen mortuus eſt Dominus. Quare non cohæret Scholarum noſtrarum principiis Janſeniſticum illud aſſertum de gratia ad tempus reprobis diſtributa, cujus tantum cauſa iidem reprobi dici poſſint communis redemptionis participes.

VII. Ait hoc num. 7. Anonymus Janſenianos doloſa uti diſtinctione, ut Innocentii X. definitionem eludant. Volunt enim *Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis; ſed pro omnibus omnino hominibus fuiſſe mortuum, in quantum ſcilicet omnibus omnino redimendis pretium ejus ſanguinis fuit ſufficiens*. Demonſtrat non aliter ſenſiſſe Janſenium lib. 3. de Gratia Chriſt. Salvat. cap. 21. At Janſenius præter ſufficientiam pretii jure meritoque contendit, requiri ad Redemptionem, *quod Chriſtus ſanguinem ſuum obtulerit ex intentione ut omnibus* proſit: ſed hanc intentionem negat ad illos extendi, quibus non confertur *delectatio ſuperior & victrix*, per quam *infallibiliter, invincibiliter, & neceſſario ſalvantur*.

Janſ. Red. p. 75. & 76.

Arbitramur nos, Theologos affirmantes Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe quantum *ad magnitudinem & ſufficientiam pretii* non eſſe Janſeniſtarum nomine traducendos, quum id aſſeruerint Lovanienſes & Duzcenſes, Thomiſtæ, Cardinalis de Lauræa, Vaſqueſius, immo & S. Proſper ad objecta Gallorum, ut demonſtravimus §. 6. *Sufficientiam* enim hi opponunt *applicationi*; neque denegant oblationem ejuſdem pretii, piiſſimamque Redemptoris intentionem, ut omnibus proſit, ſed negant tantummodo ipſius pretii omnibus & ſingulis actualem communicationem. Ad præcludenda tamen omnia Janſeniſtarum effugia nos lib. 17. cap. 4. diximus præter *ſufficientiam* pretii admittendam quoque eſſe illius *exhibitionem* pro omnibus, una cum Redemptoris in omnes effuſa, ac beneficentiſſima caritate. *Chriſtum* (ita legitur tom. 3. pag. 361.) *pro omnibus mortuum quantum ad ſufficientiam pretii veriſſimum eſt, & conſtat hoc paſſim affirmari a Patribus, & Theologis: neceſſe eſt autem, ut præter ſufficientiam pretii admittatur hujus pretii exhibitio: ſi enim ad redemptionem ſufficeret ſola pretii ſufficientia, proculdubio etiam damnati & dæmones forent redempti*. Poterant ne melius ab Auguſtiniano Scriptore rejici Janſenianorum effugia?

VIII. Hæc cum ita ſint, reliqua Anonymi prænotata velociori greſſu percurram. Num. 8. inquit Janſenianos etiam aſſerere *Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe quoad communitatem cauſæ, ſcilicet propter cauſam totius generis humani ſuſceptam, & propter aſſumptam naturam omnibus communem; addunt quoque quod Chriſtus media quædam, & auxilia generalia toti generi humano propoſuerit atque contulerit*, ideſt, *creationem* hominis ad beatitudinem, *legem naturæ* omnibus inditam, prædicationem Evangelii, Sacramenta per Chriſtum inſtituta, &c. Num. 9. animadvertit hæc omnia ad generalem redemptionem non ſufficere; quum Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſt. Salvat. cap. 2. eadem docens dixerit quod nullo modo inde ſequatur *ſufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium eſſe præparatum*. Num. 10. inquit ad hæreſim quintæ propoſitionis ejurandam requiri, *ut Chriſtum quiſque fateatur mortuum quantum ad intentionem pretium offerendi, & quantum ad applicationem illius pretii per media, quæ redimendis reprobis vere ſufficiant, ita ut Deus virtute meritorum Chriſti aliis quam prædeſtinatis conferat auxilia vere ſufficientia, quibus ſalus poſſit obtineri*. Num. 11. pertractat de voluntate Dei antecedenti definiens, quod Theologi ſatis communiter hanc voluntatem *antecedentem* explicantes ajunt eam eſſe, *quæ fertur in objectum, non quidem quale eſt in ipſo, ſed abſtrahendo a quibuſdam circumſtantiis*: voluntatem vero *conſequentem* eam, *quæ fertur in objectum, quale eſt in ſeipſo ſuis omnibus circumſtantiis veſtitum*: Janſenium vero lib. 3. de Grat. Chr. Salv. cap. 2. referre voluntatem antecedentem *ad ſtatum Adami ante peccatum*; ideoque poſito Adami lapſu manere in Deo erga reprobos *nudam quamdam velleitatem, quæ non determinatur ad danda ulla ſufficientia auxilia, per quæ ſalus ipſis fiat poſſibilis*. Num. 12. inquit id Janſenianæ doctrinæ mirifice cohærere; nam in ſyſtemate duarum delectationum, quæ invicem colluctantur, & quarum ſuperior gradibus alteram inſuperabiliter vincit, ille tantum poteſt bonum agere, perſeverare, & ſalutem æternam adipiſci, qui habet gratiam cupiditati præponderantem, ideoque æterna ſalus illis cenſenda eſt impoſſibilis, qui carent gratia gradibus ſuperiori; ac proinde noluit Chriſtus iis obtinere auxilia ad ſalutem ſufficientia. Num. 13. monet rurſus, quoſdam Janſenii diſcipulos reprobis quoque concedere gratias parvas *cupiditate minores*: ſed quoniam in Janſeniano ſyſtemate neceſſum eſt ſub hujuſcemodi gratiis ſuccumbere robuſtiori cupiditati; non ſufficit earumdem gratiarum collatio ad ſtatuendam voluntatem illam antecedentem, qua ſalus etiarn reprobis reddatur poſſibilis; neque harum cavillationum ſubſidio hæreſis quintæ propoſitionis repellitur. Num. 14. addit alios Janſenii ſectatores eatenus in Deo admittere voluntatem antecedentem ſalvandi omnes, quatenus tali voluntate Deus vult *quidquid in ſe bonum eſt & rectum*; cujuſmodi generis eſt ſalus omnium hominum *in ſe præciſe conſiderata*: verum ſenſum hunc Apoſtolicæ ſententiæ, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, a vero alienum eſſe, & longiſſime accerſitum; quum nec Janſenius antecedentem Dei voluntatem ita acceptam negare potuerit; ac præterea iſtiuſmodi voluntas ſterilis ſit, & otioſa: nec dici poſſit Chriſtum tali voluntate mortuum eſſe pro reproborum ſalute. Num. denique

Janſ. Red. pag. 79.

15. ait

15. ait Janſenium afferre expoſitiones duas Apoſtolici textus traditas ab Auguſtino, in quarum una explicatur *de accommodata diſtributione*, quatenus Deus vult ſalutem eorum omnium, qui revera ſalvantur; in altera exponitur *de generibus ſingulorum*, ſcilicet, de Judæis, gentibus, ſervis, liberis, adultis, parvulis, &c. addere inſuper expoſitionem tertiam, nempe quia Deus facit, ut ſancti homines ſalutem omnium velint, & orando peroptent. Verum ex his expoſitionibus minime infertur, juxta Auguſtinum, Deum velle ut ſalvi fiant ſolummodo electi; quum S. Doctor pluribus in locis expreſſe doceat, Deum velle ſalutem omnium omnino hominum, præſertim lib. de Catechiz. rud. num. 52. & de Sp. & lit. cap. 33. Chriſtum autem pro omnibus mortuum affirmet lib. 1. Op. imperf. cap. 64. aliiſque locis innumeris. Quando igitur Auguſtinus textum illum Apoſtoli exponit de ſolis electis, *loquitur de voluntate Dei abſoluta & efficaci adverſus Pelagianos & Semipelagianos, quia abſolutum & efficax Dei decretum pro electorum ſalute rejiciebant*: at voluntas iſta conſequens & abſoluta non excludit voluntatem conditionatam & antecedentem ſalvandi reprobos. Perperam ergo Janſenius in patrocinium erroris ſui advocat Auguſtinum. Hæc Anonymus.

Nemo, ut etiam in has prænotationes aliquid animadvertamus, debet Janſenianus cenſeri eo quod ſcripſerit Chriſtum rectiſſime dici pro totius mundi redemptione crucifixum, *propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, propter communem in primo homine omnium perditionem, propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam in veritate ſuſceptam*, ut nos diximus tom. 3. pag. 356. Sunt enim hæ phraſes ac verba S. Proſperi ad 9. objectionem Gallorum, & ad primam Vincentianam. Neſcimus itaque cur Anonymus hæc inter Janſeniana effugia recenſeat. Imo ſi accuratius Janſenium legerit lib. 3. *de Grat. Chriſt. Salvat. cap.* 20. percipiet allatam Proſperi explicationem a Janſenio refelli; quoniam *Proſpero antiquior & doctior Auguſtinus nunquam in ſcriptis ſuis fatetur Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum*; atque ex hac falſa de Auguſtino opinione audacter procedere ad interpretationem aliam, quam traditæ a Proſpero non veretur præferre his verbis: *Hinc genuinius, veriuſque reſpondemus, Chriſtum dici* ſe dediſſe redemptionem pro omnibus, *hoc eſt, pro univerſa ſua Eccleſia toto orbe diſperſa*. Amplectentes itaque ſententiam ac verba Proſperi, adverſantur Janſenio, non ipſi adhærent. Vide Philippum Van-Waure lib. 6. pag. 432. Janſeniani item dici nequeunt, qui docent ſingulis hominibus conferri auxilia quædam generalia: id ſiquidem tradunt Thomiſtæ, horumque celeberrimus Thomas de Lemos, prout oſtendimus §. 6. num. 3. Enimvero quod auxilia ſupernaturalia & *intrinſeca* univerſis hominibus actu conferantur, ſpectata antecedente Dei voluntate, & humani generis Redemptione, ſcholaſtica eſt quæſtio, non fidei decretum. Fatemur, quantum ad num. 9. attinet, requiri ad communem redemptionem, *quod ſufficiens auxilium ſit omnibus præparatum*, ut recte hoc in loco ſcribit Anonymus: ſed hortamur, ut ſibi conſtans, dum nobiſcum congredietur, a præparatione ad diſtributionem pertranſiens attendat hujuſmodi vocabulorum diſcrimen. Reminiſcatur quoque, ſcriptorem, cui diem indixit, nullibi docuiſſe auxilia ſufficientia non eſſe omnibus, & ſingulis hominibus præparata, ſed de his inſtituendo quæſtionem diſputaſſe, *Num ipſa auxilia ſufficientia ſingulis omnino hominibus non ſolum parata ſint & exhibita, verum etiam pro qualibet temporis circumſtantia, & præſertim urgente præcepto collata*: definiiſſe, *quod Deus omnibus & ſingulis paravit, exhibuit, & quantum eſt ex ſe nulli prorſus mortalium denegat ſupernas illuſtrationes, aliarumque gratiarum beneficentiſſimam largitatem*: non de præparatione, ſed de actuali receptione tantum hæſitaſſe, ſubjiciendo poſitionem alteram, *Non eſt de fide, quod auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum, ac præparatum, omnes reapſe recipiant*. Quum itaque Anonymus poſt varia in quintam Janſenianam propoſitionem prænotata, pagina tandem 92. concluſerit, *illius propoſitionis verum & proprium ſenſum eſſe, quod Deus voluntate antecedenti velit omnes omnino homines ſalvos fieri, quodque virtute voluntatis illius antecedentis illis omnibus, & ſingulis conceſſerit, obtulerit, aut ſaltem præparaverit auxilia ſufficientia ad ſalutem*; revincetur ipſemet ſuis verbis, ſi Theologis auxilia ſufficientia ſingulis parata fatentibus objecerit hæreſim propoſitionis quintæ Janſenianæ. Ad 10. conſtat ex præc. num. 7. etiam Auguſtinenſes præter ſufficientiam ac magnitudinem pretii ad communem redemptionem requirere ejuſdem pretii *oblationem*, ideoque judice Anonymo Janſenianis undique opponi. At quod ille ſubjicit ad hanc oblationem ſpectare, *ut Deus virtute meritorum Chriſti aliis, quam prædeſtinatis conferat auxilia vere ſufficientia*, aliqua indiget explicatione: nam quod revera ob Chriſti merita aliis quam prædeſtinatis conferantur auxilia, certiſſimum omnino eſt; quod autem horum auxiliorum collatio deſcendat ex voluntate Dei *antecedenti*, & ex *communi* Redemptione, non ex voluntate *conſequente*, atque ex redemptionis & meritorum Chriſti *applicatione*, falſum eſt, aut ſaltem poſitum in controverſia: ſiquidem voluntas *antecedens*, & *communis* redemptio ad omnes & ſingulos homines extenditur; ideoque ſi ex *antecedenti* Dei voluntate, & Chriſti Redemptione auxilia ſufficientia conferrentur aliquibus; deberent eadem ratione conferri omnibus: atque idcirco Mediſtæ contendunt dari omnibus auxilium ſufficiens, quoniam hujus diſtributionem referendam putant ad ipſam voluntatem Dei antecedentem. Ad 11. conſtat ex lib. v. de Theolog. diſciplinis a nobis non repudiari ſententiam Thomiſtarum, qui ajunt antecedentem voluntatem *connotare homines ſecundum ſe ſpectatos*, voluntatem vero conſequentem comparari *ad creaturas rationales in certis conſtitutas circumſtantiis*; & ulterius ad illam addere *ordinem, quo omnes ad ſalutem pervenire poſſint, & præparata ſingulis divinorum beneficiorum munera*. Tradita autem a nobis hæc notio antecedentis voluntatis nequaquam nova viſa fuiſſet Anonymo, ſi auctores laudatos §. 6. pervolutaſſet: at ſolet oriri ex rerum ignorantia hominum admiratio. Syſtema duarum delectationum *invincibilium*, quarum num. 12. rurſus Anonymus meminit, Auguſtinenſium neminem propugnare conſtat ex dictis. Referri quoque a Janſenio voluntatem antecedentem ad ſtatum, qui Adæ prævaricationem præceſſit, nos ante Anonymum tradidimus tom. 1. pag. 388. & ulterius, quod ipſe non fecit, inanem illam Janſenii eluſionem refutavimus. Sunt tamen ex Orthodoxis nonnulli, atque hos inter Joannes Driedo in libro *de Captiv. & Redemp. Gen. hum. tract.* 1. *cap.* 4. *ad* 2. qui docent, *Deum voluiſſe ſalvare omnes homines ſecundum primam naturæ humanæ inſtitutionem, in qua recepit Adam pro omnibus hominibus juſtitiam, per quam ſalvari poſſent; non tamen habuiſſe Deum ſimilem generalem voluntatem circa omnes homines, poſtquam illos lapſos in Adam prænovit*; ut inquit de ea Driedonis ſententia Franciſcus Suarez *lib.* 4. *de Provid. cap.* 1. *num.* 8. Etſi ergo falſum eſt, & a nobis quoque rejectum, quod *antecedens* Dei voluntas ſolum pertineat ad ſtatum innocentiæ; non tamen ob hoc tantum Janſenius damnandus eſſe videretur. Si quis etiam voluntatem antecedentem ita acceperit, ut velit vocari antecedentem, *quia eſt de objecto, ſeu fine bono ſecundum ſe ſpectato, præſcindendo ab adjunctis, ſeu a particularibus circumſtantiis*; non erit ſtatim Janſenianæ hæreſeos culpandus; nam hanc eſſe S. Thomæ, omniumque Thomiſtarum ſententiam ſcribit idem Suareſius lib. III. *de Attrib.* cap. 8. n. 7. & revera id S. Thomas diſertiſſime docet 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. Quod demum ait Anonymus num. 15. de allatis a Janſenio tribus Auguſtini expoſitionibus; primum recolenda ſunt quæ de iiſdem expoſitionibus tradidit *Opuſc.* 3. *cap.* 20. doctiſſimus Cardinalis de Lauræa, de quo §. 6. num. 17. Deinde animadvertendum eſt nos etiam lib. 5. cap. 1. adverſus Janſenianos ſcripſiſſe, *non rejici a Sancto Protoparente Auguſtino antecedentem voluntatem ſalvandi omnes; & ejus interpretationes ſupra recenſitas de voluntate efficaci & abſoluta accipiendas eſſe, quam præſertim nolebant admittere Pelagiani*. Vide tom. 1. de Theol. diſc. pag. 393. Ex his autem omnibus conſtat, ipſa Anonymi prænotata in quinque Janſenii propoſitiones fuiſſe a nobis præmiſſa, omniaque dogmatiſtarum effugia fuiſſe diligenter diſpuncta; & conſequenter prænotata ipſa vindicationibus noſtris fulcrum præſidiumque præbere.

IX. In poſtremo primæ partis articulo demonſtrat Anonymus quinque Janſenii propoſitiones neceſſario fluere ex principio duarum delectationum invincibilium: quod utique a nobis præmonſtratum fuit tom. 3. pag. 316. & ſeq. necnon in ſingulis hujus articuli VIII. adnotationibus. Itaque neceſſarium non eſt, ut de his, in quibus convenimus, fiat inter nos diuturna & acerrima concertatio. Si nos gratiæ, quæ robuſtiorem concupiſcentiam non ſuperat, *antecedentem* peccandi neceſſitatem, & non veram recte agendi potentiam, delectationi autem victrici, aut concupiſcentiæ prædominanti neceſſariam, & a ſola coactione immunem operum reciprocationem alligavimus, excuſare errorem noſtrum non poſſumus; contra autem ſi in parva delectatione *poteſtatem agendi*, atque in delectatione ſuperiori agnoſcimus *libertatem indifferentiæ*; non poterit adverſarius criminationis, & calumniæ ſuæ magnitudinem ullatenus occultare. At proh Deus immortalis! Poterat ne quiſpiam illas Janſeniani erroris ſyrtes accuratius vitare, quam ſæpenumero repetendo, *nullam delectationem injicere vinculum libertati: ſed ſicuti quacumque gratia præventus poteſt iniquus reluctari;*

ita

Jans. col. 382.

To. 3. p. 438. 440. 441.

To. 1. p. 387. & 388.

Suarez tom. 1. p. 348. edit. Lugd.

Suarez ibid. pag. 160.

S. Th. tom. 10. p. 83. 2.

Jan. Red. art. 7. 9. p. 93.

Tom. 3. p. 317.

ita quacunque premente cupiditate posse justum perseverare? Fraude hæc, & similia a nobis dici ubique Anonymus clamitat; num ex charismate id asserat, alii dijudicent. Nolumus, ut *Jansenismi Redivivi* auctorem lateat judicium clarissimorum Theologorum, quibus librorum nostrorum discussio, & censura commissa fuit: quorum aliqui, & quidem Mediolarum addicti partibus, non solum agnoverunt, & declararunt in illis defendi Cardinalis Norisii, & Antonini Massouliè doctrinam, *judicio Supremæ Inquisitionis* immunem a Jansenii erroribus; verum etiam Theologis omnibus compertum esse, tantem quinque propositionum non esse *delectationem victricem relativam*, prout ab Augustinensibus traditur, sed delectationem ipsam *fatali necessitati* adstrictam, & a *libertate indifferentiæ* sejunctam, ut statuitur a Jansenio. Quod vero plura a nobis artificiose, & Janseniano sensu dicta esse Anonymus ubique scribit, iisdem censoribus visum est omnes limites æquitatis transcendere; ideoque affirmarunt ignorari ab ipso Anonymo regulam Hadriani VI. de quo Ludovicus Vives *lib.* v. *De Tradendis disciplinis* prope finem, *Omnia quorumvis Catholicorum dicta, quantum fas esset, benigna solebat interpretatione condire;* ac monitum S. Athanasii scribentis *Orat.* 4. *adversus Arianos*, de ancipiti quadam horum hæreticorum enuntiatione: *Hoc si quis ex Orthodoxis simpliciter diceret, nihil esset, quod male suspicareris de hoc dicto, quippe ibi bona mens superaret simpliciorem loquendi morem.* Et quantum ad Fulgentium Bellelli spectat; addiderunt, eo jam vita functo in Romanæ Ecclesiæ communione, si ambiguum quid & minus exactum protulisset, servandam fuisse Anonymo præceptionem illam Facundi Hermianensis lib. x. cap. 5. *Non ex levi sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt quæ dicuntur: dicentis autem intentio, cum jam persona defuncta est, ex communione religiosius æstimatur.* Hæc aliaque plura viri sapientissimi, quos Roma plurimi facit, celebrat, & veneratur, judicarunt servanda fuisse ab auctore *Jansenismi Redivivi*, si quid in scriptis nostris offendisset exhibens aliquam Janseniani erroris suspicionem; quæ tamen omnino evanescit, dum a nobis sub delectatione *relative* victrici defenditur *libertas indifferentiæ.*

X. Postremo Anonymus inquit systema duarum delectationum, quæ sint *relative* victrices, sententia P. Hyacinthi Amat de Graveson e Sacra Prædicatorum Familia fuisse ab Ecclesia jure optimo proscriptum, *tamquam virulentum principium, ex quo fluunt quinque damnatæ Jansenii propositiones:* ita enim vir Cl. scripsit in Epistolis, quas Benedicto XIII. Pontifici Maximo nuncupavit, *tom.* 2. *epist.* 6. *pag.* 221.

Jans. Red. pag. 97.

Verum Theologi hujus judicium accipiendum est *de indeliberata delectatione victrici*, & *necessitante*; tum quia eodem in loco, quem citat Anonymus pag. 97. hoc vocabulum *necessitanti* expresse additur *delectationi relative victrici*: tum quia vir præclarus ignorare non poterat sententiam Joannis Gonzales, & Antonini Massouliè ejusdem Ordinis; de qua §. 2. num. 4. & 6. tum demum quia idem Graveson alibi scribit, ex Thomistis alios tradere efficacem gratiam *entitative* distinctam a sufficienti; alios autem velle *gratiam efficacem non distingui ex entitate, seu ex natura sua a gratia sufficiente, sed tantum penes intensionem graduum efficaciæ, quibus superat gradus malitiæ voluntatis creatæ*, addens alia plura, quæ gratiam *relative* victricem dilucide explicant, & aperte confirmant; prout constat ex cit. §. 2. num. 5. Quare spectato quoque P. Gravesonii judicio, quinque damnatæ propositiones fluunt *ex duplicis delectationis systemate*, prout a Jansenio statuitur cum antecedenti, atque inevitabili necessitate; non autem ut in Scholis nostris traditur, necessitate illa secluſa, & cum libertate indifferentiæ: quemadmodum interitus liberi arbitrii, & peccandi necessitas consequitur ex decreto absoluto, & ex gratia efficaci *necessitante*, prout adstruitur a Calvino; non vero ut salva libertate, & fatali necessitate semota, defenditur a Thomistis.

CAPUT II.

Vindicantur libri De Theologicis disciplinis *ab iniqua Jansenianæ hæreseos calumnia.*

NUllum Jansenianæ hæresis characterem Scriptis a me exaratis inesse non tantum evincunt superiores adnotationes, sed etiam Theologi doctissimi pronuntiarunt: quorum aliqui dixerunt doctrinæ nostræ orthodoxiam esse satis manifestam ex propositionibus tertio Volumini subjectis, a sexagesima secunda usque ad octogesimam quartam; aliqui vero affirmarunt omnem erroris suspicionem a me procul amandasse, dum præfatione ad librum 16. enarratis Jansenianorum effugiis, hæc omnino vitanda prænonui, & subinde mandavi litteris: *Sincere enim, & absque sermonis ambiguitate tenendum est, nunquam justos deseri a Deo, nisi Deum ipsi prius deserant, nec deesse illis gratiam sufficientem, dum præcepta servare volunt. Tenendum est dari in hoc statu gratiam, cui voluntas libere, & culpabili renitentia resistit: solam libertatem indifferentiæ, in iis etiam, quæ cum inclinatione, & voluptate fiant, non sufficere ad meritum, vel demeritum: libertatem arbitrii non consistere absque electione, potestate, ac dominio: omnes denique redemptos a Christo, dum vivunt, posse salvari, atque omnibus patere aditum ad salutem; quamvis salvi fiant soli prædestinati.* Ad hanc declarationem, non ad animi fraudulentiam erant ab Anonymo revocanda, quæ ipsi aut ambigua visa sunt, aut fuerunt ignota: maxime quod non semel, sed innumeris in locis, addito etiam jurejurando, quinque damnatas propositiones eadem perspicuitate proscripserim, & compluribus quoque argumentis oppugnaverim. Quid enim magis consentaneum æquitati, quam ea, quæ in librorum lectione obscura & difficilia videntur, cum aliis, quæ obvia & aperta sunt, comparare? aut quid magis juri dissonum atque iniquum, quam sententiis expresse traditis omnino neglectis ac prætermissis, ex aliis obscurioribus, atque e suo loco divulsis, orthodoxis scriptoribus accusationem intendere? Hoc autem artificio uti Anonymum, ac insuper in delectis a se locis Catholicorum placita a damnatis erroribus non secernere, quamvis evidentissime constet ex dictis, ostendam collectione eorum locorum, quæ sententiam nostram comprehendunt, & ponderatione aliorum, quæ tantam in ejus animo indignationem excitaverunt, ut nos odisse videatur cane pejus & angue: atque id operis, propitio Numine, aggredior.

§. I.

Denegatur in libris Theologicarum disciplinarum *delectatio illa gradibus superior, quæ ita sit* invincibilis, *& necessitatem inferens, ut sub illa voluntas a sola* coactione *sit libera.*

I. UT nonnulla rursus exscribamus ex 3. Volum. quod fere totum versatur in exponendo Augustiniano systemate; lib. XIV. cap. 8. hæc leguntur: *Jansenius statuit efficaciam gratiæ in delectatione victrici, quæ a deliberatione & indifferentia liberi arbitrii penitus sejuncta est. Nos vero dicimus indeliberatam quidem esse hanc delectationem, quatenus inspiratur a Deo, & proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, nisi accedat liberi arbitrii deliberatus assensus, firmissime tenemus, cum meritum haberi nequeat sine indifferentia libertatis. At hæc delectatio victrix conjuncta est cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato.* Et paucis interjectis: *Sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat; sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali.* Ac rursus ibidem: *Non ergo nos, neque nostratium aliqui propugnant delectationem victricem juxta Jansenianam decreta.* Tom. 3. pag. 156.

II. Lib. XIV. cap. 11. solvendo argumenta adversus gratiam per se efficacem memini hæc me scripsisse: *Nego quod sub gratia efficaci non remaneat potestas ad oppositum, dum operatur in nobis velle, & facit, ut faciamus: id enim præstat per supernam illuminationem, & inspirationem sanctæ dilectionis, at non talem, quæ nobis verum sub omni ratione veri, & bonum sub omni ratione boni proponat, rapiatque in se mentem & animum illa necessitate, qua in verum bonumque incommuni protendimus. Neque inducit gratia efficax necessitatem, propterea quod ipsa sit infallibiliter conjuncta cum actu: nunquam enim eveniet, ut non amplectamur liberrima voluntate quod nos magis trahit magisque delectat, quandiu ipsa delectatio, bona voluntas, & deliberatio animi perseverat; & nihilominus id potest non evenire, quoniam ea delectatione non absorbetur voluntas a plenitudine bonitatis, ideoque potest alio amore superari, & ex mundi delectatione marcescere.* Ibidem: *Concedo posse hominem dissentire etiam in sensu compositovocationis & excitationis divinæ.* Itemque: *Augustinus docet nos* necessario *sequi quod magis delectat, sumpta necessitate pro infallibili consecutione actus, non pro negatione* possibilitatis *ad actum oppositum: quo sensu necesse est ut sedeamus, quandiu sedere volumus, salva semper potestate non volendi quod volumus.* Eod. to. 3. pag. 197. pag. 198. & 201.

III. Diximus paullo ante a nobis in Præfat. lib. XVII. hæc, rejectis Jansenianorum cavillulis, pronuntiari: *Sincere tenendum est dari in hoc statu gratiam, cui voluntas libere, & culpabili renitentia resistit: solam libertatem indifferentiæ in iis etiam, quæ cum inclinatione & voluptate fiunt, non sufficere ad meritum, vel demeritum: libertatem arbitrii non consistere absque electione,* In eod. 3. Volum. pag. 311.

Tom. 3. pag. 311.

ne, poteſtate, ac dominio. Eo loci animadvertimus illam Janſenianorum æquivocationem, quæ in nobis mendaciter & iniquiſſime latere dicitur, ita de quibuſdam recentioribus Janſenii aſſeclis pronuntiantes: *Illud quoque concedunt poſſe voluntatem a gratia excitatam ei reluctari: verum hanc reluctandi poteſtatem dari negant, quandiu voluntas actualis gratiæ inſpiratione movetur, ita ut libertas indifferentiæ nunquam actu conſiſtat ſub victrici delectatione. Verbis itaque, non re, Theologi illi ſunt a damnatis erroribus alieni.*

IV. Cap. 1. ejuſdem libri Janſenianam hæreſim exponentes verba hæc adhibuimus: *Ait Janſenius impoſſibile eſſe, ut vigente ſancta delectatione illicitum prævaleat deſiderium & conſideratio peccati; & e contra ſub vividiori concupiſcentia neceſſario liberum arbitrium ſuccumbere . . . . Nos contra contendimus nullam delectationem injicere vinculum libertati, niſi ſummi boni per lumen gloriæ manifeſtati, aut boni, ut inquiunt, in communi, extra quod divagari nequit, voluntatis inſtinctus; propterea quod hæc duo tantum tollunt indifferentiam judicii; ideoque ſicut quacunque gratia præventus poteſt iniquus reluctari, ita quacunque premente cupiditate poteſt juſtus perſeverare.* Atque poſt unam, alteramve lineolam: *Nam ſententia noſtra nec ſemper gratiæ delectationem inſpiranti aſſentimur; neque neceſſe eſt, ut ſequamur quod magis delectat.* Eademque pagina: *Satis quippe eſt ad profligandas ſcita Janſenii, ſub parva delectatione veram poteſtatem agendi, atque ſub delectatione victrici poteſtatem agnoſcere reluctandi.*

To. 3. *pag.* 316. & 317.

V. Tertio autem capite productis Janſenii verbis hanc illationem depromo. *Ergo per Janſenium quiſquis meretur, neceſſario abripitur a ſuperiori delectatione; qui vero peccat, neceſſitate ſuccumbit ſub premente cupiditate, & tam meritum, quam demeritum nulla alia ratione dicitur liberum, niſi quia eſt voluntarium.* Oppoſita autem Janſenio doctrina Auguſtini hanc ſtatuo adverſus Janſenianos conſecutionem: *Ergo docet Auguſtinus non poſſe cum neceſſitate permanere libertatem arbitrii, non motum culpabilem, non proprie acceptum peccatum, non meritum ſpectans ad mediorum electionem, non demeritum, non opus aliquod dignum retributione, vel pœna.* Huc ſpectant ſubjicienda proximo §. 4. quamvis hæc abunde demonſtrant eos, qui ajunt nos efficacem gratiam conſtituere in delectatione indeliberata, *invincibili*, & *neceſſitante*, vel ratione omnino carere, vel oculis.

Eodem tom. 3. *pag.* 344.

§. II.

Apertiſſimæ falſitatis convincuntur, qui ajunt negari in Scriptis noſtris gratiam ſufficientem *ab efficaci diſtinctam.*

I. ENimvero libro IV. cap. 11. explicata gratiæ efficacitate, hæc addo de auxilio ſufficienti: *Si carnalis delectatio, cui humana voluntas obſtringitur, illius gratiæ delectationi prævaleat, fruſtratur hæc ſuo effectu, & redditur inefficax: & hæc eſt gratia ſufficiens, cui liberum arbitrium quam frequenter reſiſtit:* quam ſufficientis gratiæ deſcriptionem eſſe illam, quam tradunt Antoninus Maſſoulié, & quidam alii Thomiſtæ, conſtat ex §. 2. num. 5. & 6.

To. 1. *pag.* 362.

II. Lib. XIV. cap. 8. rejecta gratia *Moliniſtice* ſufficienti, hæc litteris trado: *Eſt ergo gratia ſufficiens ſenſu Thomiſtico, ac noſtro, illa, quæ dat poſſe, non velle*: & quamvis eo loci fatear me diſcedere ab ea Thomiſtarum ſententia, quæ tenet auxilium ſufficiens, & efficax inter ſe natura, ac *ſpecie* differre, ac potius amplectar ſententiam alteram, quæ cenſet eamdem gratiam, quæ in uno eſt *efficax*, in altero eſſe duntaxat *ſufficientem*; oſtendi tamen §. 2. hanc aſſertionem meam a Theologis præſtantiſſimis, inter quos eminent quoque Thomiſtarum nonnulli, pleniſſimis calculis approbari; atque in eo ſitam eſſe noſtram cum Mediſtis diſceptationem, quod nos ad actum requirimus gratiam ſeipſa efficacem, non autem controverſiam ſtatui in deneganda, vel adſtruenda diſtinctione illa *entitativa* divinorum auxiliorum. Ceterum quod ad præſentem rem attinet; eodem cap. 8. ſcripſimus: *Pari jure diſcrepamus a Janſenio circa gratiam ineffacem. Primo enim fatemur qualemcumque gratiam in hoc ſtatu, ſive parvam, ſive magnam, eſſe gratiam Chriſti. Deinde defendimus dari gratiam inefficacem, cui voluntas reſiſtit. Ac tandem per gratiam ſufficientem dari nobis poteſtatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam, ſed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax. Legendus Noriſius in Janſeniani erroris calumnia ſublata cap.* 4. Vide, num a Noriſio latum, ut ajunt, unguem diſtemus.

Tom. 3. *pag.* 148. & 156.

III. Æque manifeſta ſunt, quæ leguntur eodem in capite: *Gratia ſufficiens, quæ imperfectum actum, aliquam ſcilicet mentis colluſtrationem, ac pium voluntatis motum producit, etiamſi ad actum non trahat, ex ſe ad illum ordinatur, ad illum excitat, ad illum etiam, niſi reluctaretur perverſa voluntas, foret efficax.* Et ibidem: *In pia illa affectione, quam per gratiam ſufficientem nos dicimus hominibus inſpirari, tribuitur operis, non quidem executio, ſed vera poteſtas, quamquam non ita expedita, ut reapſe prodeat in actum; quod ut diximus, non gratiæ defectus eſt, ſed voluntatis humanæ obicem ipſi gratiæ opponentis.* Porro quod diximus de potentia non ita *expedita*, ut prodeat in actum, rectiſſime dictum eſſe, atque antea traditum a Theologis præſtantiſſimis, & ſtrenue vindicatum a Cardinali Noriſio, demonſtravimus capite 1. §. 2. num. 9. & ſeqq. necnon §. 4. num. 1. & 3.

Ibid. pag. 160. & *pag.* 161.

IV. Quid vero in diſſertatione adverſus hæreſim Janſenianam, ſive in XVII. libro? Scripſimus in Præfat. pag. 311. *Sincere enim, & abſque ſermonis ambiguitate tenendum eſt, nunquam juſtos deſeri a Deo, niſi Deum ipſi prius deſerant, nec deeſſe illis gratiam ſufficientem, dum præcepta ſervare volunt.* Addidimus cap. 1. ut conſtat ex præced. §. juſtum habere poteſtatem perſeverandi, & quidem a gratia ſufficiente, *quacumque premente cupiditate*, atque ſub gratia, quantumvis parva, dari *veram poteſtatem agendi*, cohærenter ad ea, quæ præmiſſa fuerant pag. 159. *cum minima gratia actuali poſſe homines reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ.* Capite item 3. contra ſecundam Janſenianam ſtatuimus hanc Auguſtinianam antitheſim: *Auguſtinus agnoſcit in hoc ſtatu non ſolum adjutorium* quo, *ſed etiam adjutorium* ſine quo non, *ſive pure ſufficiens.* In eodem cap. 3. ad objecta Janſenianorum reſpondi: *Gratia ſufficiens non dat* poſſe *conjunctum cum actu, & proxime completum, & expeditum, concedo. Non dat* poſſe *ab actu ſejunctum, & incompletum, nego.* Et ne aliquis tardioris ingenii, & Auguſtinianæ Scholæ ignorans loquendi formulas, ad ea vocabula *poſſe completum atque expeditum* corrugaret obeſas nares, advertimus iterum illam a nobis appellari potentiam *proxime* expeditam, *quæ ut ponat actum gratiam uberiorem non poſtulat.* Rurſus prope finem illius theſis hæc ſcripſimus: *Sufficiens eſt gratia quælibet, quantumvis minima, licet requiratur gratia prædeterminans, ut ad actum reipſa applicetur.* Quibus an lucidiora ad gratiæ ſufficientis commendationem produci valeant, ignoro.

Eod. volum. 3. *pag.* 311. 336. 341. & 343.

V. Attamen de Gratia *ſufficienti*, & quidem ut diſtinguitur ab *efficaci*, lib. 18. cap. 8. data opera pertractavi: ibique hæc mandavi litteris: *Juſtis ſufficientem gratiam adeſſe, & neminem deſeri a Deo, niſi ipſe Deum deſerat, cum omnibus Catholicis profitemur.* Item: *Illud tantum in quæſtione verſatur, num reapſe auxilia ſufficientia ſingulis omnino hominibus non ſolum parata ſint & exhibita, verum etiam pro qualibet temporis circumſtantia, & præſertim urgente præcepto collata.* Ibidem: *Haberi veram gratiam ſufficientem, etiamſi non inſpiretur a Domino ſancta victrix delectatio, quemadmodum adverſus ſecundam propoſitionem Janſenii propugnavimus, repetimus in præſentia.* Rurſus: *Eſt ergo valde probabilis, & in Scholis recepta ſententia, omnibus indiſcriminatim dari ſufficientis gratiæ adjutorium.* Iterum: *Deus pro omnibus ac ſingulis remedia ſalutis inſtituit, paravitque, exhibuit, & quantum eſt ex ſe nulli mortalium denegat ſupernas illuſtrationes, aliarumque gratiarum beneficentiſſimam largitatem.* Præterea: *Cuilibet fideli, niſi libere ponat obicem, adeſt gratia orationis, qua impetrare poteſt auxilium immediate ſufficiens ad implenda mandata.* Erit ne poſthac, qui abſque turpiſſimo mendacio affirmare audeat nos a nomine gratiæ *ſufficientis* adhorrere, quoniam illam alicubi appellavimus *inefficacem*? Erit ne, qui ſine manifeſta calumnia poſſit aſſerere, quod in hac gratia non fateamur veram recte agendi *potentiam*, quod gratiam *juſtis* auferamus, quod negemus ſingulis viatoribus *paratam* eſſe, atque *exhibiri*? Si erit qui hæc effutiat; negabit quoque ſolem in meridie ſplendeſcere.

Tom. 3. *p.* 437. 438. 440. 445.

§. III.

Decipitur, & allucinatur quiſquis ait nos exiſtimare aliqua præcepta eſſe juſtis impoſſibilia.

I. JUſtis ſiquidem *ſufficientem* gratiam adeſſe teſtati ſumus in locis præcedenti §. laudatis. Quid enim his verbis expreſſius: *Sincere & abſque ſermonis ambiguitate tenendum eſt, nunquam juſtos deſeri a Deo, niſi Deum ipſi prius deſerant, nec deeſſe illis gratiam ſufficientem, dum præcepta ſervare volunt?* Quid iis luculentius: *Quacunque premente cupiditate poteſt juſtus perſeverare?* Quid clarius iſtis: *Juſtis ſufficientem gratiam adeſſe, & neminem deſeri a Deo, niſi ipſe Deum deſerat, cum omnibus Catholicis profitemur?* Profecto hæc tantum accuſatoribus univerſis ora occludunt.

Tom. 3. *p.* 311. 317. 437.

II. His adde quæ ſcripſi adverſus primam Janſenianam lib. 17. cap. 3. Ipſam enim propoſitionem refutavi ex Auguſtini verbis lib. de Fide contra

Tom. 3. *p.* 328.

Manichæos capite 10. *Quis non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Serm. 191. de Temp. *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid a Deo eſſe præceptum.* Lib. de Nat. & Grat. cap. 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Oſtendi æquitatem cenſuræ, qua Sedes Apoſtolica eamdem propoſitionem declaravit *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam*, primum ex Scripturis, Deut. 30. 11. Matth. 11. 30. & ad Corinth. prima 10. 13. Deinde ex Tridentina Synodo ſeſſ. 6. cap. 11. Inſuper ex damnatione Bajani articuli 52. Inſuper ex Patribus, ex Theologis, ex naturali ratiocinatione. Quid ultra a viro Theologo præſtandum erat?

III. In ſolvendis vero Janſenianis argumentis paſſim veritatem Catholicam inculcavi, modo ſcribens, *Juſti gratiam frequenter inſpirantem voluntatem bonam habent, igitur & poteſtatem*: modo negans *non eſſe poteſtatem bonorum operum ſine gratia per ſe efficaci*: modo addens, *Adeſt juſtis ſufficiens gratia ad orandum, cum habent notitiam præcepti, cupiunt illud implere, atque propriam agnoſcentes infirmitatem ex hujus conſideratione ad implorandum omnipotentis Dei adjutorium moventur*: modo reponens, *Nego deeſſe juſtis potentiam implendi præcepta, dum illis ſubtrahitur gratia efficax, per quam eadem præcepta actu adimplent*: modo ſubjiciens, *In victrici delectatione*, qua carent juſti dum cadunt, *non conſtituimus gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe, ſed gratiam efficacem, quæ facit ut faciamus; gratiam autem illam ſufficientem ab operatione ſejunctam agnoſcimus etiam in voluntate parva & invalida.* Quare hæc omnia conviciatores prætereunt? Quare unum ſaltem non proferunt?

Ibid. pag. 332. 333. & 334.

IV. Non tantum juſtis, verum etiam cuilibet fideli arbitror adeſſe gratiam orationis, *qua impetrare poteſt auxilium immediate ſufficiens ad implenda mandata*; id enim peculiari propoſitione demonſtravi libro XVIII. cap. 8. ratiocinationem iſtam producens: *Fidelis enim credit ſibi mandata a Domino eſſe præſcripta; novit ſcriptum in Evangelio*: Petite, & dabitur vobis; *& niſi ſuperbe de ſe præſumat, propriam infirmitatem agnoſcit, & retrahentem a bono concupiſcentiam experitur. Atqui ſi credit, nec ſuperbe præſumit, habet gratiam ſufficientem ad orandum; ut enim Auguſtinus ſcribit de Grat. & lib. arbitrio cap. 16.* Ipſa eſt fides, quæ orando impetrat; *& epiſt. ad Aſellicum*, Utilitas legis eſt, ut homines de ſua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat. *Igitur niſi fidelis præſumptionis obicem ponat, gratiam habet orandi, eaque niſi in pœnam liberæ elationis non caret.* Credo autem neminem exiſtimaturum eſſe me adeo ſtupidum, adeo inſanum, ut juſtos eo auxilio deſtitutos eſſe putaverim, quod ſingulis fidelibus, niſi tumeſcentes ſuperbia ſponte illud abjiciant, adeſſe contendo.

Tom. 3. p. 446.

V. Omnem inſuper fidem ſuperat, quod affirmaverit præcepta Dei eſſe *impoſſibilia* juſtis gratia ſufficienti ſuffultis, qui docet nec *impoſſibilia* dicenda eſſe hominibus ſceleratiſſimis, ſi gratia auxiliatrice juſto Dei judicio priventur. Conſtantiſſima eſt autem ſententia noſtra, omniumque Auguſtinenſium, ac Thomiſtarum, poſſe quemlibet impium converti, *etiamſi gratia careat*, quoniam poteſt gratiam ipſam recipere. Demonſtravi hoc prælaudato cap. 8. ex *Juſtificatione* Lovanienſium, atque Doctoris Angelici auctoritate; addidique in hoc Opere Goneti, Lemoſii, Alvareſii, Gonzales, Sylvii, aliorumque idem aſſerentium verba ſole ſplendidiora. Scripſi inſuper priori in loco: *Neque dicas illuſorie hoc dici, ſi auxilium quoque divinum nobis deſit. Deeſt quippe nobis volentibus, & libere ponentibus impedimentum, cum ſimus etiam ſine gratia liberi ad malum, quod optione noſtra eligentes Domino vocanti, & extendenti manus ſuas dorſa vertimus.* Et rurſus: *Reſpectu bonorum operum, ſentio carentem auxilio ſufficienti non habere potentiam proximam, peccare tamen illorum omiſſione, quoniam ejus* impotentia *eſt libere volita; nam ideo non poteſt, quia prava erga malum voluntate ponit potentiæ proximæ impedimentum.* Poſt pauca: *Ceterum potentia* remota *ſemper in hac vita ſupereſt cuilibet peccatori, quoniam adjuvari poteſt a Deo, & quæ* per amicos poſſumus, aliqualiter per nos poſſumus, *ait S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. At dicis, quid ſi amicus nolit opem ferre? Reſpondeo Deum non defuturum, niſi tu ponas impedimentum.* Itaque non tantum juſtis, verum etiam fidelibus univerſis, immo & hominibus improbiſſimis divina præcepta *poſſibilia* eſſe firmiſſime profitemur.

Tom. 3. p. 445. 466. 467.

Vide cap. 1. §. 4. num. 4.

§. IV.

Propugnari in Scriptis noſtris non tantum ſufficientem *gratiam, cui voluntas reſiſtit, ſed etiam libertatem* indifferentiæ *perſiſtentem ſub gratia* victrici, *fateri cogitur quilibet, quantumvis pervicax, criminator.*

I. DE ſufficienti auxilio egimus §. 2. & proxime præcedenti. Ad libertatem vero perſiſtentem ſub delectatione victrici ſpectant, quæ §. 1. producta ſunt. At occurrunt in libris noſtris alia quamplurima, quarum aliqua commemorabimus. Lib. IV. cap. 13. pertractans de libertate cum gratiæ adjutorio concilianda ita loquor: *In ſenſu Janſenii ſub dominatu concupiſcentiæ, aut gratiæ conſiſtit libertas a coactione, quoniam homo peccat culpabili cupiditate, & recte agit victrici delectatione: neque cogit arbitrium cupiditas, vel delectatio. Hæc eſt perverſa doctrina Janſenii.* Adverſus hanc doctrinam ibidem ſtatuo non tolli auxilio efficaci libertatem *indifferentiæ*, quoniam ſub eo *remanet in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppoſitum*, explicans quomodo id contingat, ratione ſcilicet rurſus expoſita cap. 1. §. 3. num. 8. &, quoniam illam inſcius Anonymus noſtram commentationem putavit, teſtimoniis Doctoris Angelici confirmata.

Tom. 3. p. 378.

II. Rurſus lib. XII. cap. 10. poſteaquam egimus de libertate primi hominis, & univerſim ſtatuimus, quidquid *ex neceſſitate agitur, non poſſe opus liberi arbitrii appellari*, explicata libertate *a neceſſitate*, quam diximus ſitam eſſe *in poteſtate eligendi hæc vel illa media, etiam ad invicem contraria*, hæc quadratis verbis enuntiavimus: *Errant turpiſſime Calvini & Janſenii gregales, qui putant libertatem cum neceſſitate conſiſtere.* Et ne lividus conviciator poſſet criminari, tegi a nobis callida ſimulatione errorem talia aſſerendo de libertate Adæ, quam nec Novatores neceſſitati alligarunt, hoc addidi fidei noſtræ ineluctabile teſtimonium: *Eadem a neceſſitate libertas etiam in hoc infirmitatis ſtatu certiſſime perſeverat. Etenim Deus, ut Auguſtinus ait in* VIII. *de Gen. ad lit. cap. 23. nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem.* Scripſi item eo loci: *Auguſtinus in hoc ſtatu miſeriarum non negat libertatem indifferentiæ*: dixi rurſus, *libertatem a neceſſitate reperiri tam in bonis, quam in malis, nec ſine illa meritum dari*: iterum vero, *Libertas a neceſſitate etiam poſt Adæ prævaricationem in hominibus perſeverat*: pariter, *Janſenianos, ac Novatores reliquos liberum arbitrium non meliorem ſaxo putaſſe, dum auſi ſunt dogmatizare voluptatem ita animum dejicere, ut neceſſario moveatur, nec potis ſit contraniti*: ulterius, *Motus liber erit tantummodo, ubi ſit in voluntate poteſtas illum cohibendi.* Non poterat libertas *a neceſſitate* evidentius deſcribi, manifeſtius doceri, &, abſit invidia verbo, enucleatius exponi.

Tom. 1. p. 507. 508. 509. 510.

III. De Pelagiana hæreſi, ſeu lib. 14. cap. 5. propoſitionem num. 4. enuntiavi, prout ſequitur: *Non eſt connumeranda inter errores Pelagii indifferentia liberi arbitrii; niſi ita accipiatur, ut inſpecta ſola naturali facultate poſſit ex æquo bonum & malum.* Quam propoſitionem ſic probo: *Demonſtratur prima pars; quia hæc eſt communis liberi arbitrii* notio, *ut ſit poteſtas animi libera ad faciendum, vel non faciendum: unde juremerito damnata eſt Janſeniana propoſitio, quod ad merendum, vel demerendum in hoc ſtatu non requiratur libertas indifferentiæ, dummodo arbitrium ſponte & voluntate velit; ita ut libertas cum neceſſitate conſiſtat. Quem errorem non ſemel in hoc Opere profligamus, & rurſus inſectabimur, cum ad hæreſim Janſenianam perventum erit.*

Tom. 3. p. 132.

IV. Liberavi autem fidem meam: nam ad 3. Janſenii propoſitionem, ubi demonſtravi per Janſenium, *tam meritum, quam demeritum nulla alia ratione dici liberum, niſi quia eſt voluntarium*, appoſui Auguſtinianam iſtam antitheſim: *At magnus Auguſtinus, quamquam fatetur*, tanto eſſe ad quæcunque mala perferenda quemque iniquorum duriorem, quanto in eo major eſt cupiditas mundi; & quemquam juſtorum tanto eſſe ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo eſt major caritas Dei, *in libro de Patientia, capite* 17. *Quamquam docet in hoc ſtatu, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, in tali certamine laborantes, ac periclitantes indigere gratia*, quæ carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat, *De correp. & grat. cap. 11. Quamquam in voluntate, prout naturali inſtinctu fertur in finem, agnoſcit* congenitam libertatem immutabilis voluntatis, *lib. 6. Op. imperf. num. 11., nihilo tamen minus liberum arbitrium, cujus proprietas eſt mediorum electio, negat liberum habere motum*, niſi poteſtatem habeat motum ſuum cohibendi, *lib. 3. de lib. arb. cap. 3. negat eſſe peccatum*, unde non eſt liberum abſtinere: *negat hominem, quandiu in corruptibili corpore rationalis ani-*

Eodem Tom. 3 p. 344.

lis anima detinetur, non posse resistere gratiæ, *De nat. & grat. cap. 67. Ergo docet Augustinus non posse cum necessitate permanere libertatem arbitrii, non motum culpabilem, non proprie acceptum peccatum, non meritum spectans ad mediorum electionem, non demeritum, non opus aliquod dignum retributione, vel pœna. Sed de his plura cap. 2. & 3. præced. dissert. de H. Luthero-Calviniana.*

V. Nolo ex loco nuperrime laudato plura exscribere, jam enim parcendum est nimiæ accusantis erubescentiæ. Duas tantum propositiones ibidem demonstratas produ-

Tom. 3. p. 275. & 279. cam: quarum una est, *Pertinet ad libertatis essentiam posse agere, non vero posse peccare, quod inest libertati creaturarum ob istarum imperfectionem*: altera autem, *Libertas indifferentiæ superius explicata requiritur etiam in statu naturæ lapsæ ad meritum, vel demeritum*. Si legeris librum XVII. seu tom. 3. a pag. 265. usque ad pag. 299. adinvenies harum positionum prolixam explanationem, copiam argumentorum uberrimam, & eorum, quæ Jansseniani opponunt, plenissimam refutationem. Vocant itaque album nigrum, & nigrum album, qui ajunt a nobis denegari libertatem indifferentiæ, eamque in hoc statu non requirere ad merendum, vel demerendum.

§. V.

Nunquam tanto ingrati animi vitio peccavimus, ut negaverimus piissimum Jesum *esse omnium omnino hominum* Redemptorem.

Tom. 1. p. 388. I. AGens enim ego lib. v. cap. 1. de antecedenti voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, produxi præter alias hanc asserti mei probationem: *Validissime probatur propositio ex quo Christus pro omnibus hominibus mortem subierit. Id in libro de Hæresi Jansseniana adversus quintam propositionem sumus demonstraturi. Nunc satis est Jansenii dogma brevissime refutare. Ac primo opponitur allato Pauli testimonio:* Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: *quod de solis prædestinatis non potest intelligi; quum nos hortetur Apostolus ad orandum pro omnibus, etiam reprobis ac perditissimis. Rursus idem Apostolus 2. ad Corinth. cap. 5. v. 14.* Si unus, *inquit*, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. *Probatur hoc Pauli testimonio omnes Adæ posteros originalem culpam contrahere, ut constat ex lib. 6. Augustini contra Jul. cap. 4. & ex 20. de Civit. Dei cap. 6. Igitur sicut omnes in Adam mortui sunt, ita Christus pro omnibus mortuus est, &c.* Quamquam vero Anonymus ægre ferre videtur, antecedentem illam voluntatem a nobis exponi per institutionem, ac præparationem, non vero per actualem distributionem sufficientis auxilii; hoc tamen universali redemptioni nil derogat, quoniam sententia nostra, *Quisquis non adjuvatur a Deo per gratiæ subministrationem, queri debet de prava sua voluntate, non de ipso Deo beneficentissimo gratiarum suarum largitore*; quam propositionem & enuntiavimus, & pluribus argumentis veram ostendimus

Vide to. 3. p. 439. & 455. lib. 18. cap. 8. prop. 7. ne repetam, quod evidentissime demonstratum est cap. 1. hujus dissert. §. 6. ita voluntatem *antecedentem* exponi a doctissimis Thomistarum, atque ab universis Ægidianis; quæstionem vero de gratia actu omnibus collata in utramque partem salva fide ac pietate agitari; negantem assertionem, fatentibus adversariis, tradi ab Augustino, Fulgentio, Prospero, ac Theologis bene multis: ad libellam denique Scholasticarum opinionum, quæ variæ sint & oppositæ, non esse fidem catholicorum dogmatum exigendam.

Tom. 3. p. 12. II. Demonstrans insuper transfundi ad posteros Adæ originale peccatum, ita ratiocinationem, quam paullo ante tetigi, adversus Pelagianos adhibui: *Alterum argumentum sumitur ex iis locis, in quibus ostenditur Christum Dominum universos Adæ posteros redemisse, & pro omnibus mortuum esse: quod affirmat Apostolus quinto ad Rom. capite vers. 9.* Christus pro nobis mortuus est, ergo omnes mortui sunt. *In qua universali sententia etiam parvulos comprehendi nemo non videt.* Addidi eo loci plura testimonia Augustini eadem argumentatione Pelagianos urgentis; ac similia conscripsi tom. 3. pag. 347. tom. 5. pag. 449. & aliis in locis. Ex quo autem Christi redemptio, & ipsius morientis benefica voluntas non minus late, quam Adami peccatum, extendatur, validissime Jansenianam

De champs pag. 658. & seqq. hæresim revinci & profligari demonstrat Stephanus Dechamps lib. 3. disp. 7 cap. 3. Næ ergo hæresim sinu fovemus, quam lethali jaculo invadimus?

Tom. 3. de Th. Disc. pag. 317. & 350. III. At ne credas, me hoc uno argumento quintam Jansenianam propositionem oppugnasse. Statui adversus illam Catholicum theorema, *Augustinus Christum pro omnibus & singulis pretiosum sanguinem effudisse innumeris locis commonstravit.* Quibus id momentis ostenderim, legi potest lib. 17. cap. 3. Per omnes etiam *notas*, quibus quinta illa propositio damnata & confixa est, singillatim discurrens illarum omnium æquitatem confirmavi multiplici genere argumentorum, concludens: *Igitur Jansseniana thesis opponitur veritati, quæ ubique conclamat Christum universi humani generis Reparatorem ac Redemptorem, clamat ore Apostolico, clamat oraculis Conciliorum, clamat omnium Patrum sermone, clamat denique concordissimis Scholasticorum enuntiationibus.*

Tom. v. p. 448. IV. Instituta illa contra Jansenium dissertatione haud contentus, iterum pro universali Redemptione pugnavi lib. 28. cap. 9. & Jansenianum dogma appellavi *immitem rigidamque sententiam, a Tridentina Synodo sess. 6. prædamnatam, contumeliosam Christo, ejusque flagrantissimæ & maximæ caritati derogantem, contrariam divinis Scripturis, impiam, blasphemam, & repugnantem traditioni Patrum universorum.* Postquam vero hæc omnia demonstravi, plura simul argumenta rationi innixa conglomerans scripsi: *Adversatur tandem placitum illud hæreticorum rationi, quæ petitur ex originali peccato, cui omnes filii Adam nascuntur obnoxii: ex oratione, quam pro omnibus tenemur effundere: ex Ecclesia, quæ in sui gremium quoscunque excipit: ex Evangelii prædicatione per universum terrarum orbem: ex Domini JESU nomine: ex Mediatoris officio: ex Judicis potestate: ex Sacrificii ejus valore; ex caritate, qua proditorem amplexus est, qua pro crucifixoribus oravit, qua tota die ad populum non credentem, & contradicentem manus extendit.*

Eodem tom. 5. a pag. 365. usque ad 441. V. Omnes denique ingenioli mei conatus intendi, ut undique subverterem Socinianorum *de Christi satisfactione* hæresim pernicioſissimam: quod præstiti eodem vol. 5. peculiari dissertatione. In qua licet de *veritate* potius Redemptionis, quam de illius *universitate* pertractetur: ubique tamen inseruntur, quæ universitatem ipsam commonstrant, præsertim pag. 370. 380. 393. & 399. quæ omnia poterit ibidem expendere quisquis ampliora & locupletiora sententiæ fideique nostræ munimenta requirat, etsi nescimus quid amplius, quid locupletius dictis possit rigidissimus ac severissimus adversarius expetere.

CONCLUSIO.

In libris *de Theologicis Disciplinis* non traditur Jansenianum duplicis delectationis systema, neque ulla ratione probantur quinque propositiones inde fluentes, & ab Ecclesia proscriptæ; sed aperte systema illud rejicitur, ac propositiones istæ omnino perspicue, & luculenter damnantur, reprobantur, & refutantur.

DEMONSTRATUR.

Jansenianum duplicis delectationis systema est, utramque delectationem, spiritus & carnis, ita invicem pugnare, ut earum conflictus nequeat sopiri, nisi altera alteram superaverit: quæ autem victrix est, habeat voluntatem sibi necessitate invincibili obsequentem, nec alia ratione liberam, nisi quia non cogitur, sed vult, atque trahitur voluptate; quæ vero minor est gradibus, veræ potestatis agendi sit expers. Quare in hoc Jansseniano systemate justis, etiam conantibus, & volentibus, si desit illis victrix delectatio, & gratia efficax, *impossibile* est divina observare præcepta, & necessum est a justitia deflectere. Nulla est etiam in eo systemate gratia sufficiens, cui voluntas resistat, quoniam si concupiscentiæ sancta delectatio prævaleat, voluntas *necessitate* obtemperat gratiæ: si autem prævaleat concupiscentia, caret voluntas ea gratia, cui valeat obtemperare. Quum vero præponderante sancta delectatione bonum *ex necessitate* operemur, & premente robustiori cupiditate, in ipso Jansenii systemate, operemur *ex necessitate* malum; nequit in hoc statu, in quo caro concupiscit adversus spiritum, admitti *libertas indifferentiæ*, seu potestas agendi & non agendi, his omnibus positis, quæ requiruntur ad opus: ideoque hæc libertas minime necessaria est ad merendum, vel demerendum: ac videtur esse commentum Semipelagianorum, qui rejecta delectatione victrici, auxilium indifferens ad omnia bona opera, etiam ad fidei initia admittebant. Quibus demum denegatur victrix & invincibilis gratia, bene agere, ac perseverare non possunt, neque eorum salutem vult Deus, qui illis hanc gratiam denegat: quam ut obtinerent Christus mortuus pro solis electis nec oravit, nec sanguinem fudit, nec pretium obtulit redemptionis. Hanc esse Jansenianam hæresim constat ex primo capite.

Contra in libris *Theologicarum Disciplinarum* asseritur superiori delectatione non injici libero arbitrio vinculum *necessitatis*: sub delectatione victrici consistere *potestatem ad oppositum*: dari sub parva delectatione

tione *veram recte agendi potentiam*, & ſub delectatione victrici *veram poteſtatem reluctandi*. Affirmatur juſtos nunquam deſeri a Deo, niſi prius ipſi Deum deſerant; habere *gratiam ſufficientem*, dum volunt ſervare præcepta, & qualicunque *premente cupiditate*, ac tentatione pulſante, poſſe in bono perſeverare. Propugnatur *ſufficiens* gratia, cui voluntas reſiſtit. Defenditur neceſſaria ad merendum, vel demerendum *libertas indifferentiæ*; denegatur hanc eſſe commentum Semipelagianorum: vindicatur a Novatorum argutationibus, atque inter Catholicæ fidei dogmata recenſetur. Totius demum humani generis redemptionem, quæ ad omnes omnino homines extenditur, non uno, aut altero tantum loco, ſed in permultis, atque in repetitis de hoc argumento lucubrationibus pro modulo noſtro defendimus, tradidimus, propugnavimus. Id vero in hoc ſecundo capite quiſquis oculos non habet lippientes, vidit, atque pervidit.

In libris ergo *Theologicarum Diſciplinarum* nec traditur ſyſtema duarum delectationum *invincibilium*, ut fabricatum eſt a Janſenio, neque quinque hujus propoſitiones probantur: ſed ſyſtema illud ſubvertitur, & quinque propoſitiones rejiciuntur omnimode, & oppugnantur; quod erat demonſtrandum.

§. VI.

Scrupuli criminatoris evelluntur, atque eradicantur.

Janſ. Red. pag. 183. ſive p. 2. art. 6.

POſteaquam Anonymus me rurſus initio articuli 6. appellavit *novitatum ſtudioſum defenſorem*, & utentem *variis flexibus* ad Janſenianum errorem aliquatenus emolliendum, ait ſe daturum operam, *ut omnibus manifeſtum fiat* doceri a me *famoſum Janſenii principium de duabus delectationibus indeliberatis pro graduum ſuperioritate invincibilibus*. Quod ita evincere nititur: *Primo in conflictu duarum delectationum, quas admittit* F. Berti, *anceps & pendula debet eſſe voluntas, donec a robuſtiore in unam partem deprimatur*. „ Cum trahitur (*inquit*) animus delectatione ſancta & noxia, nunquam ſe inclinabit in unam potius, quam in alteram, ſed pendebit anceps, donec una ſit altera robuſtior, eamque deprimat. „ *Tom. 3. lib. 14. cap. 11. pag. 203. Atque ita conſequenter agnoſcit delectationem, quæ fortior eſt, ſemper debiliorem oppoſitam ſuperare*. „ Nullus enim, *pergit ibidem*, niſi a fortiori vincitur & ſuperatur. „ Hoc eſt primum adverſarii argumentum.

Proprium eſſe eorum, qui aut ignorantia, aut invidentia excæcantur, veritati objicere novitatem, etiam illi commonſtrant, qui docente Domino Marc. 1. 27. ajebant: *Quidnam eſt hoc? Quænam doctrina hæc nova?* In conflictu duarum delectationum pendere ancipitem voluntatem, niſi una alteram ſuperet, neque conſequi opus, niſi delectatio victrix accedat, docuerunt viri doctiſſimi prælaudati cap. 1. §. 2. Macedus nempe ſcribens, *Auguſtinum delectationes carnis opponere delectationibus ſpiritus, in ea pugna concupiſcentiam cum gratia committere, & fortiori victoriam aſſignare*: Manſius ore omnium Auguſtinenſium affirmans, *non poſſe voluntatem plene imperare actus ſubſequentes, ſed inter duos amores fluctuare, niſi amor honeſti ſuperet contrarium amorem*: Gonzales, aliique Thomiſtæ a Graveſonio laudati docentes gratiam nunquam fore efficacem, nec voluntatem recte operaturam, *niſi gratia majores efficaciæ gradus habeat, & ſuperet gradus obſtinationis*: Antoninus Maſſoulié demonſtrans itidem nunquam gratiam fore effectricem, *ſi reſiſtentiam voluntatis omnino non vincat*: Auctor Operis inſcripti, *Le diſciple pacifique*, plurimum commendans ſententiam docentem, *que la même grace qui ſurmonteroit trois ou quatre degrez d' obſtination, parce qu' elle ſeroit dans un degré très propre pour le ſurmonter, pourroit n' avoir pas la même convenance, ni par conſequent le même effet & le même ſuccés, ſi elle trouvoit ſix degrez d' oppoſition, d' obſtacle, & de reſiſtance*: S. Thomas docens voluntatem non moveri a congruo, & convenienti bono, *niſi ſua vi ſuperet vim, & effrænis concupiſcentiæ impetum*: Auguſtinus demum ſæpenumero affirmans gratia inſpirari *certam ſcientiam, & victricem delectationem*, fieri, *ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntas ſpiritus vincat*, atque *ut plus delectet, quod Deus præcipit, quam delectat quod impedit*. Ergo quod inter delectationes ſit pugna, & quod fortior alteram ſuperet, nec Janſeniana doctrina eſt, nec nova, nec quæ commovere debeat theologum vel mediocriter eruditum. Janſenii error, & hæreſis delectationi, quæ alteram vincit, alligat *neceſſitatem antecedentem & phyſicam*: quam a nobis rejici rurſus oſtenderem, niſi ex præcedenti §. 1. & 4. atque ex tota hac diſſertatione manifeſtiſſimum foret. Vide ergo quam facile Anonymi diluatur objectatio: *Agnoſcit F. Berti delectationem, quæ fortior eſt, ſemper debiliorem oppoſitam ſuperare*, voluntati neceſſitatem inferendo, aut auferendo liberam ad oppoſitum poteſtatem, nego: neque inferendo neceſſitatem ineluctabilem, neque auferendo liberam agendi & non agendi potentiam, concedo. Si adverſus propugnatores gratiæ per ſe efficacis objicias: *Hæc gratia conjuncta eſt cum actu, ſuperat contrariam concupiſcentiam, atque a nullo duro corde reſpuitur; ergo eſt invincibilis;* reſpondebunt Thomiſtæ falſiſſimam eſſe conſequentiam, quoniam cum hæc gratia effectrix ſubminiſtretur, ut voluntas agat, & agat *cum libertate indifferentiæ*, non aufert antecedentem reluctandi potentiam. Idem nos reſpondemus: quo autem jure §. 3. primi capitis, aliiſque in locis ampliſſima explicatione declaravimus.

Janſ. Rediv. pag. 184

II. Ne credas, melioris notæ eſſe alia adverſarii ſophiſmata. Opponit ſecundo loco: *Docet delectationum vim ac robur ex graduum ſuperioritate oriri, ita ut una ſit altera eo fortior, quo pluribus gradibus eam ſuperat; nec ipſi placet, quod nolint Thomiſtæ in gratiis gradualitatem agnoſcere. Deinde totam gratiæ efficaciam in graduum numero repoſuit cum Janſenio, ita ut efficax aut inefficax ſit eadem gratia, prout concupiſcentia, quæ adverſus eam pugnat, pluribus, aut paucioribus conſtat gradibus tom. 3. pag. 149. in æquali tamen gratiæ, & concupiſcentiæ gradu, gratiæ concupiſcentiam prævalere contendit, propter eam quam ſubjicit rationem, ib. pag. 203. quia, inquit*, homo etiam cum æquali virtute majorem habet ad malum, quam ad bonum inclinationem. *In hoc ſane non contradicit Janſenio, neque ab illo recedit, in caſu enim aſſignato, cum major illa ad malum inclinatio concupiſcentiæ pondus augeat, mirum non eſt quod tunc gratia prævaleat concupiſcentiæ, cum ſit robuſtior.*

Fateor me hæc omnia docuiſſe, ſed miror Ariſtarchum noſtri temporis neſcire quod ſimilia docuerint viri doctiſſimi, & orthodoxi. Adeat rurſus §. 2. capitis primi, ac totum §. 8. ac intelliget non haſtas ſe jacere, quæ umbonem penetrent, ſed ſcandulas, quæ repelluntur uno, ut inquiunt, digitulo. Admitto gradus concupiſcentiæ, & gratiæ, quos rejiciunt Thomiſtæ aliqui, non tamen omnes: at doceo tom. 3. pag. 317. *nullam delectationem injicere vinculum libertati*: doceo *impium, quacunque gratia præventum poſſe reluctari, & juſtum quacunque premente cupiditate poſſe perſeverare*: doceo *neceſſum non eſſe ut ſequamur quod magis delectat*: atque id innumeris aliis in locis demonſtravi, ut conſtat ex citato §. 8. atque ex primo hujus capitis. Syſtema Janſenianum in hoc fuiſſe reprobatum, quod ſuperiori delectationi tribuerit talem determinationem ac motum, *ut voluntas ei nullatenus poſſit ſuum denegare conſenſum*, fatetur ipſe Anonymus pag. 20. ac in toto fere articulo primo: nos vero art. 3. primi capitis id non aſſeruimus tantum, ſed inſuper invictiſſime demonſtravimus. Ab hac ergo labe purgatum ſyſtema duplicis delectationis relativæ perperam quatitur: atque ita quod in ore Janſenianorum blaſphemum eſt, in ore Auguſtinenſium eſt orthodoxum, haud ſecus ac ſyſtema gratiæ victricis, quod in ore Calvini eſt hæreticum, in ore Thomiſtarum eſt catholicum: nam quemadmodum Thomiſtæ propugnando gratiam efficacem negant neceſſitatem illam, quam gratiæ efficaci adnectit Calvinus; ita Auguſtinenſes propugnando ſyſtema victricis delectationis negant neceſſitatem, quam victrici delectationi adnectit Janſenius. Hinc vir ſapientiſſimus, æque doctrina ac dignitate conſpicuus, iſtud de prædicto, aliiſque Adverſarii objectis, innixis noſtro duplicis delectationis ſyſtemati, judicium protulit: „ Il principio degli errori circa la grazia ſi pone dal Cenſore nelle due dilettazioni relative, e indeliberate; quando non dee riporſi in queſte preciſamente, ma come neceſſitanti di neceſſità fiſica, e antecedente, ſenza laſciare la libertà d' indifferenza, ma la ſola *a coactione*, a ſeguir ciò, che più diletta. E tutto queſto compleſſo eſſer la fonte delle cinque propoſizioni dannate in Gianſenio, ſi raccoglie dalle ſteſſe propoſizioni; altrimenti la Chieſa avrebbe reciſi i rami, e laſciata intatta la radice del male, contra ogni regola di buon governo. E abbenchè il Tournely, ſeguito forſe dal Cenſore, coll' autorità di Gianſenio, e de' Gianſeniſti ſi sforzi di far vedere inſegnar queſti la dilettazione vincitrice relativamente a' gradi, e da queſta naſcere i loro errori circa la Grazia; ciò non oſtante non tutto ciò, che ſcrivono Gianſenio, e i Gianſeniſti, ſono errori, ſiccome nè meno tutto ciò, che ſcrivono Calvino, e Lutero: e la fonte de' loro errori non dee prenderſi dall' uno, o dall' altro teſto, ma dal intiero conteſto della dottrina, e nel particolare di Gianſenio da quelle parole nel lib. 2. *De Gratia* cap. 1. *Tam impoſſibile eſt voluntati, ut bene velit, & operetur, quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradiatur, vel avi ut volet ſine alis*. Il che, come vede qualſiſia, importa una neceſſità fiſica e antecedente,

cedente, che leva la libertà d' indifferenza all' oppoſto. Quindi inſegnando puramente i PP. Bellelli, e Berti il ſiſtema delle due dilettazioni indeliberate, e relative, ma negando apertamente queſta fiſica, e antecedente neceſſità di ſeguire ciò, che più diletta, e ſotto la maggior dilettazione difendendo la libertà d' indifferenza; chiaramente ne ſegue, non ſeguir loro il funeſto, ed erroneo principio in materia della Grazia da Gianſenio inſegnato, e difeſo. „ Idem alii viri clariſſimi tradiderunt, non Itali tantum, ſed Galli etiam, qui oculis non lividis ſcripta noſtra legerunt. Ex dictis hominem ad ſtatuendas calumnias cernulum, ſcriptaque noſtra expilantem, ſuiſmet ſpiculis compungimus: Janſenius ita inſtituit duarum delectationum conflictum, ut voluntas nullatenus poſſit robuſtiori, & quæ gradibus aliam ſuperat, obluctari. Non ſumus ergo Janſeniani, dum negamus in illa delectationum conflictatione non poſſe voluntatem reſiſtere ſuperiori ac victrici.

III. Præterea opponit Anonymus, *quod doceam cum Janſenio indeliberatas eſſe gratiæ & cupiditatis delectationes. Quoad cupiditatis motus, hos rationis uſum antevertere nimium gravi experientia omnibus compertum eſt. Quoad vero gratiæ delectationem, docet* (de me loquitur) *ſpeciatim eam eſſe indeliberatam, tum quia Deus illam excitat in corde hominum, tum quia delectatio illa voluntatis humanæ prævenit motum.* Quædam hic ex meis libris exſcribit, præſertim quod legitur tom. 3. pag. 151. *Hæc itaque delectatio & caritas prævenit motum voluntatis, & eſt deliberati duntaxat, cum voluntas huic præmoventi dilectioni libere obtemperat, & proſequitur opus, ad quod trahit faciendo ut delectet, quod antea non delectabat.* Deinde, quoniam dixi nonnullos Theologos docuiſſe hujuſmodi delectationem eodem momento, quo gratia movet voluntatem, eſſe deliberatam, ſed poſſe hanc ſententiam cum noſtra conciliari, ſi dicamus gratiam, *quatenus eſt ipſa miſericordia movens & caritatem inſpirans, nullatenus cum noſtra deliberatione conjunctam eſſe*, ſi autem conſideretur ex parte noſtri, *eſſe dilectionem ipſam, ſimul a Dei inſpiratione, & a voluntate noſtra promanantem*; ferveſcens fellis evaporatione ait, *ea omnia* a me proferri *ad fraudem, & fucum faciendum*: Theologos, qui victricem delectationem admittunt, addere *delectationem illam totam eſſe deliberatam*: a me doceri *conceptis terminis indeliberatam* eſſe: abſque ullo *animi candore cum ſupradictis Theologis ſocietatem inire*. Quid plura? me Janſeniano ſyſtemati adhærere, & hæc ſatis eſſe perſpicua.

Janſ. Rediv. pag. 185.

Nolo formicas, mureſque imitari repetendo mordentem, quod lib. 2. *de Iracundia* Seneca eſſe ait *puſilli & miſeri hominis*. Rejecta ſunt hæc omnia cap. 1. §. 7. ſatis ſuperque. Siſte paullulum, vir egregie, & quod ſacra monent Proverbia, & lex præcipit Evangelica, *Locum da iræ;* ac reminiſcere illius moniti, nec damnatis propinanda eſſe venena, niſi melle circumlita. Nunquam audiſti Thomiſtas docentes, liberum arbitrium ad receptionem gratiæ efficacis *paſſive* ſe habere, *libere* autem, dum aſſentitur, & gratiæ cooperatur? Nunquam Vaſqueſium aſſerentem motum voluntatis a gratia excitatum *indeliberatum* eſſe, ut prævenit conſenſum noſtrum, *deliberatum* vero, dum voluntas eidem motui obtemperans aſſenſum præbet? Nunquam Bellarminum ſcribentem, Gratiam ut inſpirat bonam voluntatem eſſe excitantem, nec nos ad illam *libere concurrere*, dum vero nobiſcum cooperatur, conjunctam eſſe *cum perfecta, & deliberata electione*? Nunquam Auguſtinum ajentem, Deum operari *ſine nobis* ut velimus, nobiſcum vero cooperari *cum volumus, & ſic volumus ut faciamus*? At hæc nos, quibus fucum, fraudemque objectas, ſcripſimus eadem pagina 151. a te præcitata. Ne ergo flammam in pilis leporinis ſcirpiſque excites. Inſpiratio ſanctæ dilectionis eſt gratia: quatenus eſt a Deo operante ſine nobis, eſt *indeliberata;* quatenus nobiſcum cooperatur, *deliberationi* noſtræ conjuncta eſt. Hæc eodem capite 8. lib. 14., unde perpauca exſcripſiſti, ſemel, iterum, ac tertio tradidi. Pagina enim 140. ſcripſi: *Gratia alia eſt* prævenies, ſubſequens *alia. Prima eſt, qua Deus in nobis operatur priorem motum ſanctæ cogitationis, ac dilectionis. Secunda eſt illa, quæ priorem illum motum ſubſequitur, ut homo opus ſalutare perficiat.* Huic gratiæ *nos libere aſſentiri* demonſtramus ex Tridentino Concilio ſeſſ. 6. cap. 5. Pag. 151. verba, quæ mutilata affers, ſunt hujuſmodi: *Si gratia accipiatur ex parte Dei, quatenus eſt ipſa miſericordia movens, & caritatem inſpirans, nullatenus cum noſtra deliberatione conjuncta eſt, & hoc ſenſu ait Auguſtinus*, Ut velimus ſine nobis operatur. *Si conſideretur ex parte noſtri, eſt ipſa dilectio ſimul a Dei inſpiratione, & a voluntate noſtra promanans, a voluntate tamen, ut a Deo intime præſente præmota; atque ideo ſequitur Auguſtinus*, Cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.

Quare, ut ſupra dictum eſt, Gratia, quæ prævenit caritatem, eſt caritas Dei, ſive ipſe Deus nobis ſpiritum ſuæ dilectionis inſpirans; & gratia præveniens opera libertatis eſt ipſa bona voluntas, & caritas nobis inſpirata. Prima, ſcilicet gratia præveniens, & ſine nobis a Deo inſpirata, *omnem noſtram deliberationem antevertit: altera*, ideſt, gratia adjuvans, qua Deus nobiſcum cooperatur, *cum ipſa* DELIBERATIONE *conjuncta eſt, comparate ad opera, quæ conſequuntur, libertatis & meriti*. Pagina item 156. *Nos dicimus indeliberatam quidem eſſe hanc delectationem, quatenus inſpiratur a Deo, & proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, niſi accedat liberi arbitrii deliberatus aſſenſus, firmiſſime tenemus; cum meritum haberi nequeat ſine indifferentia libertatis. At hæc delectatio victrix conjuncta eſt cum* DELIBERATIONE *comparate ad opera, quæ efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato*. Tria ergo evidentiſſime conſtant. Primum, a nobis dici delectationem *indeliberatam*, ut eſt gratia præveniens, & inſpiratur a Deo; ſed *deliberatam*, ut eſt a voluntate cooperante gratiæ adjuvanti; ideoque Anonymum eſſe aut ſtupidum, aut mendacem. Alterum, neminem Theologorum aſſerere *totam delectationem eſſe deliberatam*, quatenus inſpiratur a Deo; quum bona voluntas inſpiretur a Deo *ſine nobis* libere operantibus, ut Auguſtinus docet adverſus Pelagianos; ideoque adverſarium, quem nunquam exiſtimarem Pelagianum eſſe, vix Theologicum compendiolum, quale traditur in Clericorum Seminariis, lectitaſſe. Tertium, non eſſe perſpicuum, quod nos adhæreamus Janſeniano ſyſtemati; ſed perſpicuum eſſe, quod *Janſeniſmi Redivivi* auctor ſit, ut Æſchinem appellabat Demoſthenes, Tragicus quidam Theocrines.

IV. Pergit vir illuſtris: *Denique F. Berti docet cum Janſenio hanc delectationem, tum gratiæ, tum cupiditatis, eſſe pro graduum ſuperioritate invincibilem. Aſſerit enim ex gratia efficaci effectum ſequi infallibiliter: addit præterea nos neceſſario amplecti quod magis delectat; atque per iſtam gratiam, quæ non tantum dat poſſe, ſed etiam velle, ſubventum eſſe voluntati humanæ, ut indeclinabiliter operemur.* Profert deinde verba mea, quæ habentur tom. 3. pag. 156. & 201.

Janſ. Rediv. pag. 187.

Obſecro, obteſtorque lectorem, ut pauliſper attendat quo animo præditus ſit accuſator, qui nobis fraudem, fucum ac dolum infinita garrulitate objectat. Principio bullatum mendacium eſt, delectationem victricem a me appellari *invincibilem*. Evidens quippe eſt ex præcedenti §. 1. ſententia mea ex gratia efficaci *non induci neceſſitatem*: evidens eſt ex eadem gratia effectum *conſequi libere*: evidens eſt ſub ea gratia conſiſtere *libertatem indifferentiæ*: evidens eſt neceſſum non eſſe, ut *ſequamur quod magis delectat*. Unde ergo in mentem calumniatoris hæc prodigioſa mendacia venerunt? At inquis: Laudat Anonymus loca. Quænam vero? Tomo 3. de Theolog. diſciplinis pagina 156. legitur: *Sequitur ex hac victrici delectatione infabillibiter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat.* Et alibi, ideſt, pag. 201. *Auguſtinus docet nos neceſſario ſequi quod magis delectat.* Et poſt pauca: *Hujus gratiæ proprium eſt tribuere non tantum poſſe, ſed etiam velle, atque ſubvenire infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter operetur.* Jam omnibus mediocriter in re Theologica verſatis compertum eſt, omnes Gratiæ per ſe efficacis propugnatores aſſerere effectum ex eadem gratia conſequi *indeclinabiliter & infallibiliter*, quoniam divina decreta fruſtrari nequeunt, immo illum neceſſarium eſſe neceſſitate ſequente, quæ libertatem non tollit. Paullulum vero in lectione Auguſtini exercitatis conſtat, eadem a S. Protoparente affirmari de auxilio *Quo*, in lib. de Corrept. & Gratia cap. XII. aliiſque in locis non ſemel a me productis, & in ea quoque diſſertatione, ex qua adverſarius hæc exſcripſit. Non debebat ergo vulgaribus hiſce, & protritis operam ſuam ludos facere, & Hyperi vertigine circumvolvi. Si autem id agere velit, ludat, & circumagatur, ut lubet: ſed verba ſaltem noſtra reddat, ut ſonant. Igitur tom. 3. pag. 156. ita ſcripſimus: *Sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat, ſed ſequitur* LIBERE, *quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali.* Subticuit vir probus ea verba, *ſed ſequitur libere*, &c. Ruſus pag. 201. ſcripſimus ad hunc modum: *Auguſtinus enim docet nos* neceſſario *ſequi quod magis delectat, ſumpta neceſſitate pro infallibili conſecutione actus, non pro negatione* poſſibilitatis *ad actum oppoſitum, quo ſenſu neceſſe eſt, ut ſedeamus quandiu efficaciter ſedere volumus, ſalva ſemper poteſtate non volendi quod volumus.* Omiſit homo verax quæ conſequuntur ad verbum *delectat*. Quid ergo hujus ingenii viro reponam? Profecto nil aliud, quam pervulgatum illud: *Redde verba mea, & evaneſcet calumnia tua.*

V. Rursus conviciator dirigit contento nervo sagittas. Ait me a se non redargui quod contendam *gratiam efficacem suum habere effectum infallibiliter*, cum id Catholici quoque doceant; *sed quod in meo systemate necessitas illa, cui homo subjacet sub imperio cœlestis ac terrenæ delectationis, est antecedens & absoluta: oritur enim ex graduum superioritate; unde infallibilitas effectus necessario futuri talis est, ut veram dissentiendi tollat potentiam.* Explicat deinde sententiam Thomistarum, *qui reponunt efficaciam gratiæ in physica prædeterminatione*: sed in illo systemate voluntas humana a Deo præmota ad actum pium, operabitur illum infallibiliter, & necessario *necessitate consequentiæ; quoniam prædeterminatio illa includit futuritionem liberam actus, dum enim supponitur prædeterminatio, supponitur quoque futuritio libera actus; & ideo necessitas operandi, quam prædeterminatio physica importat, est dumtaxat necessitas consequentiæ, & hypothetica, necessitas improprie dicta, non autem necessitas antecedens, & absoluta.* Addit, modo sane diverso efficaciam gratiæ exponi a Molinistis & Congruistis: in quorum systemate perfecte conciliari liberum arbitrium cum gratia, satis per se patet, & ipsi Thomistæ non diffitentur. *Jans. Red. pag. 187.*

Humillime virum audiamus, cui tantum doctrinæ, ac temperantiæ specimen ostendit alto insidere animo Hieronymianam *in Epist. ad Titum* admonitionem: *Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus & humilis ad omnes, ex adverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrænatis convitiis, facie inter ruborem, & pallorem variata, clamore prostrepitat.* Itaque pronuntiare videtur me non esse Catholicum, non enim ait, *Hoc docent alii Catholici*; sed forte ut me ex horum numero extrudat, inquit, *Non redarguitur F. Berti ex eo quod contendat gratiam efficacem suum habere effectum infallibiliter; hoc quoque docent Catholici.* At ego quidem, si me adversarius dixerit hominem scelestissimum, haud ægre feram: si omnium peripsema existimabit, patiar: si percusserit dexteram, præbebo sinistram: si probri incusaverit, memor ero Dominici præcepti, *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*; si vero audeat me Acatholicum dicere, certior sit minime a me toleratum iri tam effrænem conviciorum intemperantiam. Neque enim aut Gregorius Neocæsariensis Sabellianismi calumniam, aut Dionysius Alexandrinus Arianismi, aut magnus Basilius hæreseos Tritheitarum, aut Nyssenus Origenismi, aut Manichæismi Hieronymus & Augustinus, aut hæresis Photinianæ Fulgentius, aut Aetianæ Petrus Damiani, aut id genus aliam viri sanctissimi, atque præclara mansuetudinis exempla putarunt esse ferendam. Jam vero intolerandæ criminationis causam expendamus. Hæc una est, quod in meo systemate adstruatur *necessitas antecedens & absoluta, & quæ tollat veram dissentiendi potentiam.* Verum hoc splendidissimum esse mendacium demonstratum est cap. 1. §. 3. num. 8. §. 6. num. 7. §. 8. numer. 3. §. 9. num. 6. §. 11. num. item 6. §. 12. num. 3. in hoc secundo capite §. 4. per totum; hoc quoque §. 6. & præcedenti etiam numero. Unum addo. Experientia omnibus compertum esse, quod concupiscentiæ motus non tantum deliberationem voluntatis, sed rationis quoque usum antevertat, ajebat Anonymus ipse paullo supra num. 3. Quare ergo indeliberatus concupiscentiæ motus non infert *necessitatem antecedentem & absolutam?* Profecto non alia ratione, nisi quia dum ei voluntas obsequitur, agit deliberate, & cum libertate indifferentiæ; nec imputatur in culpam quod ille motus exsurgat, sed quod ei voluntas libere consentiat. Atqui demonstratum est, etiam præcedenti num. 3. indeliberatam inspirationem dilectionis fieri utique in nobis *sine nobis*, sed accedere illi deliberationem voluntatis prodeuntem ex ejus liberrima potestate, nec mereri homines dum illis sancta delectatio, ac pius voluntatis motus, seu præveniens gratia inspiratur, sed quando huic inspirationi libere assentiuntur. Igitur in nostro systemate non traditur *voluntas antecedens & absoluta*, nec talis, quæ tollat *veram dissentiendi potentiam*. Quod vero nobis Anonymus explicet Thomistarum, ac Mediſtarum systemata, gratias ei rependimus: at non indigemus tali præceptore; nam & nos ea lib. 14. cap. 9. longe ampliori explicatione tradidimus. Quamquam & illud, si non falsum, saltem obscurum & ambiguum est, quod Anonymus ait, in sententia Thomistarum induci necessitatem duntaxat consequentiæ, *quia dum supponitur prædeterminatio, supponitur futuritio libera actus:* ideoque talem *necessitatem esse hypotheticam*; nam prædeterminatio non supponitur una cum *futuritione*: sed præsupponitur, cum *futuritionis* sit causa: neque illius necessitas est *hypothetica*, quasi sit e prædeterminatione conditionata, non *absoluta*. Igitur in sententia Thomistarum ea necessitas non est *antecedens*, sed *consequens*; quia *Dei prædeterminatio applicat voluntatem ad se libere determinandum*, ita ut duplex admitti debeat *determinatio*, una antecedens, & a solo Deo proveniens, *in ordine ad quam voluntas passive se habet*; & altera consequens, *quæ simul est a Deo, & a voluntate se determinante sub indifferenti judicio rationis, & sub motione ac determinatione primi liberi, ac primi determinantis, a quo participat totam suam libertatem & contingentiam.* Vide Gonetum disp. 4. art. 3. num. 32. In hoc revera situm esse systema Thomisticum norunt omnes. Cum itaque & nos doceamus inspirationem dilectionis fieri in nobis *sine nobis*, quod idem est, ac si dicas voluntatem se ad illam habere *passive*; atque ulterius affirmemus voluntatem ipsam ea inspiratione prædeterminari se determinare ad agendum *deliberatione sua, & cum indifferentia judicii*, ut sæpenumero demonstravimus; consequens est nullam aliam a nobis in actibus liberis adstrui *necessitatem*, præterquam *consequentiæ*, ad quam nempe prærequiritur liberrima voluntatis determinatio. *Gonet. tom. 1. pag. 447.*

VI. Constat ex dictis, quid ponderis habeant producta ab Anonymo num. 6. ubi præmittit duo esse Theologorum *systemata*, quorum unum *gratiam a se ipsa efficacem* admittit, alterum *eamdem gratiam repudiat*; ac deinde fatetur Augustinianos *ut plurimum* efficacitatem gratiæ repetere ex inspiratione victricis delectationis; sed ait me ab his recedere, *ut ad Jansenium accedam*; quoniam Augustiniani illi docent, *certitudinem effectus non oriri ex graduum superioritate, quæ, ut volunt Jansenianı, a voluntate nullatenus emanat, sed ex eo, quod delectatio illa sit in manu omnipotentis Dei instrumentum efficax, quo Deus voluntates humanas inclinat ad quoscumque actus pios infallibiliter futuros, libere tamen a creatura eliciendos:* quod & ego de Augustinensibus nostris affirmavi to. 3. pag. 151., a me autem, ait, totam gratiæ efficacitatem repeti *ex sola graduum superioritate*, inducta *necessitate antecedenti*, qua voluntas ad bonum adstringitur *sub imperio gratiæ, atque ad malum impellente concupiscentia.* *Jans. Red. pag. 190.* *Vide supra n. 3*

Hæc sane repetita cantilena est, non talis, in quam cadat proloquium illud, Δὶς, τὸ, τοῖς τὸ καλὸν, sed potius videatur pomum illud sylvestre, quod Plinius *unedonem* appellavit. Jam sæpe demonstratum est, non statui a nobis gratiam in tali delectatione, quæ inferat *antecedentem necessitatem*, ideoque frustra Anonymum ad instar Thraciæ hirundinis immurmurare. Ne tamen de sua battologia glorietur, addimus, præter duo illa systemata, tertium a viris doctissimis propugnari, ut vidimus cap. 1. §. 2. quamquam gratanter audiamus revocari & istud ad primum, in quo gratia *per seipsam* efficax propugnatur. Apparet insuper ex eodem §. 2. nos ab aliis Augustinensibus nullatenus dissentire, eorumque sensus ac verba usurpasse. Ad fastidium autem usque repetitum est, *delectationem victricem consistere una cum libertate indifferentiæ*, & cum *potestate ad oppositum*. Quod vero ad imponendum imperito lectori addit Anonymus, a me non repeti *efficaciam gratiæ* a voluntate Dei omnipotentis, sed cum Jansenianis *ex sola graduum superioritate*, inducta *necessitate antecedenti*, & secluſa *libera voluntatis electione*, quasi delectatio concupiscentiæ, vel gratiæ, ad instar machinæ cujusdam mechanicæ voluntatem humanam necessario in hunc, vel illum motum impelleret: tametsi refutatum est omnibus iis testimoniis, quibus libertatem indifferentiæ propugnavimus; rursus tamen apertissimi mendacii revincitur ex his, quæ leguntur libro 14. cap. 8. *Quod Deus illum adjuvet tantum, istum non tantum, non pendet a circumstantiis extrinsecis personæ, loci, vel temporis, neque a præscientia boni usus arbitrii: sed a secretæ æquitatis ratione, & potestatis divinæ excellentia: & cum Deus efficaciter vult, inspirat tam vividam delectationem, quæ facile vincat, salva semper indifferentia liberi arbitrii, contrarios motus pugnantis concupiscentiæ.* En *delectatio victrix* instrumentum *potestatis divinæ*: en gratiæ efficacitas repetita ex decreto & *voluntate Dei*: en sub victrice delectatione *indifferentia liberi arbitrii*: en nostra cum ceteris Augustinianis concordia: en in *Jansenismo Redivivo* Sisyphi molimina, & undique fluentia mendacia. *Tom. 3. p. 161.*

VII. Carpit deinde Anonymus num. 6. quod libro 18. cap. 8. prop. 3. scripserim *nos habere liberum arbitrium ad malum sine gratia*, eo quod ad hoc, vel illud privatum, noxium, ac prohibitum opus *voluntas non fit naturaliter determinata*, sed fruatur *indifferentia judicii*. Quod Jansenianum censet, quia *in systemate duarum delectationum invincibilium, quod admittit F. Berti*, voluntas etiam quoad exercitium, scilicet in hoc, vel illo particulari actu ducitur antecedenti necessitate. At ostendimus systema duarum quidem delectationum, at non *invincibilium* & necessitatem inferentium, a nobis defendi; quod ex hoc eodem loco aperte consequitur, quum etiam sine gratia agnoscamus in impiis *libertatem indifferentiæ*, quæ cum necessitate antecedenti componi nequit: atque ita adversarius hoc etiam loco revincitur, quem profert *Jans. Red. pag. 192.*

ex

ex præcit. propoſit. 3. cæditque propria vineta. Dicam tamen de hoc loco rurſus; nam apertis tibiis perſtrepit, clamantque convulſa marmora, & Frontonis platani.

VIII. Itaque ex quo ſcripſerim hominem, etiamſi deſtitutus ſit gratia, habere librum arbitrium, & *libertatem indifferentiæ* ad malum, amarulentus & habens acerbam bilem in nâribus exclamat: *Etſi Janſenius & F. Berti veram exercitii indifferentiam admitterent, quam tamen non admittunt, nunquid vel una ſpecificationis neceſſitas Chriſtianas aures offendit? Quis enim patienter audire poteſt hominem lapſum, abſente gratia gradibus ſuperiori, non alia gaudere libertate, præter eam, qua neceſſitatus ad peccandum poteſt unum præ alio eligere peccatum? Quis non ingemiſcat audiendo Juſtum, dum peccat mortaliter, neceſſario peccare? Quid ipſi proderit hoc vel illud malum poſſe eligere, ſi gratia gradibus ſuperiori deſtitutus damnationem æternam evadere non poſſit?* impletque iſtiuſmodi clamoribus integram paginam.

Janſ. Red. pag. 193.

Si non offendit, cur offenderis?

Ad hæc nequaquam commotus reſpondeo mollior infima auricula, ſatis ex hac tantum exclamatione apparere Anonymum ſcientia expertem eſſe, Theologiæ rudem, atque ſaltante ſatyro leviorem: nam imperitia ſe prodit in carpendo ſuperiorem doctrinam de libertate ad malum etiam ſine gratia, hebetudo in inferenda neceſſitate peccandi, levitas ad juſtos fabulationem torquendo: quod aperte demonſtro, data prius venia quod me rurſus Janſenio comitem adjunxerit, piper, quo abundat, oleribus miſcens omnibus. Itaque gratiam non eſſe ad peccandum neceſſariam, & abſque illa habere hominem *libertatem indifferentiæ*, principio ratio ipſa & communis ſenſus oſtendunt; propterea quod producta ex nihilo rationalis creatura ad malum ſemetipſa ſufficiat, nec ullius fulcro & adminiculo indigeat ut cadat, ac ſeſe dejiciat in præcipitium. Præterea compertum eſt Theologos plurimos ac præſtantiſſimos, quos eodem cap. 8. pag. 439. recenſuimus, denegare obduratorum pleriſque auxilium ſufficiens; omneſque conſentire, non eſſe fidei decretum, ſed opinionem ſcholaſticam, quod iſtiuſmodi auxilium ſingulis conferatur, & nihilominus nemo adeo inſipiens eſt, ut putet obduratos illos *neceſſario* ruere in peccata; nemo adeo impius, ut non exeeretur blaſphemiam hæreticorum illam peccandi neceſſitatem ſtatuminantium. Inſuper demonſtravi pag. 443. & 444. propoſitionem illam meam eſſe S. Thomæ 2. 2. q. 89. art. 4. Bellarmini lib. 5. de Grat. cap. 14. Eſtii 2. ſent. diſt. 7. Petavii lib. 1v. de Opif. ſex dierum cap. 9. num. 3. aliorumque, qui docent non viatores tantum, quibus gratia parata eſt, atque exhibita, verum etiam pervicaciſſimos dæmones, quibus nulla ſpes ſalutis affulget, habere liberam electionem mediorum, & peccare; ad quod, ut Petavii utar verbis, ſat eſt, *ſi in malis unum optari poſſit e pluribus*. Ulterius, ut ad hæc, quæ cit. pag. 443. demonſtrata fuerunt, nonnulla addam; Honoratus Tournely 2. p. de Grat. q. 8. art. 4. etſi eam amplectamur ſententiam, quæ docet obduratos & excæcatos non privari omni penitus auxilio, fatetur tamen alios contendere, *peccare abduratos, & peccata merito ipſis imputari, tametſi gratia priventur in pœnam præcedentium peccatorum. 1. Quia ipſorum culpa eſt, quod ea priventur gratia ſibi neceſſaria, eorumque impotentia conſequens eſt ac voluntaria, non antecedens, non neceſſaria. 2. Quia libere peccant; & poſſunt non peccare per ſimplicem actus ſuſpenſionem ſeu non poſitionem: quo ſenſu, inquiunt, S. Thomas q. 24. de Verit. art. 12. dit*, poſſe aliquem exiſtentem in peccato mortali vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ, poſſe etiam ex naturali virtute ſingula vitare: quamvis non omnia. Et ideo non ſequitur, *concludit Angelicus Doctor*, quod peccatum committendo non peccet. *Ergo cum quilibet induratus poſſit ſingula diſtributive peccata* naturali virtute vitare, *neceſſaria non eſt ipſi gratia, ut ſit inexcuſabilis, ac peccata merito ipſi imputentur. 3. Negant illi ad libertatem actus mali neceſſe eſſe, ut voluntas ſimul expedita ſit ad actum bonum oppoſitum; quia nempe, inquiunt, ſola libertas contradictionis qua poteſt homo agere, vel non agere, pertinet ad eſſentiam libertatis: ſiquidem poſſe malum operari non eſt perfectio in humana libertate, ſed potius vitium, ac defectus.* Hæc Tournely pag. 634. edit. Ven. & hæc duntaxat cit. prop. 3. auctoritate & ratione conatus ſum demonſtrare. Tandem Cardinales, & Epiſcopi Galliarum in *Explicationibus* ſæpe laudatis art. 3. inquiunt: „ Ce ſeroit une temerité de traiter d' erreur l' opinion de pluſieurs ſçavans Theologiens, qui enſeignent que la grace ſuffiſant n' eſt pas donnée aux aveuglez & les endurcis, & qui ne croyent pas qu' elle ſoit accordée à tous les infideles. Il ſeroit encore plus temeraire quelque ſentiment, que l' on ſoûtienne, de dire que les aveuglez, & les endurcis ne pechent pas, & que leurs pechez ne leur ſont pas imputez. „ En patefacta ignorantia Anonymi carpentis ſententiam noſtram traditam lib. 18. cap. 8. prop. 3. *Non eſt neceſſaria ad imputationem peccati præſens & actualis divinæ gratiæ inſpiratio*, inſertamque probationem petitam *ex libertate indifferentiæ*; ad quam ſufficit poſſe vitare ſingula peccata *diſtributive*, cum *ad eſſentiam libertatis pertineat ſola libertas contradictionis*. Et tamen Anonymus tanti facit figmentum illud ſuum, ut repetendum duxerit iiſdem omnino verbis pag. 255.

Tournely de Grat. pag. 634. edit. Venet.

Vide modo in ratiocinando hebetudinem, dum ex ea doctrina inferri putat hominem *neceſſario peccare, & non poſſe æternam evadere damnationem*. Audiſti jam Tournelium fatentem Catholicorum plures negare eſſe *neceſſitatem* peccandi, ſi peccata ſingula poſſint *vitari diſtributive*, & ſi adſit *ſola libertas contradictionis*, non contrarietatis. Cum itaque evidentiſſimum ſit, hæc duo a me in ea propoſitione 3. doceri, quare me non Catholicis iſtis, ſed Janſenianis iniquus accuſator accenſet? Inſuper eadem prop. 3. pag. 445. non tantum dico gratia deſtitutum habere libertatem indifferentiæ ad hoc, vel illud opus noxium, ac prohibitum, propter quod Anonymus adeo excandeſcit; ſed etiam addo communem Thomiſtarum, & Lovanienſium ſententiam, quæ docet ſufficere ut homo poſſit converti, *ſi poſſit ſufficientem gratiam habere atque obtinere*, quod nulli mortalium deeſt, quandiu vivit: eamque ſententiam a me propugnari conſtat ex teſtimoniis, verbiſque meis productis præced. §. 3. & cap. 1. §. 4. Cur itaque criminator de his ſilet, ut me ad Janſenianos, non ad Lovanienſes, ac ad Thomiſtas amandet? Ad hæc eo loci affirmo aliquibus deeſſe gratiam ob impedimentum, quod libere ponunt; idque in ea diſputatione pluries repeto, & confirmo pag. 454. apertiſſima SS. Auguſtini, Proſperi, ac Thomæ Aquinatis auctoritate. Eccur me non iſtorum, ſed Epiſcopi Iprenſis appellat diſcipulum. Cur fidei meæ perſpicua teſtimonia omittit? Cur ante funeſtam illam illationem ſuam in præmiſſis diſcutiendis aliquantulum non immoratur? At ſatis de hujus hominis in contexendis Theologicis ratiociniis conſiderata facilitate.

Cerne tandem ſaltationem, levitatemque exclamatoris. Evidens eſt in illa 3. propoſitione agi de homine impio gratia actuali, & habituali deſtituto: unde ergo Abydena illa irruptio, *Quis non ingemiſcat audiendo Juſtum, dum peccat mortaliter, neceſſario peccare?* Ad juſtos orationem convertit, qui & gratia habituali ornati ſunt, & actuali quoque ſuffulti. Redi paullulum ad §. 3. noſtraſque de juſtis aſſertiones lege, atque expende; ac miraberis hujus excurſus clamoriſque turbulentam illuvionem. Ceterum ſententia noſtra neque homines excæcatiſſimi atque flagitioſiſſimi peccant in iis, quæ vitare non poſſunt, uti conſtat ex eodem §. 3. num. 5. ideoque multo minus peccant *neceſſario* homines juſti, quos Deus non deſerit, niſi prius ab ipſis deſeratur. Habes ergo in illa una criminatoris Scholaſticarum opinionum craſſiſſimam ignorantiam, Theologicæ illationis fallacem texturam, atque ab impiis gratia carentibus ad juſtos auxiliis ſufficientibus adjutos ineptiſſimam excurſionem.

IX. Poſtremo articuli 6. conatu Anonymus contendit me ubicumque ſufficientis gratiæ memini, admittere gratias ſufficientes duntaxat nomine tenus, addita frequenti illa interjectione, *Quis neſciat Fratrem Berti in verbis ludere, ut ſolent Janſeniani?* Me in verbis ludere affirmat, quoniam in meo ſyſtemate, ut opinatur, *gratia ſufficiens nullam veram potentiam, nullum verum* poſſe *tribuit*. Gloriatur a ſe hoc demonſtrari invicto ſyllogiſmo. En ille. *In ſyſtemate Bertiniano gratia ſufficiens dicitur illa, quæ gradibus eſt inferior cupiditate: atqui in ſyſtemate Bertiniano gratia, quæ eſt inferior cupiditate, non poteſt vincere cupiditatem ſuperiorem oppoſitam: ergo in eodem ſyſtemate, cum gratia ſufficiens non poſſit vincere cupiditatem, evidenter veram potentiam, ſeu verum poſſe non tribuit.* Minorem probat, quoniam pluribus in locis affirmo gratiam, quæ gradibus eſt inferior cupiditate, nequaquam eſſe victricem; unde ita formidandus dialecticus: *Sequitur*, inquit F. Berti, *ex victrici delectatione infallibiliter effectus eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat; atqui juxta fratrem Berti animus æque amplectitur malum, ſi illud magis delectat, ac amplectitur bonum, quando delectatio ſancta gradibus ſuperior eſt: ergo ex delectatione noxia ſequitur quoque infallibiliter malum. Quod ſi ex victrici delectatione noxia infallibiliter ſequatur malum, illa delectatio noxia, ſeu cupiditas ſuo effectu fruſtrari nequit: ergo eſt invincibilis in malo, ſicut gratia gradibus ſuperior invincibilis eſt in bono: ergo gratia gradibus minor cupiditate illam vincere non poteſt: ergo gratia illa verum poſſe non tribuit: ergo F. Berti abuſive prorſus & illuſorie gratiam illam appellat ſufficientem.*

Janſ. Red. pag. 194.

Con-

Consequentias seminanti Reverentiæ suæ ita Frater respondet. Systema, quod leges etymologiæ ignorans appellas *Bertinianum*, esse systema Norisii, Macedi, Gonzales, Augustinensium omnium, & Antonini Massouliè ostendi cap. 1. §. 2. Si ergo *Bertinianum* appellas, quod ego illud instauraverim aut ediderim, te nimis inscium prodis: si autem quod illud illustraverim, & celebrius reddiderim, non contumelia, ut existimas, sed singulari honore me afficis. Interim cum Antonini Massouliè honestum nomen occurrerit; memoria repetas velim, quod ubi is ostendit illam esse *victricem gratiam, quæ motione efficaciori superat obstinationem voluntatis, eamque infringit*, si vero major sit voluntatis obstinatio & resistentia, voluntatem ad perfectam conversionem disponere, eam tamen nondum efficere, *quod sufficientis gratiæ propriissimum munus est*; consecutionem istam profert, tanquam satis apertam, atque perspicuam: *Ergo reipsa in eo posita est efficacia gratiæ, quod ita contemperata sit, ut obstinationem vincat: & ea ratione efficax & sufficiens distinguuntur, quod efficax major sit, sufficiens minor, quæ resistentiam voluntatis omnino non vincat, sed eam paululum concutiat, & ad perfectam conversionem disponat.* Hinc vero gratiam malitia voluntatis inferiorem esse vere *sufficientem* ita vir præclarus demonstrat: *Si hic explicandi modus obtineat, palam est eam sufficientem gratiam, quam Schola Divi Thomæ admittit, verissime & propriissime sufficientem esse: cum reipsa ipsi nihil desit, si vis ipsius agendi spectetur. Quod enim gratiæ divinæ motio v. g. ut quatuor, interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu ipsius motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat: est enim verissime sufficiens, immo & natura sua efficax, nec minorem suo in ordine vim habet agendi, quam habeat v. g. calor in ordine physico, quem nemo negaverit vim habere sufficientem comburendi, ita ut si admotum lignum ignis non comburat, id non oriatur ex eo quod ipsi igni desit vis agendi, sed quod lignum oppletum humiditate, & aqua impressioni, seu vi & efficaciæ ignis obsistat. Nam si prava voluntas minori obstinatione obfirmata esset, minusque intensus esset pravus ipsius habitus, quo veluti pondere a virtute colenda retrahitur, & ad vitium impellitur; ipsa eadem divinæ gratiæ motio ut quatuor voluntatem ad virtutem impelleret, atque hujus consensum obtineret: superaret enim vim pravi habitus, & malitiam voluntatis, eamque a sequendo vitio retraheret. Quod si ea gratiæ divinæ motio ut quatuor voluntatis consensum non obtineat, id non oritur ex defectu ipsius motionis gratiæ divinæ, sed ex prava dispositione voluntatis, quæ ob pravum habitum intensum v. g. ut quinque, ipsius actionis impressioni, & vi seu efficaciæ divinæ motionis non subjicitur.* Hæc cap. 1. §. 2. num. 6. & 10. num. 5. a me præmissa fuerunt; sed tardiora ac duriora ingenia materialibus exemplis indigent, & sæpe malleolis tundenda sunt. Itaque ad plexilem syllogismum, concessa majori, nego minorem. Ad probat. dist. majorem: Sequitur ex victrici delectatione infallibiliter effectus, cum deliberatione voluntatis & cum potestate ad oppositum, conc. absque tali deliberatione & potestate, nego: & dist. min. Atqui animus sequitur quod magis delectat, & sequitur libere, cum indifferentia judicii, & cum potestate ad oppositum, concedo: sine tali potestate, & indifferentia, nego minorem: & itidem dist. consequens, Ergo ex superiori delectatione noxia sequitur infallibiliter malum, cum libertate indifferentiæ & potestate ad oppositum, conc. absque hujusmodi potestate, ac libertate, nego consequentiam, hujusque extortas spuriasque filiolas. Jam futilis hæc argumentatio soluta fuit supra n. 4. ubi ulterius ostendimus vitilitigatorem textus nostros mutilos truncatosque produxisse: quod & fecit *invictum* illum syllogismum plectendo pag. 196. ut vafritiem adderet vafritici. Persistendo autem in responsione Antonini Massouliè addimus gratiam gradibus inferiorem esse sufficientissimam, quia si non producit effectum, id non oritur ex virtute gratiæ, sed ex majori ac libera voluntatis renitentia: gratiam vero superiorem gradibus esse efficacem, & effectum producere *infallibiliter* quidem, sed *libere & cum potestate ad oppositum*. Neque enim ex quo effectus sequatur *infallibiliter*, fas est inferre *necessitatem antecedentem*; nam ex gratia quoque efficaci accepta in communiori Thomistarum sensu effectus consequitur *infallibiliter*, sed tamen *libere*.

Maff. to. 2. pag. 205. 206. 211.

X. Reponit Anonymus magnum interesse discrimen *inter gratiam pure sufficientem Thomisticam, & gratiam parvam Jansenii*: quoniam ista *defectu virium* caret effectu, ad quem excitat voluntatem, quia est gradibus inferior, & cupiditatem vincere non potest: Gratia vero *sufficiens Thomistica veram tribuit potentiam*, ideoque privatur effectu, quia voluntas consentire renuit, non quia ipsi gratiæ desint vires. Resistentia quæ fit gratiæ Thomisticæ sufficienti *oritur ex libera voluntate:* resistentia autem, quæ fit *gratiæ Bertinianæ, oritur ex cupiditate prædominante*. Respectu gratiæ *sufficientis Thomisticæ infallibilitas est consequens & hypothetica;* & respectu *gratiæ Bertinianæ* est *antecedens, & absoluta*. Atque id a se iterum demonstratum irl promittit, dum perpendet ea, quæ a me proferuntur ut me *alienum fingam ab erronea doctrina, quæ in quinque Jansenianis propositionibus continetur*.

Jans. Red. pag. 196.

Satis ex dictis constat quid novi ferat hæc circumlocutio. *De parva gratia* Jansenii, & de nostro ab illa discrimine egi §. x. cap. 1. ad secundam propositionem: at ne loginquius vagemur, nuper diximus etiam Antoninum Massoliliè, cui assentiuntur quidam alii ex Thomistis, ex nostratibus vero omnes, illam gratiam appellare *sufficientem*, quæ minor est gradibus obstinationis. Id ergo ad Jansenianum systema non pertinet; atque inter Jansenianam & *Bertinianam* gratiam tantum intercedit discriminis, quantum inter laudatum Antoninum, & Anonymum, ideſt, inter probum doctissimumque Theologum, ac tumidum ineptissimumque nugigerulum. Hujusmodi autem gratia tribui *veram potestatem agendi* ostendimus hoc 2. capite §. 2. num. 2. & 3. per illam non produci effectum, quoniam ei resistimus *culpabili, & libera renitentia*, diximus §. 1. n. 3. & 4. necessitatem ortam ex gratia *efficaci* infallibiliter operante (nota conviciatorem adeo ineptire, ut *infallibilitatem* adscribat gratiæ *sufficienti*) esse duntaxat *consequentem*, evidens est ex §. 1. n. 4. atque ex §. 4. per totum, denique ex hoc §. 6. n. 4. & 5. Ut ergo Anonymus sexto articulo dignam apponeret coronidem, ventosque pasceret, addidit mendacia mendaciis, vel potius ineptias ineptiis. Interim num ego fingam, num ipse calumnietur, facile agnoscet, dummodo semetipsum

Castiget trutina, nec se quæsiverit extra.

§. VII.

Sequitur oppositionum Anonymi refutatio.

I. Ubi insimulator momentis jam dispunctis sibimet persuasit a nobis defendi duarum delectationum systema *ad sensum Jansenii*, in qua re plurimum illum decipi constat ex cap. 1. §. 2. & 8. atque ex hoc secundo capite §. 1. & ex §. proxime præcedenti; aggreditur art. 7. secundum criminationis caput, & inquit me oretenus, *ut Jansenistæ solent*, primam propositionem damnare, eo quod aliquibus justis denegando gratiam concupiscentiæ victricem, eis quoque denegem potentiam adimplendi præcepta. Ut id evincat, ait me *verbis in rei veritate fallacibus*, ubicunque gratiæ *sufficientis* memini, nullam fateri *veram agendi potentiam* in homine instructo ea gratia, eamque appellare sufficientem *ad catholicis illudendum*; quod ait hoc syllogismo demonstrari: *Gratia illa, quam F. Berti sufficientem vocat, confert solum potentiam agendi remotam: atqui potentia remota, qualis admittitur a F. Berti, non est vera potentia: ergo gratia sufficiens F. Berti non confert veram agendi potentiam.* Hic recitat verba mea, quibus Tom. 3. pag. 332. distinguo potentiam *in proximam, & remotam*, & scribo: *Potentia remota est in illo, qui habet voluntatem parvam; proxima in illo, qui habet magnam, & robustam.*

Jans. Red. pag. 198.

Jam ostendi cap. 1. §. 2. num. 9. hanc objectionem esse calumniam illatam Cardinali Norisio, hunc vero eam exsufflasse demonstrando in sententia doctissimorum Theologorum illam potentiam esse *proximam & completam, qua posita nihil ulterius requiritur adjutorii a Deo conferendi, ut ponatur actus:* quam doctrinam confirmavi eodem cap. 1. §. 4. num. 7. aliisque in locis. Ostendi etiam superiori §. 2. num. 3. a me cum Norisio illam dici *potentiam proximam atque expeditam*, cui nihil deest, *ut reapse prodeat in actum*, quod asserere debent quicunque ad ponendum actum exigunt *auxilium per se efficax*. Puto quod jam centies hæc sint a me repetita. Dist. itaque majorem: Gratia sufficiens in sensu Norisii (Norisium dico, ut pudore suffundatur Anonymus summum virum, Cardinalem amplissimum, Ecclesiæ lumen, nostro sub nomine vellicans) confert *solam potentiam remotam*, ideſt, non confert quidquid requiritur *ut voluntas reapse prodeat in actum*, concedo: ideſt non confert quidquid requiritur, *ut voluntas dicatur posse*, nego majorem. Hæc duo verba elidunt cuncta hominis contumeliosi sophismata. At quoniam in pag. 332. intorsit oculos turgidos & petulcos; cur non legit quæ eadem pagina scripta sunt: *Respondeo duplicem esse potestatem, unam ab actu separatam, aliam cum actu conjunctam: illa dat posse, ideſt, constituit potentiam in actu primo, ut possit exire in actum, ut est in homine virtus & facultas videndi, aut ambulandi: ista facit ut potentia exeat in actum, E. G. ut videat, ut ambulet?* Cur non legit quæ de potestate, *quæ conjungitur*

gitur cum actu, subjicio eadem pagina 332. *Hanc solam veram esse potestatem censuit Jansenius, qui scripsit esse extra potestatem arbitrii actum oppositum, quotiescunque prævalet carnalis delectatio, & sub ista nullam esse potestatem justitiæ, sed vinculum arbitrii, & necessitatem peccandi?* Cur non legit, quæ ipsamet pagina subsequuntur: *Itaque dicimus, in eo, qui habet voluntatem parvam & invalidam, esse potentiam proxime sufficientem ad orandum, & sufficientem remote ad observantiam præceptorum, quæ poterit proxime implere, dum per orationem obtinuerit magnam, & robustam voluntatem?* Cur non legit, quæ immediate sequuntur: *Nego cum voluntate illa parva & invalida observandi præcepta stare horum impossibilitatem, quoniam contraria voluntas carnalis, quantumvis prævalens, non obstringit arbitrium vinculo necessitatis, sed relinquit indifferentiam judicii, & potentiam ad oppositum?* Cur non legit verba statim consequentia: *Quæ Arnaldus profert ad probandum non esse potestatem bonorum operum sine gratia per se efficaci; si accipiantur de potentia conjuncta cum actu, sive de ipsamet operatione, vera sunt: si de potentia indifferente ad agendum, falsa penitus?* Hinc unusquisque colligat, num vere, an mendaciter, num æqua, an iniqua criminatione scripserit Anonymus a me tom. 3. pag. 332. admitti *solam gratiam sufficientem, quæ non confert veram potentiam:* unusquisque colligat, num utar *fallacibus verbis*, num *illudam Catholicis;* an potius adversarius illudat legentibus, & veritatem occultet infida, flexuosa, & inexpiabili fraude: ego enim sapientium judicio acquiescam, hominique infensissimo do veniam, parvipendens Christiana humilitate philosophicum illud: *Inimicitiam concitat ira, inconmodatio, calumnia.*

De Grat. & lib. arbit. cap. 16.

Arist. 2. Rhetor.

Insurgit Anonymus: *Theologus iste ait ibidem, hanc potentiam esse remotam, quotiescunque expedite, & immediate exerere actum non potest aliquo remorante impedimento;* ex quo loco ita argumentatur: *Illa potentia non est vera potentia, quæ actum exerere non potest propter aliquod impedimentum,* * *quod ipsa non ponit, & quod semel positum non potest tollere: atqui talis est illa potentia; nam cum concupiscentia gradibus superior sit, in systemate Fratris Berti, impedimentum illud, quo efficitur ne gratia parva actum possit exerere; & cum aliunde illa concupiscentia sit in nobis etiam reluctantibus, neque eam pro libito possumus exuere, manifeste sequitur potentiam quam confert gratia sufficiens Bertiniana non posse exerere actum remorante concupiscentiali impedimento, quod removere non possimus, ac proinde potentiam remotam, quam confert gratia sufficiens, non esse veram in sensu Fratris Berti ac proprie dictam potentiam.* Addit ob eamdem rationem non esse *veram potentiam* orandi superius a me commemoratam, *cum ligata sit per impedimentum concupiscentiæ fortius & ardentius delectantis, & ab orando removentis, cui in illo systemate voluntas nullatenus posset resistere;* ideoque justis *parvam* duntaxat habentibus *voluntatem*, præcepta Dei esse *impossibilia*, & ipsis deesse gratiam, *qua vere possibilia fiant*: quæ est hæresis ab Innocentio X. damnata in prima Jansenii propositione, *quam Frater Berti in scriptis suis renovare non erubuit.*

Jans. Red. pag. 200.

* *Nota verba ab Anonymo adjecta.*

Diximus illam in Augustiniana Schola appellari *potentiam proximam*, & *expeditam*, qua posita nullum aliud adjutorium a Deo conferendum supereset, ut voluntas prodeat in actum; idque demonstrari a Norisio in *Jansenianæ erroris calumnia sublata* cap. 1. ex Francisco Suarez lib. 4. de Grat. cap. 4. num. 6. & 18. num. 19. atque ex Basilio Poncio 1. p. Relect. de Grat. cap. 10. necnon ad *Germanitatem XIV.* ubi repetitis verbis S. P. Augustini de Grat. & lib. arbitrio cap. 17. *Qui vult ergo facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed parvam & invalidam,* * doctissimus Cardinalis concludit: *Ex his eliditur recentiorum sententia, qui potentiam proximam ad observandum præceptum semper adesse commentantur.* Qui plura desiderat, adeat ipsum Norisium loc. cit. & hanc differt. cap. 1. §. 2. & §. 4. Modo ad syllogismum Anonymi, nego minorem: nam in verbis illis meis, *Est autem potentia remota quotiescunque expedite & immediate exerere actum non potest*, non negatur potentia utcunque, *sed potentia proxima & expedita*, & quæ includit omne adjutorium necessarium ad ponendum actum; nec dico ea potentia *non posse* voluntatem *tollere impedimentum* robustioris concupiscentiæ, quod adversarius semel iterumque inserit prædictæ argumentationi; sed eadem pagina semel, rursus, tertio, & quarto oppositum trado. Jure itaque, nec una de causa de subjecta insimulatoris fide queri debeo: ac primum, quod verba mea enuntiata *de potentia proxima, expedita, & quæ immediate potest exerere actum*, interpretatur *de potentia quæ actum exerere non potest propter impedimentum, quod ipsa non ponit, & semel positum non potest tollere*: quæ omnia vocabula ab Anonymo conficta sunt. Deinde queror quod ait in mea sententia gratiam, quæ

Noris tom. 1. pag. 1466. & to. 3. pag. 1660. & seq.

* *Nota ea verba voluntatem parvam & invalidam, esse Augustini.*

Vide præcedentem resp.

inspirat *parvam voluntatem*, nulla ratione posse tollere impedimentum concupiscentiæ robustioris, cum eo loci scribam: *At nego cum voluntate illa parva & invalida observandi præcepta stare horum impossibilitatem; quoniam contraria voluntas carnalis, quantumvis prævaleat, non obstringit arbitrium vinculo necessitatis, sed relinquit indifferentiam judicii, & potentiam ad oppositum*: quare impedimentum, propter quod *potentia remota* non exit in actum, est libera resistentia voluntatis; ideoque subjicio paullo infra eodem cap. 3. *Potentia alia est expedita ab omni impedimento* impotentiæ, *alia est expedita ab omni impedimento* nolentiæ: *prima est cum gratia sufficiente, altera cum efficaci*, monens non semper me hisce vocabulis uti propter illorum barbariem. Queror insuper, quoniam cum auxilium sufficiens *in voluntate parva* tam diserte constituerint Macedus, Norisius, Massouliè, omnesque nostrates, id modo figmentum meum appelletur; & insuper quum ego voluntati illi parvæ tribuerim *potentiam proxime sufficientem ad orandum*, dummodo ille, cui voluntas hæc inspiratur, præsumens de proprii arbitrii viribus *non ponat obicem orationi faciendæ* (quæ itidem sunt verba Norisii in *Calumnia sublata* cap. 3. §. 2.) conviciator scripserit in mea sententia *parvam voluntatem nullatenus posse resistere impedimento concupiscentiæ ab orando removentis*. Rursus queror, quod hæc data opera, & castigate ab Orthodoxis summisque viris exscripta, immo expressa Augustini verbis nuper laudatis, inverecundiæ meæ commentum inverecundus homo ausus sit appellare, scribens de hæresi Janseniana, *Quam F. Berti in scriptis suis renovare non erubuit.* At quid pergo imposturis fucum abradere, atque detrahere omnia pigmenta? Magnus ille Norisius ad cit. *Germ.* 14. ita scribit nomine Annibalis Riccii: *Erunt fortasse qui me otiosum hominem putabunt, qui tam apertis mendaciis refellendis tempus insumam. Equidem veniam peto; nam hisce fallaciis aperiendis stylum admovi, quod scio plerosque Norisii librum evolvere negligentes, imposturas mendacis Paralleliste manu propinatas sorbuisse, eidem ex asse fidem præstantes; nec defuerunt viri alias non indocti, qui eidem occinerint*: Euge, Eugepe. *Videsis interim, quos dolos nectat. Paralleliste adverbium PROXIME malitiose substituit, cum plane intelligeret unica illa vocula suam illam Germanitatem extingui.*

Noris tomo 1. pag. 1466.

II. Persequar cetera majori brevitate, quum jam singula undique sint contrita. Anonymus n. 2. me redarguit quod lib. 14. cap. 8. pag. 149. a Thomistis discedens admittam in eadem gratia *gradualitatem*, ita ut quæ in aliquibus minus excæcatis, v. g. in Tyriis Sidoniisque foret *efficax*, in aliis majore cæcitate affectis *inefficax* sit; ac præsertim eum movet, quod gratiam *inefficacem* appellaverim delectationem *nondum idoneam ad superandam vetustate roboratam cupiditatem*; nam hæc gratia *nondum idonea* ad superandam cupiditatem non dat veram potentiam; *cum præceptum impleri nequeat nisi prius superata cupiditate*. Tertio ait, me eodem cap. 8. pag. 156. dum affirmo gratia sufficiente dari nobis *potestatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam*, continuo, eodemque contextu gratiam sufficientem negare addendo, *Sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax.* Quod enim ad ponendum actum sit necessaria gratia efficax asserunt etiam Thomistæ; *verumtamen simul confitentur illam potentiam, quam confert gratia sufficiens, esse proxime expeditam, hoc est ab omni impedimento liberam, & ita validam, ut possit actum exercere.* Quarto in me, quasi negassem alicubi, aut malitiose occultassem catholicam veritatem, vibrat gravi ferro hæc hastilia: *Si reipsa putasset mandata Dei esse justis secundum præsentes quas habent vires vere possibilia, id ingenue, id candide, id absque ullo verborum circuitu confessus esset; sed id confitendo suam ipse negasset sententiam. Hanc ergo mandatorum Dei possibilitatem de industria prætermittens, satis superque innuit se hanc possibilitatem non agnoscere.* Præterea ait, me scribentem tom. 3. pag. 334. a nobis agnosci *gratiam sufficientem ab operatione sejunctam*, vocibus duntaxat, non re, a Jansenio discriminari; quoniam de gratia illa *parva & invalida* affirmo *quod vincere non possit cupiditatem gradibus superiorem, ac consequenter insufficiens sit.* Addit me pariter quoad verba, non autem quoad doctrinam differre a Jansenio circa *libertatem indifferentiæ*: quod pollicetur se demonstraturum art. 9. Ac tandem concludit: *Indubitatum remanet Fratrem Berti docuisse impossibilia esse mandata Dei in sensu Jansenii illis omnibus, qui ea transgrediuntur, & non aliter quam in sensu ejusdem auctoris esse possibilia*, sententiam denique meam esse *totam Jansenianam.*

Jans. Red. pag. 201.

Ad argumentum priori loco positum respondeo, admittere *gradualitatem* gratiæ, & affirmare quod eadem gratia, quæ in uno est *efficax*, in altero sit

ineff-

inefficax, Norisium, Macedum, Albendam, Mansium, Massouliè, alioſque plurimos; de quibus §. 2. capitis primi: exemplum quoque Tyriorum, ac Sidoniorum traditum esse ab Augustino lib. *de Dono Persev. cap.* 14, parvam insuper voluntatem ita a nobis dici *nondum idoneam ad superandam robustiorem concupiscentiam*, quemadmodum ait S. P. *Qui vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed parvam & invalidam*, scilicet, quia habet potentiam, at *non proximam atque expeditam*. Etsi autem præceptum impleri nequeat nisi prius superata cupiditate, *potentia*, ut inquiunt Scholæ, *positionis*, impleri tamen potest *potentia possibilitatis*: alioqui qui non vincunt rebellem concupiscentiam, necessitate peccarent: quod blasphemum est atque hæreticum. Ad alterum dicimus, *potentiam proxime expeditam*, ut a nobis explicata est cap. 1. §. 2. & 4. esse illam, *quæ aliam gratiam non exigit ad ponendum actum*. Sed ne hæc vocabula a me primum adhibita censeantur, audi quam diserte loquatur Card. Norisius in *Calumnia sublata* cap. 2. *At homo etiam justificatus*, inquit, *cum sit viribus destitutus, debilis ac infirmus, non habet eam plenam ac proxime expeditam potestatem implendi mandata, unde eamdem cogitur orando a Deo petere. Hæc infirmitas oritur ex rebelli concupiscentia, ut patet ex Apostolo cap. 7. epist. ad Romanos, cujus verba egregie hanc in rem expendit Card. de Laurea Opusc. 3. de Grat. act. cap. 7. & 13.* Hos ergo viros Vaticana Purpura ob singularem doctrinam exornatos legat scriptorum nostrorum corrosor. Falsum est autem omnes Thomistas agnoscere *potentiam proximam & completam* absque gratia efficaci; ut demonstravi cap. 1. §. 2. num. 13. & §. 4. num. 9. Quidam etiam Thomistarum, ut eo loci animadverti, docent hæc vocabula, *potentiam completam*, ab iis, qui gratiam efficacem respuunt, sensu longe diverso usurpari de *gratia sufficiente*, ac usurpetur ab iisdem Thomistis: at ego iis vocibus usus sum ad commonstrandam auxilii efficacis necessitatem *ad ponendum actum*, ut perspicue demonstrant eadem verba ab Anonymo objecta, *Sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax*: quo utique sensu nullus Thomistarum dicturus est gratia non efficaci conferri *potentiam proximam atque completam*. Accedit non posse a nobis admitti confictum illud a recentioribus *æquilibrium*, in quo voluntas ab omni glutine *expedita* possit eodem libramento in bonum, & in malum æque inclinari, quod admitti videtur ea phrasi, quam frustra a nobis extorquere nititur adversarius, *potentia proxima, completa, expedita*. At illud, quod sequitur, arbitramur satis constare ex præcedenti §. 3. num sincere, num candide, num absque fuco damnaverim primam Jansenii propositionem: ac de tanta licentia verborum, quibus in nos Anonymus debacchatur, de tam aperto mendacio prorsus silemus, neque in memoriam criminatoris revocamus illud Apollonii apud Stobæum: *Constat quam inurbanum sit silere non posse; tum effutire palam cum turpitudine, quæ honestius obticuisses*. Ad postremum evincitur ex hactenus dictis, ac præsertim ex §. 2. & 6. de me illiberaliter, subdole, & mendaciter dici, *quod gratia parva vincere non possimus cupiditatem gradibus superiorem*; ideoque *indubitatum est*, conviciatorem nectere adinstar aranearum casses & filamenta.

Idoneum *non est idem ac* sufficiens; *sed hoc sonat, quod* Accommodum, Aptum, Conveniens, *inquit Donatus: immo iisdem omnino verbis utitur Aug. lib. 8. Conf. cap. 11. ubi de voluntate novæ colendi Deum ait*: Nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. *Noris tom. 1. col. 1071.*

§. VIII.

Ad ea, quæ adversum nos producit Anonymus, ut nitatur evincere quod a secunda Jansenii propositione non recesserimus.

Jans. Red. pag. 207. QUæ ex dictis habent planissimam solutionem, paucis attingam, ne rancidas strophas repetenti videamur panico timore perculsi, clamoribusque prælargo atque anhelante pulmone emissis perterrefacti: attingam tamen, ne camarine loquens credat suis offuciis lectorum oculos subliniri. Præmittit itaque ad secundam Jansenii thesim ejurandam, oportere ut resistatur gratiæ, *quæ conferat effectus producendi potentiam*: quod a me præcedenti capite §. 9. probatum est, ac inde demonstratum nostrum a Jansenio discrimen: atque istud etiam apparet ex locis repetitis hoc capite §. 2. in quibus gratiæ sufficienti, cui resistitur, attribuimus veram agendi potestatem, quamvis ab actu sejunctam. Monet 2. num. Jansenianos asserere *gratiam parvam* concurrere cum ardentiori concupiscentia, *quam superare non potest*; ideoque vires quas subministrat nullatenus esse idoneas, sed omnino *insufficientes* ad vincendam oppositam cupiditatem: atque hanc esse hæresim Jansenianam toto capite annulmus, magnopere mirantes nolle Anonymum pertinaciter audire, sententia nostra impium, justumque *sub qualibet premente cupiditate* habere a parva & minori gratia *veram recte agendi potentiam*, etsi non expeditam ad actum, ad quem debet applicari auxiliante gratia victrici. Atque hanc doctrinam adversari Jansenianæ manifestissimum est; quoniam in sententia nostra voluntas robustiori concupiscentiæ libere cedit, in sententia autem Jansenii necessitate succumbit.

Tom. 3. pag. 317.

II. Quod vero spectat ad *potentiam*, quam confert gratia sufficiens etiam comparate *ad præsentes circumstantias robustioris concupiscentiæ*; certo certius est admittendam esse sub qualibet gratia *veram* eidem gratiæ obtemperandi, & ardentiori concupiscentiæ resistendi *potestatem*: & recte Anonymus ait *sufficientem* gratiam non esse, quæ oppositam concupiscentiam *superare non potest*: quod & nos affirmavimus in locis plurimis §. 1. 2. & 3. productis. Negamus tantum debere esse illam potentiam ita *expeditam*, ut voluntas eadem ratione possit malum, ac bonum, atque ad istud non egeat victrici delectatione, quæ dat velle, & tantum velle, ut *voluntas spiritus vincat voluntatem carnis contraria concupiscentem*, quemadmodum loquitur Augustinus. Vide tom. 3. Theolog. disc. pag. 150. & 181. Id vero jure negamus, primum quoniam semel admissa *potentia illa expedita*, tolleretur auxilium per se efficax, ut satis constat; deinde quia admitteretur *æquilibrium*, de quo plura cap. 1. §. 7. insuper quia Jansseniani erroris damnaretur Norisius, cujus ubique verba usurpavimus, prout demonstratum est §. præcedenti, & fusius §. 2. & 4. cap. 1., præterea quia ex monumentis *Causæ Norisianæ* productis eodem §. 4. num. 10. necnon ex illius causæ exitu certiores sumus non esse in damnatione propositionum Jansenii definitum, quod gratia sufficiens, qua possunt impleri mandata, & qua potest resisti rebelli concupiscentiæ, conferre debeat *potentiam illam proximam & completam*; ac postremo quia etiam Thomistæ monent istiusmodi vocabula esse ambigua, & iis adversarios abuti ad impugnandam gratiam victricem, ut item vidimus eodem §. num. 9., constantissime autem docent per auxilium sufficiens *non dari tantum influxum, quantus requiritur, ut actio sit*, prout loquitur Lemos tom. 4. Panopl. 2. p. tract. 3. cap. 6. num. 50. Prosequamur itaque reliquas oppositiones Anonymi.

Jans. Red. pag. 208.

Lemos tom. 4. part. 2. pag. 55.

III. Recitatis verbis meis ex tom. 3. pag. 148. *Est ergo gratia sufficiens in sensu Thomistico ac nostro illa, quæ dat posse, non velle, aut si dat velle, istud adeo est invalidum, atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente flagrantissima & potentissima caritate*; recitatis, inquam, his verbis ait: *Theologus iste gratiam sufficientem definiendo illam, quæ dat posse, non velle, Thomistas, immo & Theologos omnes consentientes habet; sed dum adjicit gratiam hanc si dat velle, illud esse adeo invalidum & imperfectum, ut concupiscentiam non vincat, nisi superveniente potentissima & flagrantissima caritate, profecto satis aperte innuit, gratiam illam semper vinci a cupiditate fortiori, nisi superveniat caritas cupiditate potentior.* Deinde carpit quæ ibidem scribo: *Constat omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria sufficientem, ut alibi diximus, ideest, non efficere actus salutares propter obicem carnalis & robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare si velit: ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quæ a nullo duro corde respuitur, & hanc nos dicimus gratiam esse efficacem.* Hinc infert me non recedere a Jansenio: *nam licet illa gratia sit in se sufficiens, non potest tamen actus salutares efficere propter rationem, quam assignat F. Berti*, propter scilicet *obicem carnalis & robustioris delectationis*. Addit me quidem fateri *gratiam quantumvis minimam tribuere voluntati posse robustiorem illam delectationem superare, si velit*, attamen non ejurari a me Jansenismum, cum juxta me *non possit velle illam superare sine delectatione gratiæ gradibus superiore*.

Jans. Red. pag. 209.

Medita nunquam dicent, gratiam sufficientem non dare velle. Cur istos e Theologorum numero extrudis?

Haud vereor, quin ex hac una Anonymi oppositione quilibet Theologorum dignoscat, ab Auctore puras putas fabulas venditari, non lepore cordis, sed dolosis cuniculis nobiscum agi, eumque transversum ferri logicula sua, animique intemperie. Nota *fabellas*: Contendit a me negari sufficientem gratiam eo in loco, ubi affero *Gratiam sufficientem sensu Thomistico ac nostro esse illam, quæ dat posse non velle*; atque ubi repeto, *gratiam quantumvis minimam esse in se ad opera salutaria sufficientem*. Vide confutos implexosque dolos: Scribo *gratiam sufficientem non efficere actus salutares propter obicem carnalis & robustioris delectationis*; at ille inquit, me de gratia illa hæc afferere: *Non potest tamen actus salutares efficere propter rationem, quam assignat F. Berti*: ac rursus ego, *Ut autem velit requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix*; ille vero, *Cum non possit velle illam superare sine delectatione gradibus superiore*. Adverte *logiculam: Non vincit; ergo non potest vincere*: quarum argumentationum propo-

propoſito prior mea eſt, conſequens ſua. Mirare fragoſam, turbulentamque intemperiem: *A Janſenio non diſſidet, non recedit a Janſenio, Janſeniſmum non ejurat F. Berti*; hæc inter paucas lineas repetuntur, Blanda tamen pace reſpondeamus. Verba, quibus deſcribo gratiam efficacem, quod ſit, *quæ non tantum dat poſſe, ſed etiam velle*, facitque, ut homo *carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat*, ſunt Auguſtini de Corrept. & Grat. cap. 11. ut apparet ex eadem pag. 150. *Bonam illam voluntatem eſſe inſpirationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ caritatis*, ait idem S. Pater lib. de Grat. Chriſt. cap. 35. *Gratiam efficacem eſſe, quæ a nullo duro corde reſpuitur*, docet ipſemet Auguſtinus de Prædeſt. SS. cap. 8. Nullum ergo in his deprehenditur Janſeniani erroris veſtigium. Quod vero addo, *velle* inſpiratum a gratia ſufficiente eſſe *invalidum & imperfectum*, adeo *ut concupiſcentiam non vincat, niſi ſuperveniente flagrantiſſima ac potentiſſima caritate*, nequit ulla ratione reprehendi. Gratia enim, cui voluntas reſiſtit, inſpirari *voluntatem parvam, debilem ac invalidam*, docuit Macedus in *Scrinio* cap. 6. ſcribens adjutorium *ſine quo non* efficere in nobis *voluntates parvas & infirmas, non validas & robuſtas*: docuit Noriſius in *Calumnia ſublata* cap. 3. §. 1. demonſtrans eodem adjutorio in hoc ſtatu excitari in nobis *præcepti implendi deſiderium; qui tamen motus eſt invalidus, niſi adjutorio* Quo *roboretur*: docent Auguſtinenſes, aliique laudati cap. 1. §. 2. aſſerentes hominem gratia, quæ non ſit *efficax*, excitatum *velle, ſed languide, & imbecilliter*: docent Thomiſtæ, qui cum Antonino Maſſouliè ajunt *caſſam reddi motionem gratiæ, ſi vehementior ſit in voluntate cupiditas*: docuit Auguſtinus appellans lib. 8. Conf. cap. 11. novam converſionis voluntatem, *nondum idoneam ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam*, & lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 17. *voluntatem bonam, ſed parvam & invalidam*: docuit Apoſtolus ob repugnantem concupiſcentiam, legemque membrorum exclamans ad Rom. 7. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*: docet demum ratio; non enim voluntas hominis lapſi adjutorio *ſine quo*, & auxilio ſufficienti præmota, eſt æque robuſta & fortis, ac erat in Adam nondum pugnantem concupiſcentiam experto. Cur itaque ob hæc vocabula *voluntatis parvæ, invalidæ, nondum idoneæ*, dicor adhærere Janſenio? Cur præceps criminator ambitione quadam inflatur demonſtrandi ſe nunquam eximios Theologos, nunquam Auguſtinum, niſi forte dormitando pervolutaſſe? Inititur ergo tota ſcelerati criminis inſimulatio repetitæ cantioni, quod affirmemus gratiam ſufficientem *non poſſe efficere actus ſalutares*. At id nigerrimum ſomnium eſt, refutatum verbis meis aurora, & meridie ſplendidioribus, non tantum allatis ſupra §. 3. verum & iis, quæ opponuntur: quibus affirmo gratiam, *quantumvis minimam, tribuere voluntati poſſe ſuperare robuſtiorem delectationem ſi velit*. Neque poteſtatem hanc denego, propterea quod ſcribam, actu nolle *propter obicem ſuperioris delectationis*: enim vero ſuperior hæc delectatio, ut ſæpe diximus ac repetimus, non injicit voluntati vinculum neceſſitatis; non eſt quædam vis mechanica, a qua voluntas abſque libertate flectatur: ſed cum perſiſtat ſub ea delectatione liberum *a neceſſitate* arbitrium; reſiſtentia non eſt ſolius cupiditatis, ſed etiam, ac potiſſimum voluntatis liberæ. Atque id ſcribo tom. 3. pag. 155. affirmans gratia ſufficiente non perfici actus ſalutares, quia ei *ob reluctantem concupiſcentiam perſæpe liberum arbitrium reſiſtit*: pag. 176. *quia reſiſtit, ſuaque pervicacia repugnat*: pag. 317. *quia ſub parva delectatione habet veram poteſtatem agendi*: pag. 333. *quia voluntas carnalis, quantumvis prævaleat, non obſtringit arbitrium vinculo neceſſitatis, ſed relinquit indifferentiam judicii, & potentiam ad oppoſitum*. Hæc noſtra ſententia eſt, non quam pingit & expandit Anonymus; qui profecto jam deberet a turbulenta, vel inſidioſa inquietudine cohiberi.

Vid. cap. 1. §. 2. & Noris Cal. Subl. col. 1078. 1079. 1081.

IV. Piget præterea, pudetque me repetere ſatis decantata Anonymi convicia, quibus nos trabali quodam clavo putat cum Janſenio configere. Subdolum enim ac prodigioſum mendacium eſt, quod pag. 212. inquit juxta nos *delectationem*, quæ gradibus ſuperior cupiditate non ſit, *eam ſuperare non poſſe*: & quaſi hæc a nobis ſcripta forent, ſubjicit verbis grandibus, & cothurnatis: *Aliter non potuiſſet loqui Janſenius*. Conſtat enim a me oppoſitum ubique tradi, gratiam nempe minimam ſufficere ad ſuperandam quamlibet concupiſcentiam: ut conſtat ex num. præcedenti, ex §. 1. hujus capitis, necnon ex tom. 3. Th. Diſcip. pag. 148. 156. & ne ſingula repetam, pag. 159. ubi legitur: *Concedimus cum minima gratia actuali, poſſe hominem reſiſtere cuilibet cupiditati, at non potentia illa proxima & expedita, quæ neceſſitatem gratiæ prædeterminantis ad perficiendam operationem penitus tollat*. Dum itaque vult inſimulator idem eſſe *poſſe* ac *non poſſe*, atque operam ludens in fluctibus venatur aprum, & delphinum in ſylvis; *Turpia quid referam vanæ mendacia linguæ?* Porro ſi hæc nauci facienda, ſi repetitam eadem pag. 212. objectionem, quam ſupra deprompſerat ex verbis meis, imo Auguſtini, *Nondum idonea ad ſuperandam vetuſtate roboratam cupiditatem*, ſi alteram pag. 213. recoctam de voluntate *parva & invalida*, ſi illam quoque pag. 215. innixam iis teſtimoniis, quibus nego ſub gratia parva adeſſe *potentiam validam & expeditam*; quod, tamquam novum foret commentum, urget iterum pag. 218. 219. 220. ſi hæc rurſus exciperem, jure viderer plurimi facere Dodonæum oraculum, pelveſque comploſas ac tintinnabula.

Ovid. lib. 3. Triſt.

V. Præterire tamen non debeo, quod num. 5. ait magis *in me elucere malam fidem*, dum *inſiſtens veſtigiis eorum, qui Janſenium exterius erubeſcunt, licet illi ſint intus & corde addictiſſimi*, duobus in locis ſimulo me longe diſtare a Janſenio: primo tom. 3. pag. 155. ubi dico: *Hæc doctrina nihil habet affinitatis cum hæreſi Janſeniana: Primo enim fatemur qualemcunque gratiam in hoc ſtatu ſive parvam, ſive magnam eſſe gratiam Chriſti*: deinde, quia ibidem ſubjicio, *Defendimus dari gratiam efficacem, cui voluntas reſiſtit*. Primum autem diſcrimen, inquit, *nullum eſt, quia etiam Janſenius expreſſe docet in loco jam alibi laudato* (ideſt pag. 44.) *parvam gratiam in hoc ſtatu eſſe gratiam Chriſti*, ſcilicet reſpectu voluntatis *imperfectæ, ſeu velleitatis*; immo addit me ipſo *Iprenſem Epiſcopum eſſe ſinceriorem*, quoniam ille non appellat gratiam parvam *ſufficientem*; ego vero ita illam appello, etſi doceam *non poſſe vincere cupiditatem gradibus actu ſuperiorem*: ſed & Janſenius fatetur *multos in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt, & ideo duntaxat damnatus fuit, quod velit gratias, a quarum ſuaſione diſſentimus, non conferre potentiam operandi bonum illud, ad quod excitant voluntatem*. Hæc Anonymus.

Janſ. Rediv. pag. 213.

Vide patientiam meam, vide Anonymi gladiatoriam hoſtilitatem. Vocor *homo malæ fidei*, ac taceo: *Janſenio corde addictiſſimus*, ac tolero: *minus ſincerus Epiſcopo Iprenſi*, & ignoſco; atque licet *furor fiat læſa ſæpe patientia*, ut lib. 4. de Conſolat. Philoſoph. proſa 6. inquit Boethius; attamen nec furore, nec ira, nec perturbatione ulla commoveor. En patientiæ argumentum. Demonſtravi autem cap. 1. §. 5. n. 4. pluribus Janſenii teſtimoniis, *quidquid gratiæ ſufficientis* admittitur a Scholaſticis diſtinctum *ab efficaci*, juxta eumdem Janſenium pertinere duntaxat *ad legem & doctrinam*, nec excedere *limites gratiæ Pelagianæ*. Primum ergo diſcrimen inter Janſenianam, & Auguſtinianam ſententiam bene, ſapienterque ſtatutum eſt. Ex his etiam, quæ Anonymus ſcripſit pag. 44. ratio diſcriminis confirmatur; nam *gratia parva* in ſenſu Janſenii eſt vera gratia tantum comparate *ad velleitates*, quas excitat; at ſententia noſtra eſt gratia *ſufficiens reſpectu operationis liberæ, cujus veram poteſtatem largitur*, ut conſtat ex noſtris animadverſionibus ad eamdem paginam 44. & 45. *Janſ. Red.* ſupra cap. 1. §. 10. atque ex hoc cap. 2. §. 2. necnon ex hoc ipſo, ac præcedenti. Quare ita refellitur conviciatoris impoſtura ac mendacium. *Janſenius duntaxat damnatus fuit, quod velit gratias illas, a quarum ſuaſione diſſentimus, non conferre potentiam operandi bonum illud, ad quod excitant voluntatem*. Atqui nos *defendimus per gratiam inefficacem, cui voluntas reſiſtit, dari nobis poteſtatem, eamque veram & propriam implendi divina mandata*, ſive operandi bonum illud, ad quod excitant voluntatem. Ergo toto cælo diſtamus a ſententia, ob quam *Janſenius duntaxat damnatus fuit*. Prima propoſitio eſt Anonymi pag. 215. *Janſ. Red.* Secunda eſt noſtra tom. 3. pag. 155. ut ibidem fatetur Anonymus. En confracta gladiatoria criminatoris hoſtilitas. At inſurgit vir litigioſus: *Orthodoxa plane foret hæc ultima propoſitio, ſi nil adderet F. Berti quod eam inficiat; ſic autem proſequitur*: Sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax. *Si poteſtas illa, quæ nobis per gratiam ſufficientem datur, non eſt valida & expedita, quomodo dici poteſt vera & proprie dicta poteſtas? Janſenius ipſe libenter confitetur per gratiam parvam & inefficacem conferri potentiam majori cupiditate ligatam, potentiam invalidam. Non ergo a Janſenio differt F. Berti*. Ehu! quam truculenter circumgraſſatur cruentus enſis? At illum non multo conamine retundam. Etenim mea *illa propoſitio foret Orthodoxa, ſi nil adderem*: ita Anonymus. Sed quod addo, *potentiam*, quæ datur per gratiam ſufficientem, *non eſſe taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax*, pariter eſt orthodoxum; ut oſtendi num. 2. & præc. §. num. 1. Igitur nihil eſt in ea propoſitione, quod non ſit orthodoxum. Rurſus: Janſenius confitetur per gratiam parvam conferri potentiam invali-

validam, ſed majori cupiditate ligatam, ita ut cupiditati *neceſſitate* ſuccumbat, *nec revera poſſit operari bonum illud, ad quod excitat voluntatem*. Ita Anonymus. Atqui nos fatemur per gratiam inefficacem conferri poteſtatem implendi mandata, *eamque veram & propriam*; & quæ, licet non ſit *expedita*, & in æqua lance tam ad bonum, quam ad malum flexibilis, non tamen *invincibiliter* ſuccumbit, neque obſtringitur *vinculo neceſſitatis*, ut conſtat ex præced. num. 3. atque ex tota hac prolixa diſſertatione. Ergo ſententia noſtra omnino differt a ſententia Janſenii.

Janſ. Rediv. pag. 216.

VI. Quum ſcripſerim tom. 3. pag. 160. diſcrepare ſententiam noſtram a pravo dogmate Janſeniano, quoniam per nos *gratia ſufficiens, quæ imperfectum actum, aliquam ſcilicet mentis colluſtrationem, & pium voluntatis motum producit, etiamſi ad actum non trahat, ex ſe ad illum ordinatur, ad illum excitat, ad illum etiam, niſi reluctaretur perverſa voluntas, foret efficax*, ait inſimulator me uti *verborum circuitione*, nec aliud aſſerere, quam quod Jenſenius aſſerit, quoniam & is vult gratiam parvam ad actum excitare, & fore efficacem, niſi repugnaret perverſa voluntas fortiori cupiditate impedita; cumque in noſtro ſyſtemate *gratia ſemper operetur id quod operari poteſt*, concludit: *In hoc ergo conſentiunt Janſenius & F. Berti*.

Delator ſibi ubique ſimillimus, ut conſtitutum lege Papia præmium aſſequatur, eamque conſecutionem *Conſentiunt Janſenius, & F. Berti*, legitimam eſſe oſtendat, iterum aculeata calumnia, quam, ut ajebat Cicero in Verrem, *pati prudentes ac boni viri difficillime poſſunt*, mendaciſſime repetit in meo ſyſtemate *gratiam ſemper operari id quod operari poteſt*. At id eſſe hominis delirantis figmentum, conſtat ex cap. 1. §. 10. num. 2. atque ex hac ſecunda diſſertationis parte ſeu capite §. 2. num. 4. & 5. ex §. 7. num. 1. & 2. ex hoc ipſo num. 1. & 3. Quid, quod eadem pag. 160. ſcribo, & confirmo ex Alvarez auxilium ſufficiens, quod eſt efficax reſpectu pii deſiderii, actuſque imperfecti, eſſe vere ſufficiens *comparatione actus perfecti, quem poteſt producere, & ad quem ultimate ordinatur*? Quid, quod ibidem ſcribo *per gratiam ſufficientem, qua nobis pia illa affectio inſpiratur*, tribui nobis *veram operis poteſtatem*, & ſi hæc non prodit in actum, *non gratiæ defectum eſſe, ſed voluntatis humanæ*? Quid, quod in 2. Janſenianam pag. 340. eadem repetens aſſero gratiam, qua inſpiratur voluntas parva, *reſpectu hujus voluntatis eſſe efficacem, reſpectu converſionis, & adimpletionis præcepti ſufficientem*? Quid demum, quod eo loci pronuntio *potentiam* ſub tali gratia eſſe *expeditam ab omni impedimento impotentiæ*? Nunquam ergo dixiſſet delator me uti *verborum circuitione*, & conſentire Janſenio, ſi omnia accurate expendiſſet. Quamquam circumvolitans, ut ex floribus venena ſugat, nec ſtillulam potuit extrahere, qua nos inficiat. Quod enim ait, Janſenium quoque fateri gratiam fore efficacem *niſi repugnaret voluntas*, damnatum non eſſet, niſi addidiſſet ſub parva gratia voluntatem *non poſſe non repugnare*, & a fortiori delectatione *abripi ineluctabili neceſſitate*. Quod cum nos ubique, & etiam eadem pagina 160. damnemus; evidens eſt latiſſimum ſententiæ noſtræ a Janſeniana diſcrimen.

Janſ. Rediv. pag. 217.

VII. De Janſenio ſcripſi eadem pag. 160. *Janſenius e contra parvam quidem & invalidam voluntatem a Deo inſpirari fatetur; ſed quam neceſſe ſit permanere infirmam atque torpentem, niſi ſubminiſtraretur delectatio tam vivida, quæ arbitrium trahat indeclinabili neceſſitate, adeo ut quibus hæc deeſt, gratia inefficax conferatur, non ut poſſint converti, ſed ut Deo vocanti veluſta cupiditate, quam refrænare non valeant, & fatali quadam neceſſitate repugnantes evadant iniquiores*. Crederes contentioſiſſimum hominem tacere, dum Janſenium damno, quod ſub gratia parva tradiderit *inevitabilem neceſſitatem peccandi*, & docuerit ſub ea gratia homines *evadere nequiores, etſi non poſſint refrænare cupiditatem robuſtiorem*? Nil minus. Mendacem me, & calumnioſum hominem appellat, atque ait: *Nunquid ita dure locutus eſt Janſenius; imo contrarium expreſſe aſſerit: docet enim quod gratiæ illæ parvæ, ſive inefficaces, diſponant ad victricem, Deumque provocent per actus imperfectos, quos ex voluntate eliciunt, quales ſunt velleitates, conatus, vota, aliique pii motus, ad conferendas novas & uberiores gratias*.„ Videmus, *inquit lib. 2. de Grat. Salvat. cap. 27.* plurimos, qui necdum ab immunditiis carnis ſe abſtinere poſſunt, vehementer tamen optare continentiam, cujuſmodi vota divinæ gratiæ ſunt munera, & majoris gratiæ provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentiæ comparanda ſint.„ *Nec hic ſatis mirari poſſumus Fratrem Berti, qui ut a doctrina Janſenii aliquatenus recedere videatur, illi novatori falſo tribuit elocutiones ab ejus mente prorſus alienas*.

Puto iegendum, Nunquam.

At ego ſatis mirari non poſſum accuſatoris vafriciem atque malevolentiam, qui ut me iniquiorem demonſtret, Janſenii errorem emollit. Recte de calumniatoribus Lucianus: *Ut probabilem, & dignam fide calumniam faciant, non quod fortuito caſus oſtendit prehenſant, ſed in hoc toti ſunt, ut accurato delectu obſervent, ne quid abſonum aut alienum a cauſæ fide incidat: adeo rationes ejus, quem criminantur, univerſas in pejorem partem trahunt, ſuſpectas reddunt, quo fidem addant accuſationi*. Sufficit proferre de hac criminatione præclariſſimorum Theologorum judicium. „ L' accuſatore, *inquiunt*, impegnato a far comparire il P. Berti un franco Gianſeniſta, procura di divertire l' attenzione del lettore dal punto principale, e farlo penſare ad altre coſe, che non ſanno a propoſito. Il dotto Teologo Agoſtiniano nel paſſo riportato dell' accuſatore ha ragionato beniſſimo, e ha fatto vedere la diverſità della grazia ſufficiente da lui ammeſſa da quella di Gianſenio. La prima, dice egli, non è data da Dio affinchè l' arbitrio reſti ozioſo, ma perchè ſi ſtudj coll' orazione d' impetrare da Dio una grazia più forte; e per lo contrario Gianſenio afferma iſpirarſi da Dio una grazia piccola e invalida, *quam neceſſe ſit remanere infirmam atque torpentem* ſenza la grazia robuſta. In quel *neceſſe ſit* conſiſte la diverſità fra la grazia piccola di Gianſenio, e quella de' veri diſcepoli di S. Agoſtino. Quel *neceſſe ſit* è ſentimento, che il P. Berti attribuiſce a Gianſenio; ed è certo che queſti lo ſoſtiene. Il di più viene imputato dal medeſimo P. Berti a Gianſenio per forza di neceſſaria conſeguenza; poichè ſe è neceſſario, che la grazia piccola rimanga inferma, ed ozioſa ſenza la grazia efficace neceſſitante, è manifeſto, che quella grazia piccola non è data da Dio acciocchè gli uomini poſſano far bene; ma piuttoſto *ut evadant nequiores*.„ Nec tantum id infero neceſſaria conſecutione, ſed etiam expreſſiſſime Janſenius lib. 3. de Grat. Ch. Salvat. cap. 2. col. 257. *gratiam ſufficientem* ab efficaci diſtinctam appellat *inutilem*, *perniciosam*, utpote qua nihil aliud aſſequimur, *niſi majorem damnationem*, ut vidimus cap. 1. §. 5. n. 3. Igitur ita dure, imo durius, quam dixi, Janſenius locutus eſt: atque conviciatoris admiratio exoritur ex veternoſa ipſius ignorantia. In cap. etiam 27. Janſenius col. 211. poſt verba ab accuſatore producta immediate proſequitur: *Itaque optime ſubjungit Auguſtinus*:„ Hoc modo (*per gratiam*) quiſquis diſcit, agit omnino quidquid agendum didicerit.„ *Nempe quia quidquid nondum agit, id nondum agendum didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem*. In ſenſu ergo Janſenii *vota illa majoris gratiæ provocativa* comparate *ad perfectam continentiam* habent virtutem *legis*, non *gratiæ*. De gratia autem ſufficiente, quam admittunt Scholaſtici, Janſenius lib. 3. cap. 9. col. 297. interpretatur verba Apoſtoli 1. Cor. 15. *Virtus peccati lex: littera occidit, & eſt virtus peccati, & facit abundare peccatum, & prævaricationem, & iram operatur, & per legem eſt cognitio, non evictio peccati, & operatur omnem concupiſcentiam, & concludit omnia ſub peccato, & eſt miniſtratio mortis, & miniſtratio damnationis*. Quare Janſenius ita dure, imo durius quam dixi, locutus eſt eo quoque in loco, quem criminator opponit; ac iſte non ſolum miratur ob ignorantiam, verum etiam caligat oculis, nec intuetur coloſſos. Id ne tantum? Laborat etiam memoria; nam in ſenſu Janſenii neceſſum eſſe *delectationem debiliorem ſemper cedere ei, quæ actu prædominatur*, recte ipſemet Anonymus ſcripſerat pag. 18. 19. 20. 29. atque alibi paſſim: cumque ſub illa *neceſſitate* quiſque juxta Janſenium revera peccet; profecto ſub *gratia parva Janſeniana* nequior evadit. Nil ergo Anonymus conſecutus eſt hactenus, quam ſeſe magis, magiſque oſtendere inſcium, cæcum, oblivioſum.

Luc. de de non temere calumniando, tom. 3. pag. 572.

Janſ. Rediv. pag. 221.

VIII. Tandem ex quo tom. 3. pag. 342. ſcripſerim, *De quæſtione Grammaticali, ideſt, an gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu ſit vere & proprie ſufficiens, non opus eſt definite ſententiam dicere. Ego ſane mallem appellare* inefficacem, *eo quod non inſpiret voluntatem illam robuſtam, quæ inſpiratur ab efficaci. Idcirco habui frequentius in conſuetudine ſermonis vocabulum iſtud, quam* ſufficientis; *quod tamen in ſenſu Thomiſtico probo maxime*; ex hoc, inquam, ita ratiocinatur Anonymus: *Si F. Berti gratiam ſuam parvam cupiditate inferiorem exiſtimaret veram conferre operandi potentiam, cur ægre ferret illam vocari ſufficientem? cur mallet illam appellare inefficacem? Et ſic parvæ gratiæ nomen inefficacis potius quam ſufficientis tribuendo, numquid ſuſpicionem movet, num velit ad Janſenium propius accedere? Nam Janſenius gratias ſufficientes repudiat, & gratias inefficaces admittit: docet enim* lib. 4. de Grat. Salv. cap. 10. *eſſe quandam gratiam ita inefficacem, ut ex illa operatio nequidem poſſit ſequi. Merito ſane ſuſpicari poſſumus velle Fratrem Berti gratiam parvam appellare inefficacem, quia eam recte admittit in eodem ſenſu, quo Janſenius, ideſt*, ita inefficacem, ut ex illa operatio ne-

tio nequidem possit sequi. *Sic loquendo abunde manifestat suam pro errore propensionem.*

Hæccine sunt nostra dogmata Jansenianis affinia, propterea quod mallem gratiam *sufficientem Thomistico sensu* appellare potius *inefficacem*, hæc suspicionis origo? Rectissime Augustinus serm. 354. num. 3. *Malevolæ animæ quasi dulciter sapit, quod pessime suspicatur.* Hanc vero esse *pessimam suspicionem* perspicue demonstro, primum quia manifestum est, a me gratiam inefficacem plurimis in locis appellari *sufficientem*, ut constat tum ex hoc §. tum ex §. 2. hujus capitis, adeo ut Anonymus pag. 194. scripserit me *verbis ludere*, pag. 198. me uti *verbis fallacibus*, ac pag. 214. Iprensem Episcopum me esse *sinceriorem*, quoniam ego inefficacem gratiam non recuso vocare *sufficientem*; in quibus tamen locis aliquantulum, etsi non satis, castigavi præcipitem conviciatoris loquacitatem. Deinde hoc ipso in loco, idest tom. 3. pag. 342. profiteor me loqui *de quæstione grammaticali*, & infra *de significatione* vocabuli *sufficiens*, ac paullo post de illo sensu, quo gratia *sufficiens dicitur a Molinistis*, qui nempe negant gratiam per se efficacem: quæ omnia homo levi suspicione, tanquam turbine, & nimboso vento pulsus, transiliit. Præterea in iis quoque verbis, quæ rodit, nonne dico de vocabulo gratiæ sufficientis, *Quod tamen in sensu Thomistico probo maxime?* Non itaque ægre fero, quod maxime probo. Ad hæc criminator, ut suspicioni suæ momentum addat, inquit me cum Jansenio asserere gratiam, quæ cupiditatem non superat, *ita esse inefficacem, ut ex illa operatio nequidem possit sequi*: quod non tantum nullibi affirmo, sed ubique refello. Postremo quidquid assero pagina illa 342. confirmo testimoniis Tournelii, Cumel, Norisii, Brancati, Macedi, Poncii, Sacræ Facultatis Lovanienſis, aliorumque: quos omnes adversarius alto præterit silentio, ut in me solum calumniam conflet atrociorem. Veram hanc nube testium refutavi cap. 1. §. 2. n. 14. & sequentibus, ideoque concludam verbis Cardinalis Norisii cap. 4. *Calum. sublatæ*, prope finem: *In gratia proxime sufficienti exponenda Doctores diversimode opinantur. Nam Cardinalis Brancatus de Laurea Opusc. 3. de Grat. cap. 4. n. 83. mirari se dicit cum aliis viris doctis, cur a recentioribus Theologis gratia, qua homo vocatur, illuminatur, & excitatur ad faciendum bonum, & effectum non obtinet, dicatur* sufficiens ad distinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum; cum satis non sit ad eum ponendum, sicut efficax, quæ in rigori dici deberet sufficiens. *Propterea Franciscus Macedo in Augustini lectione versatissimus, in Scrinio S. Augustini cap. 8. universam Norisii doctrinam, quam hactenus defendi, uti Augustinianam tuetur, & a pag. 87. pluribus contendit solam gratiam efficacem dici posse* proxime sufficientem; *quod aliis quoque Theologis placuit, quos inter est Cumel tom. 3. Variar. disp. 5. sect. 1. pag. 207. Sed cum de re illi conveniant, haud vacat de nominibus disputare.* Redeat modo Anonymus ad paginam illam nostram 342. videatque num recte, num *pessime suspicetur*, quod Augustinus *malevolæ animæ* attribuit: quamquam nos nolumus criminatorem imitari, & de occultis animorum affectionibus judicium ferre.

Tom. 5. p. 1376.

Noris tom. 3. pag. 1105.

§. IX.

Ad ea, quæ Anonymus IX. *&* X. *articulo objicit, ut nobis tertiam & quartam Jansenianam positionem adscribat.*

NUnquam sane credidissem, id quoque nobis adversantium aliquem objecturum fuisse, quod negaverimus *libertatem indifferentiæ* necessariam in statu naturæ lapsæ ad merendum & demerendum, postquam lib. 16. tam prolixa dissertatione pro hac libertate pugnavimus, refutatis omnibus Jansenianorum effugiis & argumentis. Deberem itaque quidquid Anonymus conglomerat art. 9. & 10. prorsus omittere, imitatus Norisium, ad *Germanitatem* 16. hac eadem calumnia constantem nil aliud reponendum duxit, præterquam verba Augustini lib. 2. Op. Imperf. n. 102. *Jam responsum est; rogo te, aliquid dicere non potes: tace, si potes, sed quod pejus est, nec hoc potes.* At quoniam gloriatur Anonymus pag. 227. a se hoc *invicte* demonstrari, videamus num hujusmodi demonstrationes ejusdem sint generis, ac præcedentes.

Noris tom. 1. col. 1474.

I. Igitur ait, me lib. 4. cap. 31. *pro libito recensere varias quasdam opiniones Theologorum* circa modum conciliandi libertatem cum divinis prædefinitionibus; ac subinde statuere opinionem meam, in qua solam illam necessitatem repudio, tanquam libertati adversantem, *quæ oritur ex objecto*, recitatque regulam quintam, propositam pag. 378. primi voluminis Th. Discip. quam non repeto, quoniam rursus producta fuit cap. 1. §. 3. num. 8. Hac autem regula præmissa inquit: *Inde inferre licet voluntatem in hac vita semper esse liberam, licet delectationi gradibus superiori ad agendum* necessitetur. *Ratio est quia cum in præsenti rerum statu nullum voluntati proponatur objectum particulare, in quo non apprehendi possit & aliqua boni, & aliqua mali species, & cum aliunde nullam aliam necessitatem agnoscat F. Berti præter eam, quæ ex objecto proficiscitur, hinc fit quod voluntas futura sit semper libera, etiam sub invincibili, & inevitabili necessitate.*

Jans. Rediv. pag. 222. Citandus erat cap. 33.

Respondetur, me non *pro libito* opiniones Theologorum recensere, sed apposite, consulto, *optime*. Regulæ enim illæ sunt, quod aliqui recurrant *ad sensum compositum ac divisum*, sive ad *potentiam possibilitatis, & positionis*: quam regulam probo pag. 374. eodem tom. 1. atque ab objectis adversariorum vindico tom. 3. pag. 197. ea etiam utor pag. 201. Alia regula ibidem tradita est, quod alii Theologi distinguunt inter *necessitatem antecedentem*, & *consequentem*, quarum prima, non secunda repugnat libertati; atque hanc regulam commendo tom. 2. pag. 374. eamque adhibeo tom. 3. citata pag. 201. Trado & aliam regulam S. Thomæ, quod scilicet prima causa non *effectum* duntaxat, *sed etiam modum* attingit, & de hac regula scribo pag. 375. quod ea, *si nos uti velimus, possumus percommode*. Alias, quæ captum meum superant, describo, nec damno: & quæ falsæ mihi videntur, modeste rejicio. Id ne est *pro libito opiniones recensere?* Ad quintam vero regulam quod attinet, illam pag. 381. cum ceteris formulis in Schola Thomistica usurpatis compono; eamque per omnia traditam fuisse a S. Thoma demonstravi hac dissert. cap. 1. §. 3. n. 8. Dixi ibidem num. 9. fuisse uberrime explicatam ab Antonino Massouliè dissert. 2. ex qua pauca exscribam, quæ sunt universorum compendiolum. *Cum voluntas*, inquit vir illustris tom. 1. pag. 245., *naturalem & necessariam coaptationem habeat cum bono tanquam proprio objecto, est enim voluntas appetitus boni convenientis cogniti: si quod unquam voluntati bonum offeratur, quod omni ex parte conveniens sit, in quo nullum defectum, nullum nævum animadvertat, non potest voluntas non rapi tanta objecti bonitate, quæ non nisi bonitas sit. At vero si quis sit vel minimus in objecto defectus, cum ea parte, qua malum aliquod seu privatio boni admixta est, nulla ratione conveniens sit, poterit voluntas illud objectum rejicere: Atqui ea est conditio boni universalis & ultimi finis, ut sit aggregatione & consortio omnium bonorum perfectissimum; e contra vero nullum creatum & finitum bonum reperire est, cui tantundem perfectionum non desit, quantum res aliæ possident: Ergo unicum est, infinitum, & universale bonum, quod voluntas non potest adversari; cetera omnia potest a se rejicere.* Atque hæc est regula illa, quam eo loci, necnon tom. 2. pag. 511. confirmavi iisdem S. Thomæ testimoniis, quibus utitur Massouliè. Hinc autem non infertur a me admitti solam necessitatem, *quæ proficiscitur ex objecto*, ut inepte ratiocinatur Anonymus: sed infertur tantummodo non haberi *indifferentiam judicii* necessariam ad libertatem immunem a necessitate, ubicunque in objecto nil potest apprehendi, cujus causa a voluntate rejiciatur. Objectum enim debet menti occurrere, ut judicet de illius convenientia, judicium vero liberam præmoveat voluntatem. Vide cit. §. 3. num. 8. Pudet autem me cum adversario luctari, qui hæc adolescentulis notissima ignoret. Ex his itaque nostris, immo S. Thomæ principiis, nimium insulse infertur a nobis admitti solam libertatem *lubentiæ*, quæ consistit *sub invincibili, & ineluctabili necessitate*; sed deducitur omnino oppositum, ut demonstro iisdem verbis Anonymi pag. 223. ad syllogisticam formam redactis: Non est necessitas invincibilis & ineluctabilis operandi, *sed est in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppositum, si hoc particulare bonum non proponatur voluntati, ut omnimode bonum, neque evidenter ut tale apprehendatur:* Hæc est regula illa mea tom. 1. pag. 379. Atqui sub delectatione victrici, & gradibus superiore cupiditati, *hoc particulare bonum non proponitur voluntati ut omnimode bonum; neque ut tale ab intellectu apprehenditur.* Id fatetur adversarius in sua illa obtorta illatione. Ergo sub delectatione victrici, & gradibus superiore cupiditati, non est necessitas invincibilis & ineluctabilis operandi, sed est *in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppositum.*

Dico optime, quoniam non a me adinventa, sed illustrium virorum placita expono.

II. Deinde Anonymus inquit me ac Patrem Bellelli agnoscere illam duntaxat libertatem, quæ sit immunis ab ea necessitate, *quæ ex objecto oritur*, ac parum sollicitos esse de necessitate, *quæ provenit ex superiori delectatione ad unum invincibiliter determinante*, ac prosequitur: *Sed si voluntas delectatione relative victrici ad agendum necessitetur, & nihilominus dicatur libera, ut volunt FF. Bellelli & Berti, consequens erit quod ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ*

Jans. Rediv. pag. 214.

lapſæ non requiratur libertas a vera & proprie dicta neceſsitate.

Reſpondeo Anonymi conſequentiam fore legitimam, ſi verum eſſet nos adſtruere *delectationem relative victricem neceſsitantem;* at hoc eſt falſiſſimum, ut conſtat ex præcedenti §. necnon ex primo, aliiſque hujus capitis: ideoque nil mirum, ſi criminator ex falſiſſimo antecedenti inferat calumnioſiſſimam falſiſſimamque conſequentiam.

III. Quoniam tom. 1. pag. 379. præmiſſa regula, de qua paullo ſupra, ſcripſi: *Ex quibus infertur primo contra Janſenium, Beatos cum Deum videant intuitive, non eſſe in amore beatifico liberos, cum ad amandum Deum clare viſum ſint naturaliter determinati*, ut ſuadeat Anonymus iis, qui ſcripta mea nunquam legerunt, me eſſe hominem *commentorum uſu exercitatum* (ita enim me inferius appellat) *Sed eſto*, inquit, *quod in hoc a Janſenio diſſentiat F. Berti; quid ad rem? Cum hac ſane diſcrepantia integer adhuc ſubſiſtit error in tertia propoſitione damnatus: nam tertia propoſitio præſentem ſtatum attingit, & loquitur tantum de libertate in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum, & demerendum neceſſaria.* *Janſ. Rediv. ibidem.*

Vereor, ne mihi cum homine lapidei cordis, atque emotæ mentis res ſit. Ex ea regula quinta, quam Anonymus non infectaretur, ſi in lectione S. Thomæ paullulum ſeſe exercuiſſet, plura conſectaria deduco; ac primum eſt, quod ipſe mutilum profert, Doctoris Angelici verbis reſecatis. Secundum eſt, quod poſſumus, quandiu ſumus in hac mortali vita, *Deum libere odio habere*, ut ex Sancto Thoma ibidem confirmo. Tertium, quod concupiſcentia non evertit libertatem, non quia accidit ex peccato, aut quia eſt immunis a coactione, ut inquit Janſenius, ſed quia ſtat *cum indifferentia judicii, & voluntas poteſt concupiſcere bonum illi contrarium.* Quartum, quod in hoc infirmitatis ſtatu gratia prædeterminans ſtat cum libertate, quoniam & ipſa gratia *ab indifferentia judicii* non ſejungitur, *nec ita mentem illuſtrat, aut voluntatem incendit, ut hæc repugnare non valeat.* Hæc fuſiori ſtylo eadem pag. 379. tom. 1. unde adverſarius duas lineas exſcripſit. Ergo ſi totam luſtraviſſet pagellam, minime exclamaſſet, *Quid ad rem? Tertia propoſitio præſentem ſtatum attingit;* ſiquidem, & ad præſentem ſtatum pertinent conſectaria ſecundum, tertium, & quartum. Deinde illud quoque primum valeat ad revincendum Janſenium; is enim lib. 6. de Grat. Chriſti Salv. cap. 8. pag. 639. nititur demonſtrare in hoc ſtatu nullam aliam libertatem dari, præter libertatem *a coactione*, ex quo neceſſitas non repugnet libertati, intrudens ad hoc demonſtrandum beatos Deo neceſſario adhærentes, & tamen, ut ipſi Janſenio videtur, cum libertate: atque in fine illius capitis pag. 646. affirmat nullum aliud libertatis genus tradidiſſe Auguſtinum in acerrimo diuturnoque conflictu cum Pelagianis, ubi docet ſtare cum gratia libertatem, *quia ipſa gratia voluntatem nihil agentem potentiſſime velle & operari facit.* Non igitur impertinens eſt, ubi de libertate agitur, demonſtrare quomodo *libertas indifferentiæ* non perſiſtat cum lumine gloriæ, perſiſtat tamen ſub gratia; ſed hoc ad refellendum Janſenium eſt ſummopere neceſſarium, atque opportunum. Idcirco etiamſi nil aliud addidiſſem præter verba a criminatore ſelecta; inſulſe tamen, & inaniter repoſuiſſet, *Quid ad rem? Tertia propoſitio præſentem ſtatum attingit.* Præterea evidentiſſimum eſt, quod ego pertractans de concilianda libertate cum gratia per ſe efficaci, (quemadmodum pertracto in illo capite 13.) differo tantum *de ſtatu naturæ lapſæ*; nam ibi agito quæſtionem, *An futura ſupernaturalis ordinis ad ſtatum naturæ lapſæ pertinentia prævideat Deus in abſoluta illorum prædeſtinatione;* ac præterea in hoc ſtatu propugno eamdem gratiam ſemetipſa efficacem: unde ergo elegans ille, & mellitus excurſus, *Quid ad rem? Tertia propoſitio præſentem ſtatum attingit.* Adde me lib. 4. cap. 13. univerſim agere de concilianda libertate cum abſoluto decreto, non autem fingillatim explicare quid ſit *libertas indifferentiæ.* Id exequor lib. 16. ibique cap. 2. prop. 3. pag. 279. ſtatuo, ac demonſtro theſim iſtam: *Libertas indifferentiæ requiritur etiam in ſtatu naturæ lapſæ ad meritum, vel demeritum:* quod repeto aliis in locis, de quibus vide ſuperiorem §. 4. Cumque præcedenti prop. 2. libertatem hanc definierim cum Auguſtino *poteſtatem voluntatis, quæ ſua deliberatione poteſt huc, aut illuc flecti, hinc atque illinc referri*, & cum S. Thoma *vim electivam mediorum*, ac ſcripſerim pag. 277. *libertatem a coactione, ſi ab indifferentia divellatur, non eſſe illam veram, & propriam libertatem, de qua ait Auguſtinus, Unde liberum eſt abſtinere;* eviden-tiſſima res eſt, a me damnari & refelli tertiam propoſitionem Janſenii in eo ſenſu, quo damnanda & refellenda eſt, nempe admittendo in hoc ſtatu *veram libertatem indifferentiæ*, non tantum *immunem a coactione*, ſed etiam *a neceſſitate*; quod præſtiti aliis in locis bene multis, de quibus vide §. 4. præcitatum. *Tom. 3. Theol. Diſcip.*

IV. Inſuper inquit Anonymus: *Forſan clamabit Fr. Berti ſe fulminato anathemati nullatenus ſubjacere, cum non ſolum tertiam Janſenii propoſitionem proſcribat, verum etiam conceptis verbis aſſerat ad merendum, & demerendum in voluntate requiri veram libertatem, veram indifferentiam, & veram potentiam ad oppoſitum.* Sed ait me *ſimulate* agere tum lib. 4. cap. 13. tom. 1. pag. 379. unde rurſus exſcribit, quæ objecerat num. 1. jtum lib. 16. cap. 2. tom. 3. pag. 279. ubi ſcribo: *Hæc poteſtas remanet, cum nulla propoſitio boni creati, atque apparentis, nec etiam ſummi boni cogniti tantum abſtractive, auferat indifferentiam judicii.* Inquit per hæc verba, *quæ prima fronte videntur orthodoxa*, me non recedere ab errore Janſenii. Quare? *Quia in ſyſtemate Bertiniano objectum non proponitur ut indifferenter eligibile, ſed ut neceſſario proſequendum, vel fugiendum: nam delectatio gradibus ſuperior, ſive gratiæ, ſive cupiditatis neceſſario & invincibiliter ad unum determinat, & figit animum in objecti fuga, vel proſecutione.* Hinc infert me *adoptare revera doctrinam*, quam *negare* fingo, & *quam Eccleſia in Janſenio proſcripſit.* *Janſ. Red. pag. 225.*

Quamquam hæc repetita ad nauſeam uſque ſynonyma *ſimulat, fingit*, plus quam clamorem promereantur; attamen quia vir inſigniter prudens volam dat lapidi, & utre tetritat, nullatenus expaveſcens *fulminatum anathema*, quode in Janſenium omni æquitate vibratum demonſtravi tom. 3. pag. 344., nec clamito, nec muſſito, nec nares, nec frontem corrugo; ſtrepetque, clepat, harpaget vir clamoſiſſimus, ut libet, ut lubet. De his, quæ ſcripſi tom. 1. pag. 379. ſatis ſuperque num. 1. ac 3. Quæ vero adduntur ex tom. 3. pag. 279. forent, teſte Anonymo, *orthodoxa*, ſi in noſtro ſyſtemate *objectum proponeretur, ut indifferenter eligibile, & delectatio gradibus ſuperior neceſſario & invincibiliter non determinaret ad unum.* Atqui in noſtro ſyſtemate ita res ſe habet; nam proponitur *indifferenter eligibile* quidquid non proponitur adeo bonum, ut nequeat in eo apprehendi aliquid mali: hæc enim eſt regula illa noſtra, quam paullo ſupra adverſarius rodebat & vellicabat. Itaque ſyſtema noſtrum undique eſt *orthodoxum*, & damnando Janſenium nec *fingimus*, nec *ſimulamus*. Quod vero ait in noſtro ſyſtemate delectationem gradibus ſuperiorem neceſſario & invincibiliter determinare ad unum, eſt vetus illa calumnia *Anonyminiana*, quam tam ſæpe refutavimus, ut cogamur opponere auctori Plautinum illud quod inſeruit *Calumniæ ſubtatæ* eximius Noriſius:

Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios; una res. Quoniam tamen incautus homo citavit paginam 279. tom. 3. legat, quæ illic poſt verba a ſe laudata ad demonſtrandam propoſitionem illam, *Libertas indifferentiæ requiritur etiam in ſtatu naturæ lapſæ ad meritum, vel demeritum*, afferuntur: *Refellitur*, ita ibidem, *ſcitum Janſenianum primo Scripturis, quæ nobis delineant liberum arbitrium, quo meremur, tanquam poteſtatem extendendi manum ad ignem & aquam, eamque poteſtatem opponunt neceſſitati, explanantque verbis optionem, dominium, ac vim electivam ſignificantibus. Deinde definitionibus Tridentini decernentis eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, & diſſentire ſi velit gratiæ excitanti. Ex Romanis quoque Pontificibus damnantibus tertiam propoſitionem Janſenii, & recenſitos Bajanos articulos conſtituentes peccatum in iis etiam, quæ vitare non poſſumus, & opponentes libertati ſolam coactionem, & vim inferentem violentiam. Rejicitur præterea pleniſſimis Patrum ſuffragiis, & præclariſſimi præſertim Auguſtini nullam ſtatuentis in peccato naturalem neceſſitatem, nullamque in bonis operibus determinationem immutabilis voluntatis; demonſtrantis autem contra Manichæos peccatum oriri a voluntate, non ut natura eſt, ſed ut eſt poteſtas movendi ſe, motumque ſuum cohibendi; & adverſus Pelagianos neceſſitatem gratiæ, cui poteſt reſiſti, & quæ minime tribuit non poſſe peccare, niſi videntibus Deum in ſe. Janſeniani inſuper revincuntur ratione ipſa, quoniam ubi eſt neceſſitas, nec vitium eſt, nec virtus, nec vituperium, neque præconium laudis: & locum ibi non habent præceptiones, hortationes, commina-tiones.* Id ne eſt propugnare gratiam, aut cupiditatem *neceſſario & invincibiliter* determinantem ad unum? Id ne eſt *ſimulare, fingere*, revera adoptare Janſenianam doctrinam? Vah obſtreperum hominem, ſcopulis aſperiorem! *Noris tom. 3. pag. 1059. Plaut. Captiv. 3. 1.*

V. Duo præſtat Anonymus num. 5. Primum ait, ſe invicte demonſtraſſe quod aperte adhæream Janſenio. *Nec aliquid Fratri Berti*, inquit, *impoſitum nemo putet, cum eum adoptaſſe Janſenii doctrinam jam ſatis conſtet: id enim invicte demonſtrant omnia ea, quæ ex ipſo relata ſunt.* Deinde ait idem manifeſte evinci ex *diverticulis* a me adhibitis, ut probem doctrinam meam diſtare a Janſeniana. Primum diverticulum eſt *cavillatio*, qua Janſenio ejuſque diſcipulis tribuo *doctrinam ipſis incognitam*, dum ſcribo tom. 3. pagina 161. *Janſeniani, qui ad merendum neceſſariam putant* *Janſ. Red. pag. 227.*

tant ſolam libertatem lubentiæ, etiam in motibus indeliberatis, & in parva illa delectatione, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, meritum tenentur agnoſcere. Exclamat Anonymus hoc in Janſenium *calumnioſe dici*, quoniam idem Janſenius lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 35. teſtatur ſe agere *de ſola volitione deliberata*. Alterum *diverticulum*, de quo ſermo inſtituitur nu. 6. eſt, quod tom. 1. pag. 381. ſcripſerim, Janſenianos delineare arbitrium adinſtar bilancis, eo quod doceant *poſitum inter cupiditatis & gratiæ æqualia pondera nihil poſſe operari, ita ut neceſſario agat quod amplius delectat, uti ſtatera a graviori pondere neceſſitate dejicitur. Hoc autem*, inquit, *traditur in ſyſtemate Bertiniano, in quo voluntas neceſſitatur a prævia delectatione indeliberata, quidquid in contrarium garriat iſte Theologus.* Tertium diverticulum, de quo num. 7. eſt, quod ego *calumnier* Janſenium, de illo ſcribens tom. 3. pag. 278. *Ad Janſenium quod attinet, & ipſe tenetur aſſerere cum Bajo, omnem motum concupiſcentiæ, & prava deſideria, etiam neceſſaria eſſe peccata: quoniam in his invenitur libertas a coactione, quam arbitratur ſufficere ad meritum, vel demeritum.* Hanc vero calumniam conſtare ex quo Janſenius lib. 6. de Grat. cap. 36. aperte fateatur *indeliberatos concupiſcentia motus non eſſe liberos:* unde concludit adſcribi a me Janſenio errores, *quos nuſquam docuit, atque id ita inſidioſe factum, ut ab hoc Novatore ſaltem aliquatenus diſſentire* videar.

Sane hoc in loco, ſi eſſem Demipho ille Terentianus, reſponſionem aggrederer hiſce verbis:

En unquam cuique contumelioſius
Audiſtis factam injuriam, quam hæc eſt mihi?

Pherm. 2. 2.

Sed omne adhibens temperamentum, dabo operam, ut vitilitigatorem, niſi fungum pro corde gerat, ineptiarum ſuarum & pœniteat, & pudeat. Quod ergo ait ſe *invicte demonſtraſſe*, quod hæreſim Janſenianam adoptaverim, jactantia eſt puerilis. Neque enim hoc demonſtravit impugnando regulam, qua utor in concilianda libertate cum gratia, quoniam hæc regula præmonſtrata eſt nobis a Theologis præſtantiſſimis, atque a cavillulis ſupra evulſis illuſtrata potius, quam oppugnata; nec repetendo, a me defendi delectationem ſuperiorem *neceſſitantem*, quia hoc eſt ſplendidiſſimum illud mendacium, ex quo frequentiſſime repetito in tam abſurda deliramenta prorumpit; & quo rejecto demonſtrationes in elenchos & in ſophiſmata commutantur. Loquamur itaque de iis, quæ a recta inſimulator diverteus appellat *diverticula*; ac primum de tertio, quo diſpuncto præcedentia evaneſcunt. Me non *calumniari* Janſenium, neque *inſidioſe* de illo agere, ſed Anonymum id aſſerentem eſſe inſidioſum calumniatorem triplici manifeſta ratione commonſtro. Primum in verbis mihi objectis ex tom. 3. pag. 278., etiam ut ab Anonymo mutilata referuntur, non legitur, *Janſenius aſſerit cum Bajo omnem motum concupiſcentiæ, & prava deſideria etiam neceſſaria eſſe peccata;* ſed legitur, *Et ipſe* TENETUR *aſſerere*; eſt autem inter hæc duo, *Aſſerit*, ac, *Tenetur aſſerere*, diſcrimen illud, quod intercedit inter hæc duo alia, *Accuſator verum refert*, &, *Tenetur verum referre*: quorum unum falſiſſimum eſt, alterum proculdubio veriſſimum. Itaque verborum meorum ſenſus eſt, quod licet Janſenius ſcribat *motus indeliberatos non eſſe peccata*, & aſſerat ſe a Bajo recedere; admiſſo tamen Janſeniano principio, quod *peccatum ſtet cum neceſſitate*, ipſemet Janſenius tenetur inter peccata connumerare prava deſideria, etiam neceſſaria, propter rationem eo loci immediate ſubjectam: *Quoniam in his invenitur libertas a coactione, quam arbitratur ſufficere ad meritum, vel demeritum; unde declinare tentans errores Baji, parum ſibi conſtat, figitque in eodem luto veſtigia*: atque hæc ſunt verba, quæ vir ingenuus ac prudens, qui nos calumnioſos & inſidiarum fabros appellat, penitus prætermiſit. Secundo in eodem loco tom. 3. pagina 277. præmiſeram illud idem, quod de Janſenio affirmat Anonymus, illum nempe docuiſſe, hominem non peccare *in motibus indeliberatis concupiſcentiæ*; verumtamen dixi, hoc idem ſequi ex Janſeniana doctrina. *Reſpondent quidam*, attende verba mea, *recte has propoſitiones, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, &, Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit, fuiſſe damnatas in ſenſu Baji aſſerentis hominem peccare etiam in motibus indeliberatis concupiſcentiæ, & in eo etiam quod facit neceſſario, ut animadvertit Vaſqueſius* 1. 2. *q.* 190. *cap.* 18. *Egregie quidem. ITA ETIAM JANSENIUS LIBRO VI. DE GRATIA CAP. XXXVI. At ego ex oppoſito dicam verum eſſe, quod motus quilibet concupiſcentiæ peccatum eſt, & homo peccat damnabiliter in eo quod neceſſario facit, ſi verum ſit quod ſola libertas a coactione eſt vere & proprie libertas*: atque ibidem conſectarium hoc e Janſeniano dogmate manare demonſtro. Non ergo infero calumniam Janſenio, nec inſidioſe me gero; ſed me calumniatur Anonymus, atque ex inſidiis aggreditur. Tertio animadverti eodem tom. 3. eademque diſput. pag. 297. allucinationem Janſenii, qui dogmatizans peccari in iis, quæ neceſſario fiunt, abutitur iis Auguſtini locis, in quibus concupiſcentiam appellat peccatum, *non proprie*, ſed quatenus eſt pœna peccati, atque illecebris ſuis ad peccandum inclinat, & ſicut *linguam dicimus formam tenoremque verborum*. Idem advertens Stephanus Dechamps de Hær. Janſ. lib. 3. diſput. 4. cap. 2. num. 7. demonſtrat ex illa Janſenii allucinatione evidenter inferri, quod conſtare ſibi nequeat Janſenius, niſi etiam dicat peccari in quolibet concupiſcentiæ motu neceſſario atque indeliberato, idem prorſus Dechampſius affirmans, quod mihi ab homine (neſcio qualem dicere oporteat) vertitur in crimen inexpiabile: *Et vero*, ait Dechamps, *ſi adverſarius contendit peccatum eſſe proprie, quod neceſſario fit, licet Auguſtinus aſſerat eo tantum modo peccatum eſſe, quo ſcriptura manus eſt: quidni & Calvino contendere licebit, concupiſcentiam in renatis proprie peccatum eſſe; licet S. Auguſtinus diſerte aſſerat eam non alio modo eſſe peccatum, quam ſcriptura manus eſt? Cur, inquam, iſtud Calvino pari jure non licebit, cum eo loco, quem expendimus, manifeſte S. Auguſtinus de concupiſcentia ejuſque motibus INDELIBERATIS loquatur?* Similia Dechamps proximo num. 8. Manifeſtiſſimum eſt ergo, me neque inſidioſe agere, nec calumniam inferre Janſenio; ſed reliquum eſſe, ut conviciator conſulat famæ ſuæ, oſtendatque ſe a calumniis, trucibuſque inſidiis caviſſe. Ex his vero prior quoque criminatio in caput auctoris reflectitur; nam etiam pag. 161. de motibus indeliberatis ſermo eſt, ibique pariter non legitur, *Janſeniani in motibus indeliberatis meritum agnoſcunt*, ſed, TENENTUR *agnoſcere*: hæc autem æque diſtant, ac illa duo, *Accuſator verum refert*, &, *Tenetur verum referre*. In altero autem capite nihil imponi Janſenio evidens eſt ex cap. 1. §. 8. immo ex ipſo auctore *Janſ. Rediv.* pag. 20. ubi ait in ſententia Janſenii voluntatem *in conflictu duarum delectationum* hærere ſuſpenſam, *niſi altera alteram delectando ſuperaverit*, & eo *totum animæ pondus* vergere, quo vigens delectatio impellit, & neceſſario voluntatem inflectit: cum vero nos oppoſitum doceamus, ut conſtat ex eodem §. nu. 8. & 9. necnon ex hac diſſertationis parte §. 1. 4. & 6. jure concludimus adverſarium iterum calumniari, atque in inſidiis ſubſidere, dum loquacior cornice ait nos *garrire*, & in ſyſtemate noſtro voluntatem neceſſitari a prævia delectatione indeliberata, & gradibus ſuperiore.

Janſ. de Grat. cap. 36. lib. 6. pag. 724. Errore typogra. phi impreſſum eſt cap. 6.

Dech. pag. 598. edit. Pa. ris.

VI. Poſtremo ait Anonymus, a me deſeri *Fratrem Bellelli* docentem non requiri ad meritum, vel demeritum *libertatem a neceſſitate accidentali*, ſed duntaxat libertatem *a neceſſitate eſſentiali*: nam *expoſita Fratris Bellelli conciliandæ gratiæ cum libero arbitrio ratione*, ſcripſi tom. 1. pag. 378. *Doctrinam nuper traditam, quod Theologorum illorum pace dixerim, verbo tenus, non re a Janſeniano errore diſcrepare arbitramur.* Hinc infert, non immerito a ſe *Fratri Bellelli* revivi. ſcentem Janſeniſmum opponi.

Janſ. Red pag. 231.

Verum neſcio, quinam lemures ſomnium Anonymo inſpiraverint, me citata pag. 378. de *Patre Bellelli* verba facere: cujus ſane eo loci non memini. Theologus noſter docet quidem prædeterminationem gratiæ victricis *accidentalem* eſſe, atque ex infirmitate hominis lapſi repetendam, qua in re eidem aſſentior: at negat ſub illa determinatione non perſiſtere *indifferentiam judicii, veramque poteſtatem antecedentem*, ut oſtendam proximo capite. Refutavi itaque nonnullos, qui cum ſcripta ſua non ediderint in lucem, non videbantur expreſſo nomine reprehendendi, & qui opinantur poſſe conciliari libertatem cum gratia per hoc tantum, quod *neceſſitas* exorta ex gratia prædeterminante accidat naturæ infirmæ & corruptæ. Atque id ſane probare non potui, quoniam & in hoc ſtatu admittenda eſt *libertas indifferentiæ*, & Janſenius hanc libertatem negavit, quod in ejus ſyſtemate concupiſcentia, quæ ob peccatum acceſſit, induxerit peccandi neceſſitatem, & gratia hujus concupiſcentiæ victrix neceſſitatem recte operandi. Illud unum a me refelli conſtat ex eadem pag. 378. Ceterum de quocunque ſcriptore pertractaverim; poterat a me Anonymus addiſcere prudentiam, ac temperamentum in refutandis aliorum opinionibus adhibendum.

XII. Ex his corruunt, quæ adverſarius recoquit art. 10. agens de quarta Janſenii propoſitione: nam quod

Janſ. Red. pag. 231.

quod primo num. ait, me a Janſenio non diſſentire, quoniam doceo *voluntatem humanam neceſſitari ad obtemperandum delectationi illi, quæ gradibus alteram ſuperat, & ad illi invincibiliter conſentiendum*, eſt illa falſiſſima opinio, cujus cauſa nos falſidicis fallaciis dilaceravit. Quod 2. nu. addit, a me non admitti *ſub gratia per ſe efficaci neceſſitatem duntaxat conſequentem*, eſt falſitas alia, refutata §. 8. num. 9. & §. 6. num. 5. Id vero, quod 3. num. inquit *reſervatum intelligentiæ meæ*, quomodo ſuperior delectatio non inducat *neceſſitatem*, quando objectum cadit ſub indifferentia judicii, percipiet & ipſe, ſi S. Thomam, & Antoninum Maſſoulié luſtraverit aliquantulum; & fortaſſis hæc poterit a me intelligere, ſi in §. 3. primi capitis, & in locis ibidem laudatis pauliſper pacata mente immorabitur. Adjecta numero 4. ubi ait a me tradi *fictam & illuſoriam indifferentiæ poteſtatem*, hujuſque nomine nihil aliud intelligere, *quam voluntatis ad bonum & malum flexibilitatem, quæ tamen ſub victrici delectatione neceſſitate ad unum, vel alterum determinetur*, ex §. 1. 4. 6. atque ex præcedenti penitus evaneſcunt. Ex iiſdem locis evincitur, quam flocci facienda ſint quæ addit num. 5. clamitans a me repeti *libertatem* voluntatis *ex indifferentia judicii*, quod non ſubeſt *imperio voluntatis*, quoniam contendo cum Janſenio *voluntatem ſemper & neceſſario obſequi delectationi prædominanti*; quum id nobis mendaciter & calumnioſe imputetur. Quum itaque omnia prorſus conviciatoris hujus ſophiſmata innitantur falſiſſimo illi principio, quod nos cum Janſenio ſtatuerimus *delectationem victricem neceſſitantem*, & quod nullus catholicorum ſententiæ adhæſerit noſtræ, qua in re oſtendimus illius mentem eſſe Cimeriis tenebris atriorem; evidentiſſimum eſt, conſecutiones illas ſuas, quod admittamus *libertatem fictitiam & chimericam*, & non poſſimus effugere *anathema* in Janſenianam hæreſim *pronuntiatum*, eſſe fulgura ex pelvi, nec pili faciunda, ſed cachinnis exſibilanda.

§. X.

Refutatur poſtrema inſimulatoris criminatio.

Jan. Red. pag. 238. PErventum eſt ad calumniam ceteris omnibus atrociorem, quam mihi criminator intentat, affirmans me ab errore quintæ Janſenii propoſitionis non receſſiſſe. Etſi enim, inquit, *Fatetur F. Berti Deum velle ut omnes homines, nemine prorſus excepto, ſalvi fiant, & Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe; hæc tamen, quæ catholica ſunt, catholice dicta non ſunt, Quia*, verba ſunt Auguſtini lib. 2. de nupt. & conc. cap. 4. Julianum increpantis, *non intentione catholici pectoris dicta ſunt*. Antequam audiamus, cur tam ſiniſtre ac tam impudenter de nobis, animique noſtri intentione confidentiſſimus homo judicium ferat; ipſum monemus, ut præcitati capitis quarti titulum illum perlegat, *Quomodo refutandæ adverſarii calumniæ*; videatque num forte ea verba Auguſtini, *Non intentione catholici pectoris dicta ſunt*, prolata adverſus Julianum, qui S. Patri objiciebat Manichæiſmum, & adverſus illum ediderat librum inſcriptum, *Contra eos, qui nuptias damnant*, ſibi potius, quam nobis conveniant. Enimvero ſi Julianus non loquebatur *intentione catholici pectoris* laudando nuptias, quæ laudandæ ſunt, ut Auguſtino *Manichæiſmum* objiceret; neſcio, an *intentione catholici pectoris* loquatur Anonymus laudando humani generis Redemptionem, quæ ſane, & quidem magnopere laudanda eſt, ut opponat Auguſtini diſcipulis *Janſeniſmum*. At de pectoris intentione *CHRISTO JESU*, qui totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit, reſervato judicio; expendamus atrociſſimæ hujus criminationis momenta.

Aug. tom. 10. pag. 306.

I. Itaque Anonymus num. 1. repetit, quæ ſupra docuerat, non ſufficere ad ejurandam Janſenianam hæreſim, ſi dicatur *voluntate antecedente Deum reprobis præparaſſe externa duntaxat quædam media toti humano generi propoſita, V. G. prædicationem Evangelii, Sacramentorum inſtitutionem, &c. ſed quod inſuper requiratur, ut admittantur inferiores gratiæ, nonnullis ſaltem reprobis conceſſæ*. His præmiſſis, ut ſuadeat a me denegari *voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes*, ait eamdem a me reſtringi *ad illa media generalia*; recitatque fere totam paginam 386. tom. 1. quam findit, & hiulcam, atque in media parte hiantem relinquit.

Quoniam hæc eſt criminationum ejus præcipua, ad quam reliquæ referuntur, duo apertiſſime demonſtrabo, unum, quod eadem pagina 386. & ubicunque de voluntate Dei *antecedente*, & de Chriſti morte, aut de auxiliis *ſufficientibus* pertracto, doceam non tantum *externa*, ſed etiam *interna* gratiarum auxilia, pro omnibus hominibus *inſtituta, exhibita, ac præparata eſſe*, & quantum eſt *ex parte Dei*, ſingulis conferri; alterum vero, quod actualis applicatio eorumdem auxiliorum non eſt effectus *voluntatis antecedentis*, & mortis Chriſti, conſideratæ ſub ea ratione, qua ad omnes omnino, tam prædeſtinatos, quam reprobos ampliatur: atque inde apparebit, quanta iniquitate vitilitigator mihi *Catholici* nomen aut invideat, aut deneget. Itaque tom. 1. pagina 386. ab adverſario expilata, ſcribo: *Omnibus prædicatum eſt Evangelium, exhibita miſericordia, præparata divinorum beneficiorum munera: pro omnibus Chriſtus abunde cumulateque ſatisfecit, & pretium redemptionis exhibuit*. Præter prædicationem igitur Evangelii, quæ eſt *gratia exterior*, actu collata atque impenſa, expreſſe commemoro *munera* aliorum *beneficiorum*, ſi non collata omnibus, ſaltem omnibus *præparata*. En gratia *interior*; quam homo mendax inquit ſententia noſtra præparatam non eſſe reprobis. Ibidem ita loquor: *Omnes homines, virtute voluntatis antecedentis, in via, qua ad ſalutem pervenire poſſunt, collocantur: omnes jus habent accedendi ad Eccleſiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gratiam, quam hæc efficiunt*. Num, ut *poſſimus pervenire ad ſalutem*, ſat eſt in mea ſententia *externum auxilium*, etiam a Pelagianis admiſſum, aut Sacramenta non conferunt *interiorem* gratiam *habitualem*, cui *actualis* quoque, nunquam juſtis denegata, niſi prius Deum deſerant, conjuncta eſt? Nemo id unquam effutiet. En ergo rurſus *interior gratia*, ſine qua non poſſumus ſalutem conſequi, omnibus omnino hominibus *præparata*. Paullo poſt in eodem capite pagina 390. dico effectum voluntatis antecedentis eſſe, *Rationalem creaturam ad finem ſupernaturalem ordinare, eamque in via locare ſalutis, necnon ei parare, exhibere, conferre quoque, niſi ea detrectet, auxilia gratiæ ſufficientia*. Atque id eſt ne denegare *gratiam ſufficientem* reprobis *præparatam*? Progrediamur modo ad lib. 17. cap. 4. ubi quæritur, quo ſenſu Chriſtus ſit crucifixus pro omnibus. Ibidem tom. 3. pag. 335. ad hunc loquor modum: *Mortuus eſt itaque Salvator noſter pro omnibus voluntate antecedenti, cujus effectus eſt inſtitutio cujuſdam ordinis complectentis cauſam, & remedia, quibus poſſunt peccata quæque remitti: atque ita Sanctus Thomas 3. p. q. 49. art. 1. ad 3.* „ *Chriſtus ſua paſſione nos a peccatis liberavit cauſſaliter, ideſt inſtituens cauſſam noſtræ liberationis, ex qua poſſent quæcunque peccata quandocunque remitti, vel præterita, vel præſentia, vel futura: ſicut ſi medicus faciat medicinam, ex qua poſſint quicunque morbi ſanari, etiam in futurum*. „ At cauſa noſtræ liberationis, ſpiritalis medicina, qua poſſunt deleri, & abſtergi omnia vulnera peccatorum, remedia, quibus ſcelera cuncta poſſunt remitti, non in *externis auxiliis* duntaxat, ſed ulterius, ac potiſſimum in *interioribus gratiis* conſiſtunt. Scripſi ibidem pagina 358. *Chriſtus eſt propitiatio omnium peccatorum. Mediator, & Redemptor omnium, quantum ad oblationem pretii, inſtitutionem remedii, & Sacramenti virtutem*; & infra pagina 359. *Chriſtus & oravit, & mortuus eſt, quantum ad communem cauſam pertinet, ut inſtitueret remedia, quibus omnium hominum poſſint deleri peccata, pretium ſanguinis ſui pro omnibus offerens. Quomodo enim eſſet omnium Redemptor, Salvator, Animarum Medicus, & Mediator Dei & hominum, niſi pro omnibus pretium obtuliſſet, preces fudiſſet, remedia inſtituiſſet, necnon etiam inimicis, reprobis, obduratiſſimis paraſſet atque exhibuiſſet*? Atque id eſt ne denegare reprobis *auxilia ſufficientia præparata, atque exhibita*? Oh perfricatam frontem calumniatoris! *Apage*, nonnulla quoque exſcribamus ex libro 18. cap. 8. in quo diſputamus, *num auxilia ſufficientia omnibus conferantur*? Pagina 438. affirmo non ſolum *exteriores gratias*, verumetiam *ſalutares Chriſti influxus*, & omne auxilium *ex parte Dei conferendum*, ipſam quoque *vitam cum Chriſto ſempiternam*, omnibus & prædeſtinatis & reprobis indiſcriminatim *parata eſſe*; atque hoc tantum in quæſtione verſari, *num reapſe auxilia ſufficientia ſingulis omnino hominibus non ſolum parata ſint & exhibita, verum etiam pro qualibet circumſtantia, & præſertim urgente præcepto, collata*? Atque hoc in loco negatur ne, an aſſeritur, *omnibus omnino hominibus auxilia ſufficientia parata eſſe*? Addo pagina 440. *Deus pro omnibus, ac ſingulis remedia ſalutis inſtituit, paravitque, exhibuit, & quantum eſt ex ſe, nulli prorſus mortalium denegat ſupernas illuſtrationes, aliarumque gratiarum beneficentiſſimam largitatem*: quæ ſane verba ſi quis *de gratiis duntaxat exterioribus* interpretatur, non Theologica reprehenſione, ſed Orbilii ſcutica, & Grammaticorum ferula eſt puniendus. Eodem cap. pag. 452. affirmo cum Noriſio cap. 3. Vindiciarum §. 6. *omnibus etiam reprobis interdum a Deo*

Noris tom. 1. pag. 1012.

Deo inſpirari auxilium remote ſufficiens, ſitum in colluſtrationibus cito evolantibus, & leviter tangentibus voluntatem: quæ ſunt ipſa Noriſii verba, & quæ a nullo ſanæ mentis accipi poſſunt de gratia tantummodo *exteriori*. Iſtic vero *auxilium remote ſufficiens*, non *præparatum* duntaxat, verum & aliquando *unicuique collatum* eſſe pronuntio: quod repetens pag. 459. dico adeſſe ſemper omnibus ſinguliſque hominibus gratiam ſufficientem. *Quatenus eſt in promptu, ſcilicet ſingulis præparata:* & poſt pauca, *Cuilibet ſceleſtiſſimo peccatori, quandiu eſt in via, non ſubtrahi gratiam omnino, quoniam interdum recipit illuſtrationes*: & rurſus, *Semper adeſt miſericordia Dei & gratia increata, at ſemper non eſt ſancta cogitatio & pia animi affectio in animo mortalium hominum, quia non ad miſericordiam juvantem ſe convertunt humiliter, ſed ad amorem ſui, & ad ſenſuum illecebras*: & item, *Eſt etiam probabilius omnes homines gratiæ motionem aliquam per vitæ decurſum experiri*: & poſt pauca, *Si velis cunctis immitti quaſdam bonas cogitationes certis temporibus, eſt ſententia Noriſii, cui non repugno*. Evidentiſſimum eſt ergo, me in ea ſententia firmiſſimum eſſe, quod auxilia ſufficientia, vera, propria, atque interna, *omnibus & ſingulis hominibus præparata ſunt*, & quantum eſt *ex parte Dei*, conferuntur; Anonymum vero id negantem aut eſſe inſignem calumniatorem aut cæcum omnino, aut adeo ſenio & oculorum caligine affectum, ut nec perſpicillorum ope litteras prælo impreſſas diſcernat.

Noris tom. 1. Pag. 912.

II. Quod autem ſecundo loco dixi, ad voluntatem *antecedentem*, atque ad communem humani generis redemptionem non ſpectare *actualem collationem* auxilii ſufficientis, quatenus *conferre* non idem eſt, ac *præparare*, ſed quatenus refertur ad verbum *recipere*; id principio demonſtratum eſt tom. 3. pag. 354. & 441. teſtimoniis complurium Theologorum, qui aut nobiſcum ſentiunt, aut fatentur cum Tournelio, dum diſſeritur, *an auxilium ſufficiens detur omnibus*, agi *de mera Scholæ quæſtione*, & hoc unum Eccleſiam ſtatuiſſe contra Janſenium, gratiam ſufficientem non deeſſe juſtis, quando volunt obtemperare mandatis. Voluntatem vero Dei *antecedentem*, communemque redemptionem exponi eadem omnino ratione, qua a nobis exponuntur, a Thoma De Lemos, a Goneto, a Bannes, a Franciſco Zumel, a Joanne a S. Thoma, ab Academia Lovanienſi, ab omnibus Ægidianis, & Auguſtinenſibus, tam aperte demonſtravi cap. 1. §. 6. hujus Operis Apologetici, ut nobis videatur res prodigio ſimillima, quod extet in orbe homo, qui ſibi jus arroget ex pectoris noſtri penetralibus catholicam fidem evellere, & ad hæc notiſſima iis, qui primis labiis Theologiam deguſtarunt, tanquam ad nuper delapſam igniferam crinitamque cometam, horreat, expaveat, nobiſque fulmen, exitiumque imprecetur. Qui vero iſta ignorat, neſciet quoque Noriſium illatam ſibi quintæ Janſenii propoſitionis calumniam iis verbis exſuſſaſſe: *Tertia theſis*, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, *ſi explicetur, ita ut homines reapſe futuri ſint participes gratiæ datæ per Chriſtum, non univerſe vera judicatur: etenim plerique nec infimi ſubſellii parvulos in uteris matrum decedentes nullam Chriſti gratiam participare exiſtimant. Si vero meritis infinitis ſanguinis Chriſti, vel humanæ ejuſdem voluntati omnes ſalvare cupienti, derogare velit, prorſus rejicienda eſt*. Poſtquam vero doctiſſimus Cardinalis oſtendit ſimilia tradidiſſe P. Macedum (quod itidem præmiſi cit. §. 6. num. 15.) ait ſatis ſuperque lectorem intelligere, *ſpurias eſſe, quas larvatus Paralleliſta, invidia obſtetricante, germanitates peperit, gerras eſſe germanas, & ſuppoſititiam ſententiarum multis paraſangis diſtantium propinquitatem. Ea tamen eſt calumniatorum garrulitas, ut cum utramque accuſationum manticam excuſſerint, eaſdem cum lectorum faſtidio cantilenas cantent ac recantent*. Hæc a nobis, cum eadem ſit cauſa, eadem criminatio, eædemque loquaculi conviciatoris cantiones, jure ac merito repetuntur. Præterea, *quod actualis gratiæ collatio* non ſpectet ad voluntatem Dei *antecedentem*, atque ad communem humani generis redemptionem, ex ipſo Anonymo duplici ratione demonſtro. Fatetur enim *Janſ. Red.* pag. 83. *Satis communiter* Theologos docere, quod voluntas Dei *conſequens* ea ſit, *quæ fertur in objectum, quale eſt in ſeipſo ſuis omnibus veſtitum circumſtantiis*: voluntas autem *antecedens* ea, *quæ fertur in objectum, non quidem quale eſt in ſe ipſo, ſed abſtrahendo * a quibuſdam circumſtantiis*: atque idem a nobis traditum eſt tom. 1. de Th. diſc. pag. 387. & 388. tom. 3. pag. 442. & in hac diſſert. cap. 1. §. 12. num. 8. Igitur ex voluntate Dei *antecedente* non ſequitur quod gratia ſufficiens debeat actu conferri omnibus & ſingulis humani generis individuis, quæ ſane in certis & peculiaribus circumſtantiis ſunt conſtituta, ideoque nec voluntatis *antecedentis*, ſed *conſequentis*, ſunt objecta. Præterea de hac noſtra propoſitione, *Non eſt de fide, quod auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum, ac præparatum omnes reapſe recipiant*, quam defendimus tom. 3. pagina 441. ita Anonymus ait *Janſ. Red.* pag. 254. *Veriſſima eſt hæc aſſertio; nam quod non omnes recipiant auxilium gratiæ certiſſimum eſt, ſaltem de infantibus abſque baptiſmo ante uſum rationis morientibus. Quod autem auxilium illud gratiæ recipiant omnes adulti, ut pervenire poſſint ad fidem, non eſt definitum, imo contrarium docent ſatis communiter Theologi de iis, quos vocant negative infideles*. Appoſite. Disjecit, diſrupit, evertitque ipſemet inſimulator omnia criminationum ſuarum machinamenta; ita enim argumentamur: Quod deſcendit ex *antecedenti Dei voluntate*, & *ex communi humani generis redemptione*, debet convenire omnibus & ſingulis hominibus, nemine excepto; quoniam *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, & *Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt*. Hæc propoſitio non poteſt negari ab homine ſanæ mentis. Atqui *reapſe recipere auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum*, non convenit omnibus & ſingulis hominibus, nemine excepto. Hæc propoſitio, fatente Anonymo, *veriſſima eſt*; quoniam auxilium gratiæ non recipiunt infantes decedentes ſine baptiſmate, nec juxta ſententiam *ſatis communem* ii omnes, qui dicuntur *negative infideles*. Ergo *reapſe recipere auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum*, non deſcendit *ex voluntate Dei antecedente*, & *ex communi humani generis Redemptione*. Ad voluntatem ergo *antecedentem*, quæ connotat communem cauſam, humanamque naturam a Verbo Deo in veritate ſuſceptam, pertinet gratiam, quam Chriſtus ſua morte promeruit, *omnibus præparare atque exhibere*; ad voluntatem vero *conſequentem*, quæ reſpicit homines in certis circumſtantiis conſtitutos, ſpectat eamdem gratiam *ſecundum Dei beneplacitum actu conferre*. Duo ergo perſpicue demonſtrata ſunt, primum in ſententia noſtra omnibus tam prædeſtinatis, quam reprobis *præparata eſſe, exhibita, & quantum eſt ex parte Dei, etiam collata* auxilia omnia gratiarum: alterum vero, hanc *præparationem*, atque *exhibitionem*, & quantum eſt ex parte Dei, munificentiſſimam largitatem, eſſe id, quod requiritur ad voluntatem *antecedentem* ſalvandi omnes, & ad Salvatoris noſtri univerſalem communemque redemptionem.

Noris ad Germ. 18. tom. 1. pag. 1477. & 1480.

Janſ. Red. pag. 240.

III. Hinc apparet omnia, quæ mihi objicit adverſarius, gerras eſſe, apinas, luſioneſque verborum; quamquam neſcio num luſio dicenda ſit audacia, qua nos e Catholicorum numero extrudit. Brevi videamus quid ponderis habeant illius dicteria. Poſtquam animadvertit explicari a me *antecedentem* Dei voluntatem *per impoſitionem ordinis, per ordinationem rationalis creaturæ ad finem ſupernaturalem, per inſtitutionem cauſæ noſtræ liberationis*, atque *præparationem exhibitionemque gratiarum*, putat lectorem hærere ſuſpenſum, ignorando quid *his novis atque inuſitatis verborum involucris ſignificet Frater Berti*.

Porro non eſt *novum*, quod homini in lectione Theologorum parum, aut nihil verſato, atque, ut conſtat, craſſæ pinguiſque minervæ, ipſæ inſignium virorum præceptiones videantur eſſe *involucra*. At conſulto cap. 1. §. 6. iſtorum virorum documenta præmiſi, ſi forte per eorum lectionem obvoluta illius mens ab involucris extricaretur. Legat ergo, ac diſcat voluntatem Dei *antecedentem*, & univerſalem humani generis redemptionem exponi *per auxiliorum præparationem* ab omnibus Thomiſtis: *per inſtitutionem cauſæ noſtræ liberationis* a Doctore Angelico: *per ordinis impoſitionem* ab Ægidio Romano: *per inſtitutionem mediorum ad ſalutem* a Cardinali de Lauræa. At inquit adverſarius: *Theologus iſte admiſit duntaxat media exteriora omnibus univerſim hominibus communia*. Hac in re ex n. 1. apertiſſimi mendacii revincitur. Proſequitur: *Idem Theologus docet Deum parvulis in utero matrum vita functis non providiſſe media, quibus illis æterna ſalus reddatur poſſibilis*. Mentitur iterum; *media* enim ad ſalutem neceſſaria *omnibus parata* eſſe, dictum ſupra: ac repetitum etiam in quæſtione *de parvulis* tom. 3. pag. 449. ubi ſcribo concedendum eſſe pro iiſdem parvulis in utero matrum denatis *medicinam peccati paratam & inſtitutam, quod extra omnem controverſiam poſitum eſt*. Quod ſi ibidem dico, *Nulla his gratia actualis confertur*, loquor aperte & abſque fuco, *de collatione mediorum*, non de illorum *præparatione*: & conſentientes habeo Thomiſtarum nobiliſſimos, inter quos Thomam de Lemos lib. 4. Panopliæ p. 2. tract. 3. cap. 15. n. 215. Gonet diſput. 5. de Reprobat. art. 5. §. 3. nu. 166. alioſque; imo & ipſum Anonymum ſcribentem pag. 254. *Quod non omnes reapſe recipiant auxilium gratiæ certiſſimum eſt, ſaltem de infantibus abſque*

Lemos tom. 4. p. 2. pag. 78. Gonet tom. 2. pag. 96.

Neſcio cur Anonymus dicat a quibuſdam: Thomiſtæ inquiunt, Omnibus circumſtantiis. Vide Gonet diſp. 4. art. 1. §. 1. n. 4.

que baptiſmo ante uſum rationis morientibus. Inſurgit Anonymus: *Manifeſte docet F. Berti Deum inſtituiſſe quidem pro parvulis in utero materno decedentibus, ſicut pro ceteris omnibus Sacramentum Baptiſmi; non tamen voluiſſe illis iſtud applicari*. Ceterum neque id objectaret, ſi percepiſſet actualem auxiliorum applicationem non *antecedentis* Dei voluntatis, ſed *conſequentis* effectum eſſe; aut ſi legiſſet in aliquo Thomiſtarum, *Deum ab æterno ſtatuiſſe voluntate abſoluta, vel conſequenti non dare omnibus ſupernaturalia auxilia, videlicet eis, qui revera non erant recepturi*, ut loquuntur Bannes 1. p. q. 23. art. 3. aliique apud Alvarez de auxiliis diſp. 113. n. 4. Inſiſtit calumniator: *Patet magnum intercedere diſcrimen inter Fratris Berti, & Theologorum Orthodoxorum doctrinam. Theologi enim Orthodoxi, qui docent Chriſtum pro ſalute omnium omnino hominum, etiam parvulorum in materno utero defunctorum, eſſe mortuum, aſſerunt conſequenter Deum omnibus illis contuliſſe, obtuliſſe, vel ſaltem præparaſſe media, quibus ſalus æterna reddita fuerit illis poſſibilis*. Verum ſuomet laqueo præfocatur artifex calumniarum: conſtat enim ex dictis nu. 1. in mea ſententia & parvulis & adultis *omnibus* auxilia, ac media ad ſalutem *præparata fuiſſe*: igitur fictitium eſt diſcrimen doctrinæ noſtræ a doctrina Theologorum Orthodoxorum. Inſurgit autem: *Vaſquez, qui cenſuit iis infantibus non fuiſſe præparata media, quibus illis poſſibilis redderetur æterna ſalus, opinatur quoque pro illis mortuum non eſſe Chriſtum*. Sed nunquam mendacium a calumnia divellitur: Vaſquez enim affirmat, non negat pro illis infantibus *Chriſtum mortuum eſſe*, quoniam etſi Deus nolit eis media ſufficientia *applicari*, in Eccleſia tamen *etiam pro illis inſtituta ſunt, & ſi applicarentur, effectum haberent*, ut demonſtravimus cap. 1. §. 6. num. 11. & unuſquiſque legere poteſt apud ipſum Vaſqueſium tom. 1. edit. Lugdun. pag. 465. & 466. Concludit veritatis tuba, & eruditionis prodigium: *Frater Berti contendit ſimul, & Chriſtum pro illorum ſalute mortuum, & Deum nolle ut ipſis applicentur media, quibus ſalus æterna ipſis reddatur poſſibilis. Nonne hæc duo contradictoria ſunt?* Reſpondebunt pueriliter argumentanti pueri ac tyrones ſcholarum: Per Chriſti mortem *remedium eſſe inſtitutum, ſed voluntate conſequente non applicari occulto, ſed juſtiſſimo Dei judicio*; & contradictoria quidem fore, ſi diceretur, *Eſt inſtitutum, & non eſt inſtitutum, Deus vult applicari, & non vult applicari*; in his autem enuntiationibus, *Remedium paratum atque inſtitutum eſt*, &, *Remedium juſto Dei judicio non applicatur*, inveniri contradictionem ſolus ille arbitrabitur, qui polleat inſimulatoris hujus præſtanti, præclaro, perſpicaciſſimo ingenio. Nobis interim melimela hæc deguſtantibus, ſinamus reſpondere Lemoſium ita ſcribentem præc. cap. 15. num. 215. *Dico parvulis, qui vel in uteris maternis, vel qui jam in iſtam lucem venerunt, & ſine baptiſmo mortui ſunt, nullum omnino ſufficiens auxilium fuiſſe applicatum, quia pro omnibus etiam pro ipſis a Chriſto* INSTITUTUM *fuit, quod per Eccleſiam eis potuit applicari, & de facto applicaretur, niſi aliud ordinaſſent divina judicia, utique juſtiſſima. Cum ergo parvuli illi, qui ſic pereunt, ad illam univerſitatem pertineant, de qua dictum eſt, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & alias ſimiles Scripturæ univerſales locutiones, ex quibus ſolet ab aliquibus deduci omnibus dari auxilium ſufficiens, ut hac ratione tales univerſales locutiones verificentur, ſatis convincitur ex vi illarum non inferri omnibus talia auxilia ſufficientia dari, ſed aliquibus juſte in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis negari, quod ſine nulla dubietate manifeſtatur in prædictis parvulis*. Ex ipſa ergo parvulorum cauſa, qua ſæpiſſime utitur Auguſtinus adverſus Pelagianos, ut oſtendimus eadem pag. 446. infertur *applicationem* auxiliorum non ſpectare ad illam voluntatem Dei *antecedentem*, quæ ad omnes Adæ poſteros univerſim extenditur.

IV. Ejuſdem omnino generis, ac præcedentia, ſunt quæ Anonymus objicit ad pag. uſque 253. Ait primo, me *nullam in reprobis agnoſcere veram gratiam ſufficientem*, ſed tantum in Chriſti redemptione *pretii ſufficientiam*; & eſſe minus ſinceriorem Janſenio, quoniam & is admittit *mortem Chriſti ad delenda omnia peccata abunde ſufficientem, at paullo ſincerior* aſſerit *Chriſtum pro ſalute reproborum non eſſe mortuum*, ideoque a me eumdem Janſenium differre *verbis duntaxat, non re*. Sed cum nolim ulterius ficulneas iſtas machæras retundere; obſecro cæcutientem inſimulatorem, ut ſibi palpebras obungat, & videat vel tom. 3. *Theol. Diſcipl.* pag. 361. vel hujus diſſert. cap. 1. §. 13. nu. 7. vel hoc eodem §. num. 1. me *præter ſufficientiam pretii* ad communem redemptionem requirere *ejuſdem pretii oblationem*, nec non factam pro omnibus *inſtitutionem remedii, & præparationem, atque exhibitionem omnium gratiarum*, quæ neceſſariæ ſunt ad conſecutionem ſalutis. Addit me ideo arguendum eſſe, quoniam contendo *virtute voluntatis antecedentis remedia non applicari*; atque hinc concludit: *Etſi aſſerat F. Berti Deum velle voluntate antecedenti omnes homines, nemine prorſus excepto, ſalvari, non ideo vult iis omnibus conferri, offerri, aut ſaltem præparari gratias interiores ad ſalutem vere ſufficientes*. Quis vero curculiunculis iſtis minutis, vitioſa glande, & inani putamine vilioribus iterum reſpondebit? Auxiliorum actualis *applicatio* eſt alicujus effectus productio: ideoque non pertinet ad voluntatem *antecedentem*, ut a conſequenti diſtinctam. Ex *non applicatione* autem *non præparationem* inferre, non Theologi eſt, ſed trioboli treſſiſque logiculi; atque aſſerere quod in mea ſententia interiores gratiæ ſufficientes ſingulis *non præparentur, nec exhibeantur*, non ſolum eſt hominis debacchantis ſed etiam rimarum, unde mendacia effluunt, pleniſſimi. Vide paullo ſupra num. 1. Repetit, *a me nullas admitti gratias interiores*, quibus ſalus æterna reprobis reddatur poſſibilis, niſi gratias illas, *quæ cupiditatem vincere non poſſunt*: ideoque dum ſcribo, omnes homines, quandiu vivunt, eſſe in via, qua ad ſalutem pervenire poſſunt, omnes habere jus accedendi ad Eccleſiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gratiam, quam hæc efficiunt, omnibus eſſe exhibitam miſericordiam, & præparata divinorum beneficiorum munera, pro omnibus Chriſtum abunde & cumulate ſatisfeciſſe, & pretium redemptionis exhibuiſſe, (quæ omnia pag. 246. & ſeq. a me doceri fatetur) *uti exquiſito, atque fucato verborum apparatu*, & nihil aliud ſignificare, quam Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe *quantum ad ſufficientiam pretii*, quantum *ad communitatem cauſæ*, & quantum *ad generalia ſalutis media*, univerſo humano generi propoſita; ſed in mea ſententia *antecedentem voluntatem* nullas complecti *interiores gratias ad ſalutem vere ſufficientes*, ac proinde gratias illas non fuiſſe reprobis præparatas: poſtquam vero hæc ſemel, iterum, tertio, ac ſæpiſſime repetivit, recoxit, atque ſus deque vertit, fatetur pag. 252. me non propugnaſſe *expreſſe hæreſim quintæ propoſitionis*, ſed nihilominus *de hæreſi damnata eſſe valde ſuſpectum*, quoniam ſilentio præterivi ſenſum, & dogma *vi cenſuræ propoſitionis hujuſmodi definitum*; ſubjicitque præclaram illam ſententiam: *Error, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas, cum non defenſatur, opprimitur*.

Janſ. Rediv. a pag. 244. uſque ad 253.

Ceterum hæc omnia nec obulo digna ſunt, nec teruncio, nec caſſa nuce. Quod enim autumat, a nobis non agnoſci *interiores gratias, niſi quæ ſuperant cupiditatem*, refutatum eſt §. 3. & 8.: quæ addit de noſtra *voluntatis antecedentis* explicatione, diſpuncta ſunt cap. 1. §. 6. necnon in præſentibus diſcuſſionibus: quæ appellat *exquiſitum fucatumque apparatum verborum*, eſſe enuntiationes inſignium Theologorum, Sanctorumque Proſperi, ac Thomæ, evidens eſt, tum ex tom. 3. *Theol. Diſc.* pag. 356. tum ex præcitato §. 8. num. item 3. quod ſubjicit me denegare interiora auxilia gratiæ ſufficientis omnibus, etiam reprobis, *præparata*, eſt ſæpe ſæpiuſque rejecta calumnia: quod poſtremo ait, me in explicanda *antecedente Dei voluntate* non proſcribere ſenſum in quinta propoſitione *definitum*, eſt atrociſſima ac intolerabilis injuria iis omnibus illata, qui voluntatem antecedentem, communemque rationem humanæ Redemptionis, eodem prorſus modo, iiſdemque vocabulis expoſuerunt; de quibus plura cit. cap. 1. §. 6. num. 3. & deinceps uſque ad 17. Itaque Anonymi criminationem cum tot farciminibus non uno cochleare excreverunt, atque inepte objicitur nobis præclara illa ſententia, quam impoſtor proferens hoc in loco, & in quadam *appendice* inferius ventilanda, atque utrobique ſine auctoris nomine, videtur ignorare, cui ſit adſcribenda. Id nos, quamquam nullo numero eſſe arbitratur, docere poſſumus virum hunc æque temperatum, ac eruditum, de quo jure repetendum illud Homeri x. Odiſſ.

Iſte ſapit ſolus, reliqui verſantur in umbris.

Extat ergo ſententia illa in *Decreto* Gratiani diſt. 83. cap. *Error*, ibique tribuitur Innocentio. At in editione Romana ann. 1726. quam exornavit Juſtus Fontanini Archiepiſcopus Ancyranus tom. 1. pag. 97. recte adnotatur, *carptim ſumptam eſſe ex epiſt. 1. Cæleſtini I. cap. 1. ad Epiſcopos Galliæ*. Hæc vero Cæleſtini epiſtola ſcripta eſt adverſus eos, qui, *cum ſibi diſcere magis competeret, quam docere*, conabantur *naufragio mergere, quos intra portum ſtantes ſtatio facit fida ſecuros*; & nitebantur *etiam quieſcentium fratrum memoriam diſſipare*, ut legitur eodem cap. 1., ſive adverſus eos, qui jactantes in libris Auguſtini *damnabilia ſe reperiſſe*, ut ab his, *quæ infamaſſent, curam exterriti lectoris aver-*

App. tom. x. Op. Aug. pag. 131. & 197. & 207.

averterent, publicarunt quædam capitula, *quæ damnationis titulo prænotarunt*, eaque circumferebant asserentes *prodigiosa illa mendacia*, *talia in nostro sensu esse*, *qualia diabolico continerentur indiculo:* inter quæ mendacia primum erat, *Quia Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus*; alterum, *Quia Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint:* quæ duo quemadmodum Augustino, ita nobis ejusdem filiis ac discipulis immerito objiciuntur.

V. Carpit deinde Anonymus num. 12. omnes propositiones meas de Gratia sufficiente lib. 18. cap. 8. Harum prima est: *Deus pro omnibus ac singulis remedia salutis instituit, paravitque, exhibuit, & quantum est ex se nulli prorsus mortalium denegat supernas illustrationes, aliarumque gratiarum beneficentissimam largitatem.* Cum vero hæc sola propositio cuncta illius mendacia revincat, atque evidentissime prodat, ait a me eo tantum sensu enuntiari, in quantum comprehendit *media duntaxat exteriora, non autem gratias internas, easque sufficientes.* At quis mortalium, nisi obductæ frontis, & linguæ non redargutæ, *indefinitam* enuntiationem ad gratiam Pelagianam audeat coarctare, cum in procemio ejusdem libri pag. 377. declaraverim me disputaturum *de Gratia Christi*, de qua Scholastici disputationes instituunt? Nunquid *Gratia Christi* exterior est tantummodo, aut Scholastici de exteriori tantum gratia disserunt, ubi quærunt an sit necessaria ad tentationes vitandas, & an aliquibus denegetur? Quis etiam, nisi in turpissima inscitia versetur, dixerit *remedia salutis*, *supernas illustrationes*, & *alia divinartm gratiarum munera* ad externa duntaxat auxilia restringi? Verum istiusmodi ineptias refutavi paullo supra num. 1. Adde tamen, me eodem capite pag. 442. aperte distinguere *gratias exteriores*, *vim & efficaciam instituti remedii*, & *auxiliorum præparationem:* ideoque mentitur, quisquis ait a me *auxiliorum* nomine intelligi *gratias duntaxat externas*. Adde rursus, me eodem cap. pag. 451. scripsisse, *Gratia sufficiens ad credendum*, de qua disputo Prop. 6. *nequit aliud esse, quam sancta de amplectenda fide cogitatio & affectio:* cui autem, nisi cucurbitam gerat pro cerebro, *cogitatio & affectio* externæ sunt? Adde etiam, me ubique gratiæ sufficientis nomine intelligere supernam, intimamque inspirationem bonæ voluntatis, ut constat ex eodem tom. 3. pag. 148. 454. 459. &c. in quibus locis gratiam illam sufficientem appello *pium animi motum*, & *bonam voluntatem: mentis illustrationem*, & *inspirationem caritatis: gratiam internam, qua Deus nobis loquitur illapsu*, & *subministratione spiritus sui: piam cogitationem, interiorem sensum, bonum desiderium*. Adde & istud, Anonymum art. 8. a pag. *Jansen. Red.* 207. usque ad pag. 222. recoctis, verbosissimis, infinitis argutiunculis (rejectis contritisque §. 8.) nobis objecisse, quod in nostro systemate non detur gratia sufficiens, quoniam hæc inspirat *voluntatem bonam* quidem, sed *parvam*, sed *imperfectam*, sed *nondum idoneam*. Et hæc voluntas non excitatur in corde? Hæc voluntas homini exterior est? Torqueat ergo se, ut potest, fallax insimulator: ea propositione prima docuimus gratias interiores, & vere sufficientes a Deo omnibus *præparatas esse*, *omnibus exhiberi*, & *quantum est ex parte Dei*, *nulli prorsus hominum denegari*: ideoque hanc propositionem commemorando suam illam artificiosam Jansenismi machinam imprudens architectus uno ictu confregit. Altera, quam rodit, propositio est: *Non est de fide, quod auxilium gratiæ omnibus misericorditer exhibitum ac præparatum omnes rapse recipiant*. Veram hanc, imo *verissimam* dicit, & ea tantum de causa vellicat, quod non scripserim *nonnullis saltem reprobis dari auxilia ad salutem sufficientia*. At duo hic adverte: primum fateri adversarium, quod in sententia nostra gratiæ auxilium omnibus sit *exhibitum ac præparatum*, ideoque a nobis agnosci beneficium mortis Christi in omnes copiosa redemptione diffusum: alterum vero, anonymum dum ex *præparatione* ad actualem *collationem* progreditur, & dum ex hoc antecedenti, *Non omnes recipiunt*, infert sententia nostra nullis reprobis dari auxilia sufficientia, magnum esse dialecticum, & longurionem tredecim cubitorum. Sed repete dicta num. 1. Tertia nostra propositio est: *Non est necessaria ad imputationem peccati præsens & actualis divinæ gratiæ inspiratio*. Hic rursus nos calumniatur, ut fecerat art. 6. n. 8. quasi asseramus hominem libere peccare, etiamsi *peccatum vitare non possit*, eo quod pag. 442. scripserimus, liberum arbitrium sine gratia sibimet sufficere ad peccandum, & nihilominus habere libertatem indifferentiæ, quoniam determinatum non est *ad hoc, vel illud privatum, noxium, ac prohibitum opus*. Sed doctrinam meam communem esse inter ceteros Orthodoxos, qui ajunt non sem-

Jans. Red. pag. 253. De Theol. Disc. tom. 3. p. 440. 441. 442. 445. 446. 448. & 455.

per omnibus & singulis hominibus excæcatis, & a fide alienis adesse auxilium sufficiens ostendimus §. 6. num. 8. ubi accusatoris inscitiam, consectaria, & in omittendis verbis Theologorum idem, quod a me traditur, affirmantium, aut socordiam aut circumventionem, satis superque repressimus & castigavimus. Quarta propositio nostra ista sonat: *Cuilibet fideli, nisi libere ponat obicem, adest gratia orationis, qua impetrare potest auxilium immediate sufficiens ad implenda mandata: hac tamen gratia destitutus est infidelis*. Inquit Anonymus me ea clausula, *nisi libere ponat obicem*, negare gratias sufficientes cuilibet fideli. Quare? Quia in systemate nostro obex ille est peccatum; a peccato autem in systemate itidem nostro *non possumus absque gratia abstinere*: ideoque assertio nostra *omnino est fallax, & illusoria*. Verumtamen fallax potius & illusoria est argutatio adversarii: in omnium quippe Augustinensium, ac Thomistarum sententia, eorum saltem, qui negant auxilium sufficiens adesse omnibus, etiam sine gratia homo libere peccat, ideoque *libere ponit obicem*: unde §. 3. num. 5. scripsimus sufficientem gratiam deesse *libere volentibus, & libere ponentibus impedimentum*. Quomodo id eveniat explicatum est supra §. 6. numero 8. & fusius capit. 1. §. 4. numer. 4. & sequentibus. Ut addam pauca: optime hæc duo cohærent, quod impii libere ponant impedimentum gratiæ, etiamsi ad non ponendum impedimentum gratiæ indigeant superno auxilio, quo carent; quia ad peccandum & ad malum voluntas *seipsa sufficit*, ad non peccandum & ad bonum non sufficit, *nisi adjuvetur a Deo*. Hinc S. Thomas 3. contra Gentes cap. 159. & 160. plura docet, quæ universa a nobis enuntiata comprehendunt. Ait primo: *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri*. En voluntas *antecedens* salvandi omnes explicata per gratiæ præparationem. Sequitur S. Thomas: *Sed illi gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur*. En gratia denegata aliquibus ob impedimentum, quod prava voluntate libere ponunt, explicatum a nobis eadem solis comparatione tom. 3. pag. 458. Addit Sanctus Doctor: *Quod autem dictum est, in potestate liberi arbitrii esse, ne impedimentum gratiæ præstet, competit iis, in quibus naturalis potentia integra fuerit: si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erit omnino in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare*. En quod si impius impedimentum non ponat, deputandum est gratiæ, & non illius potestati. Prosequitur Scholarum Angelus: *Unde apparet stulta Pelagianorum opinio, qui dicebant hominem in peccato existentem sine gratia posse vitare peccatum*. En gratiæ necessitas, ne in peccata labamur. Post hæc ait Doctor egregius: *Quamvis autem illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur: nihilominus autem hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur*. En impotentia *libere volita*, quam ego iisdem S. Thomæ verbis explicavi pag. 454. & 467. tom. 3. Th. Discipl. Concludit Scholarum Columen: *Præterea licet ille, qui est in peccato, non habeat hoc in propria potestate, quod omnino vitet peccatum, habet tamen potestatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum: unde quodcunque committit, voluntarie committit, & ita non immerito imputatur ad culpam*. En libertas a Sancto Thoma explicata per hoc, quod voluntas non sit determinata *ad hoc, vel illud privatum, noxium, ac prohibitum opus*. Fallax ne est, & illusoria sententia nostra? Eam quoad omnes partes tradidit S. Thomas, neque hoc tantum in loco, sed etiam in aliis, de quibus vide Thomam de Lemos libro 4. Panopliæ p. 2. tract. 3. cap. 11. num. 154. & seq. pag. 66. Nostra propositio quinta est: *Nullus absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu*; in qua nihil aliud vellicandum invenit molestissimus censor, nisi quod ad potentiam *proximam*, atque ab omni impedimento *expeditam*, qua possimus præsumptionem vitare, & coercere perduellem concupiscentiam, requirat Schola nostra gratiam victricem: sed plura de hac *potentia proxima*, & de Catholicis ac præstantibus viris, a quibus verborum quoque phrases mutuati fuimus, cap. 1. §. 2. n. 4. & §. 4. num. 3. cap. item 2. §. 7. num. 1. & 2. ac §. 8. num. 2. & 3. Sexta nostra propositio est hujusmodi: *Est probabilior sententia, auxilia, quæ omnibus divina munificentia præparavit, quibusdam aliquando deesse ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum*. In hac impostor calumniatur quod non addiderim *gratias vere sufficientes dari nonnullis*

S. Thomas to. 9. pag. 415. Similia 1. 2. q. 109. art. 8. ad 1. sive tom. 11. pag. 251. Vide etiam de Veris. q. 24. art. 12. ad 7. seu tom. 8. pag. 452.

nullis saltem reprobis; sed ineptissime iisdem crepundiis oppedit: nam si dico auxilia omnibus esse parata, & negari ob impedimentum demeritorum, equidem doceo quod negat Jansenius, ut ostendi §. 6. numer. 1. & probo quod de voluntate *antecedenti* tradunt Theologi præstantissimi eodem §. laudati: si addo auxilium sufficiens aliquando quibusdam deesse, profecto non dico deesse omnibus reprobis, ut opinatur delator, forte ignorans quid sit *menuisse*, ac tribuens voluntati *antecedenti* Thomistico sensu explicatæ actualem distributionem gratiarum, quæ cum sit effectus in re productus, evidentissime spectat ad voluntatem *consequentem*, atque efficacem. Tandem propositio nostra septima est: *Quisquis non adjuvatur a Deo, per gratiæ submINIstrationem, queri debet de prava sua voluntate, non de Deo ipso beneficentissimo gratiarum suarum largitore*. Et nihil hic corrodendum adinvenit, nisi quod non expresserim *gratiam concedi aliquibus saltem reprobis*: quod ait a me *artificiose* factum, ne mihi aperte contradicerem. Quod puto alia non indigere confutatione.

VI. Impendam nunc aliquantulum operis, ut quilibet percipiat, quisnam *artificiose* se gesserit, an accusator, an ego. Primo hæ omnes propositiones enuntiatæ sunt universim, quatenus comprehendunt *omnes reprobos*: & criminator ita singulas accepit, quasi in sententia nostri *nulli reproborum* conferatur gratia. II. Responsiones nostræ eadem loquendi universitate proponuntur ab omnibus Theologis, qui negant *auxilium sufficiens* semper omnibus & singulis adesse, ut unusquisque deprehendere potest lectione Scriptorum, quos laudavi tom. 3. pag. 439. & vitilitigator harum propositionum texturam adtribuit *artificio & fraudi* hominis Janseniana labe corrupti. III. In harum propositionum probationibus quidquid produco ex Sanctis Augustino, Prospero, ac Thoma, atque ex clarissimis Theologis depromptum est, horumque omnium testimoniis corroboratum: conviciator autem neglectis omnibus momentis, nec Patrum ac Theologorum mentione facta, exoletæ anui assimilis garrit, blaterat, rugosamque frontem perstringit. IV. Disputandum est *de voluntate antecedenti*, & *de redemptione* prout ad omnes extenditur; & architectus fallaciarum cuncta detorquet ad *actualem* gratiæ distributionem. V. In cunctis illis propositionibus sermo instituitur de gratia *necessaria ad consequendam salutem*, *& de sancta cogitatione & inspiratione* divinitus immissa; ac tortuosus insectator singula interpretatur *de gratia duntaxat exteriori*. VI. Fatetur expresse a me doceri, *Deum velle voluntate antecedenti ut omnes homines salvi fiant, & Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*; & ne me a Janseniana hæresi pronuntiet immunem, usurpator divinorum judiciorum inquit hæc non dici *intentione Catholici pectoris*. VII. Constantissime doceo *omnibus parata esse salutis remedia, omnibus exhiberi gratiam, pro omnibus Christum obtulisse pretium redemptionis*, & homo amarulentus atque iracundus clamat a me tradi solam *pretii sufficientiam*, & me esse Jansenio callidiorem. VIII. Utor ad explicandam communem redemptionem iisdem verbis Sanctorum Prosperi, ac Thomæ: & vir alborum præcordiorum ea appellat *nova & inusitata involucra verborum*. IX. Demonstrandum aggreditur me esse Jansenianum, & sub cortice septem propositionum latere peremptorium præsentissimumque venenum; atque insimulator in nugas mersus nil aliud repetit, quam figmentum illud suum, me nullibi affirmare *sufficientem gratiam nonnullis saltem reprobis a Deo concedi*. X. Romani censores ex præmissis propositionibus definite concludunt. „ Si consideri tutta la connessione della dottrina del P. Berti, si comparino gli antecedenti e conseguenti, le risposte colle obbjezioni, e si scorgerà manifestamente esser falsissimo, che niente si dica dal P. Berti, che un buon Giansenista non possa dire. Un buon Giansenista dirà egli, che Iddio voglia salvar tutti gli uomini senza eccezione? concederà egli che Iddio abbia preparati per tutti quanti gli ajuti sufficienti, con li quali possano conseguire la salute, se vogliono? Un buon Giansenista, come scrive il Padre Berti tom. 1. pag. 391. *voluntatem hanc generalem a statu naturæ lapsæ procul ablegat, nullam gratiam admittit, cui liberum arbitrium resistat: nullam sinceram voluntatem salvandi, nisi prædestinatos, nullum, præter electos, a Christo Reparatore redemptum:* at cavillator ex iisdem propositionibus inferri pronuntiat, *me esse reprehensione dignum, & de hæresi damnata valde suspectum*. Igitur Insimulator aut cardine versatilior est, aut latrunculis ludit, aut sibi placens ingeniumque suum ostentans dementior est terebintho. Si hæc autem videantur alicui plus æquo asperiora; animadvertat acui a me stylum in hominem, qui me pluſquam eversas urbes sale perfundere, & vespa acerbior aculeis irritare tentavit; imo nec stylum acui sed temperari atque obtundi, quum nec sint ista eorum, quæ promeretur pars minima. Ipse quoque adversarius memoria repetat Terentianum illud:

Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse, sic existimet
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior.

In Prol. Eunuch.

VII. Dixi paullo supra figmentum somniumque esse criminatoris, quod existimaverit sententia nostra *nullas gratias sufficientes conferri aliquibus reprobis*. Primo enim constat ex num. 1. nos arbitrari neminem reproborum ita deseri a Deo, ut interdum illi non inspirentur *sanctæ cogitationes ac pia desideria*, quamquam in pluribus ob animi perversitatem cito avolent, atque pertranseant. Deinde si legerit nostram *de Reprobatione* dissertationem, deprehendet a nobis tom. 1. pag. 518. assignari primum ejusdem reprobationis effectum *justam denegationem supernaturalium auxiliorum, non omnium, sed eorum, quæ efficaciter ad gloriam perducunt, quorum non sunt vasa iræ, filiique perditionis participes*. Excepta itaque *finali perseverantia*, quæ proculdubio est donum specialissimum electorum, reproborum permultis non tantum auxilia sufficientia, sed etiam efficacia, immo & justificationem, a qua tamen libere peccando decidunt, divinitus dari fatemur. Præterea in quintam Jansenii propositionem tom. 3. pag. 355. affirmo *voluntate consequenti* passionem Christi non omnibus eodem modo applicari, *sed aliquibus gratiam sufficientem, aliquibus auxilium efficax, aliquibus etiam donum finalis perseverantiæ conferri*. Et rursus aliquibus privatis *perseverantiæ dono*, ideoque reprobis, auxilium sufficiens actu collatum, aliquibus aliis etiam auxilium efficax. In eodem volumine pag. 332. disputans de justificatione demonstro ex Augustino, *quosdam de filiis perditionis aliquando fideliter & juste vivere, & postea cadere, atque ex duobus piis huic donari, illi autem non donari perseverantia usque in finem*; ideoque affirmo dari filios perditionis ac reprobos, qui non solum auxilium sufficiens acceperunt, verum etiam fuerunt aliquando pii, fideles, ac justi. Tomo item quinto pag. 449. assero Christum pro omnibus mortuum esse, sed reperiri permultos, qui non recipiunt, ut ait Tridentinum, *mortis ejus beneficium*, atque hoc comprobari experientia reproborum multorum: *quorum aliqui prædicato Evangelio non credunt, aliqui susceptæ fide transgrediuntur mandata, aliqui a justificatione statim decidunt, aliqui demum justitiam, quam diu servaverant, miserando lapsu pessundant*. Nescio itaque, undenam in mentem venerit homini micam salis habenti, quod sententia nostra *nulli reproborum* detur gratia vere sufficiens; ac multo magis ignoro, quomodo id erui possit ex iis assertionibus, in quibus diximus idem auxilium *omnibus paratum esse, & omnibus exhiberi*: & certe aut ego nil habeo cerebri, aut cerebrum adversarii sex capit congios.

Janf. Red. pag. 198.

VIII. Anonymus tamen, quasi figmentum illud suum foret Achillis hasta, atque ut solent in tragœdia comici, jugulans mortuos, & luctans cum larvis, clamat nec me *orthodoxe* sentire in refutandis oppositionibus, quæ fieri solent adversus eos, qui negant auxilium sufficiens adesse omni momento universis. Ei autem, ut nos impetat argivis insectationibus, præbet ansulam, quod objicientibus scripturarum sanctarum auctoritate Deum nolle aliquem perire, stare ad ostium & pulsare, illuminare omnem hominem, omniaque Patris de filiorum salute solliciti implere partes, ita respondeam: *Generalis responsio est, Deum quantum in se est, gratiam singulis paravisse, illam exhibere universis, conferre etiam * volentibus & petentibus, & reluctationem, tenebras, cæcitatem pendere ab humana voluntatis arbitrio*. Hæc, quæ orthodoxa non esse vix linariæ caput somniaret, a me non dicta esse orthodoxe contendit vitiligator; quoniam a se demonstratum putat gratiam singulis exhibitam, sententia nostra esse *gratiam duntaxat exteriorem*: quod in systemate nostro homo gratia victrici destitutus *non possit reluctari, ac tenebras a se depellere*: quod sine gratia removere non possit *impedimentum*; ac demum non habeat *potentiam proximam*, & possit absque gratia abstinere ab *hoc, vel illo peccato*, non autem ab omni peccato in genere.

* Ne intelligas τὸ volentibus *sen. Semipelagiano, ac rejecto eodem tom. 3. pag. 248. sed Augustiniano, & ibidem expositio, ita ut etiam hoc divini sit muneris, ut oremus & petamus; petenti autem & oranti augeatur bona voluntas, ut possit implere divina mandata, qui voluerit, cum valde perfecteque voluerit, ut inquit Augustinus de Grat. & lib. arb. cap. 15. Vide etiam eodem tom. 3. pag. 210.*

Responsio illa, quam nos tradidimus tomo 3. pagina 456. est communis inter Thomistas, eaque utuntur Lemos lib 4. Panopliæ parte 2. tract. 3. cap. 15. numer. 260. & 261. Gonet de Reprob. disput. 5. art. 6. num. 204. Gonzales de Grat. suff. art. 8. pag. 257. &c. Hi etiam addunt responsiones

alias

alias noſtras, quas Anonymus ſilentio prætermittit. Ceterum quum nos tum hoc poſtremo articulo, tum in præcedentibus invictiſſime demonſtraverimus, Anonymum inſigniter decipi, dum ait nos *ſufficientis* gratiæ nomine intellexiſſe gratias tantummodo *externas*; turpiſſime allucinari, ubicunque affirmat in ſyſtemate, quod propugnamus, hominem deſtitutum gratia efficaci ſuccumbere *neceſſitati* ineluctabili; ſupina laborare ignorantia, dum traditam a nobis *potentiæ proximæ* notionem, tanquam recens commentum ſuſpicit, horret, & Vatiniano odio perſequitur; atque dum vellicat quæ diximus *de impedimento libere poſito*, & de juſta culpæ imputatione, quando *homo vitare poteſt hoc, vel illud peccatum*, audacter inſurgere in Sanctum Thomam, cujus verbis uſi ſumus, ut conſtat ex præcedenti n. 5. ac ſatente Tournely, de quo §. 6. n. 9. in omnes Orthodoxos, qui negantes auxilium ſufficiens omnibus & ſingulis excæcatis conferri, iiſdem noſtris reſponſionibus paſſim utuntur: extra omnem controverſiam poſitum eſſe arbitramur, poſtremas conviciatoris reciprocationes adeo fractas eſſe atque eliſas, ut æſtimandæ ſint panno lacero viliores, univerſamque *Janſeniſmi Redivivi* molem non modo everſam ac dirutam eſſe, verum etiam in minutiſſimum pulverem comminutam. Oramus autem Redemptorem & Judicem univerſorum, ut ſi vel in libris Theologicarum diſciplinarum, vel in his vindicationibus conſcribendis fraude aliqua, commentis, ſtudio novitatis, ſimulatione, vitiiſque nobis in omni fere pagella ab inhumaniſſimo, acerbiſſimoque adverſario objectis, uſi fuimus; mortis ſuæ beneficia minime conſequamur: ſi autem curavimus calcare Majorum noſtrorum veſtigia, ſi quæ litteris mandavimus, hauſimus ex documentis ſcriptiſque Orthodoxorum virorum, ſi & ore & corde damnatas hæreſes execramur; exurgat Dominus, & judicet cauſam pauperum: criminatori autem noſtro pro illatis nobis injuriis amplitudinem gloriæ, pro maledictis benedictionem uberrimam, pro atrociſſimis contumeliis ſpiritum caritatis retribuat; nec unquam nobis e memoria excidat, quod dum ipſe Dominus pro humani generis redemptione penderet in ligno, dum potaretur aceto, dum inter iniquos deputaretur, cum lacrymis & clamore valido oravit: *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.*

Lucæ 23. 34.

CAPUT III.

Reprimitur illata Fulgentio Bellelli *viro Clariſſimo Janſeniani erroris calumnia.*

CRedo neminem futurum fore, qui legens in *Janſeniſmo Redivivo* Fulgentium Bellelli *renovare* Janſenianum principium duarum invincibilium delectationum, *quinque propoſitiones inde pullulantes* docere, *mera verba* profundere, ut Orthodoxos *decipiat*, & nobiſcum conjunctum eſſe *peſtifera errorum ſocietate*, fidem adhibiturus ſit homini cujus judicium inconſideratum ac præpoſterum eſſe tot tantiſque momentis oſtendimus. Quiſquis ergo hanc Apologiam majori jam ex parte abſolutam ad extremum uſque perlegere non dedignatur; non ex abjectis inhoneſtiſque coloribus, quibus ab ignoto accuſatore depingitur, Theologi noſtri debet ſibimet imaginem præformare, ſed ex morum ejus probitate, ex munerum amplitudine, atque ex editione librorum ejus, facta ſervatis præſcriptionibus juris, ac probantibus viris ſummis, necnon ex ceteris adjunctis, quæ attigimus in prioris Voluminis præfatione. Ubicunque etiam legentium oculis occurret vocabulum *Bellellini ſyſtematis*, quod interdum in hac poſtrema criminatione repetit lepidus conviciator, rerumque dulciſſimus; ne obliviſcantur lectores eorum, quæ præmiſſa ſunt primo capite, ex quibus conſtat viro percelebri in eadem ſententia præviſſe noſtratium plurimos; ut non immerito compellare poſſimus Vitilitigatorem verbis Joannis Chryſoſtomi Græcorum Patrum eloquentiſſimi: *Tu quidem putas fratrem tantum te contumelia afficere; redundat autem contumelia etiam in locum.* Quanquam vero Scriptor eximius ingenio, quo pollebat, maximo novum, ac de ſuo nomine appellandum ſyſtema elaboraſſet, ex quo criticis narium quoque emunctarum conſequi viderentur proſcriptæ Janſenii theſes; non tamen *Janſenianus* jure diceretur, dum theſes ipſas aperte damnat, negatque a principiis a ſe ſtatutis profluere, juxta monitum viri Cl. Jacobi Boſſuetii: *Conſequentiæ minime attendendæ ſunt, quæ ex aliqua doctrina deduci poſſunt, ſed id ſolum, quod concedit, & quod ponit qui eam docet.* Multo minus invidioſo illo nomine Auguſtinianus Theologus notandus erat, quum ipſius principia caſta & lucida ſint, conſecutiones autem Anonymi, ut mox demonſtrabo, illegitimæ, ac turbulentæ.

Janſ. Rediv. pag. 101. 107. 182.

Chryſoſt. tom. 3. pag. 346. edit. noviſſime.

Boſſuet Expoſ. doct. Cath. n. 5. Id. Bell. tom. 1. pag. 292.

§. I.

Fulgentius Bellelli *non ſtatuit efficacitatem gratiæ in delectatione victrici, quæ cum ſit gradu ſuperior cupiditate*, antecedenti neceſſitate *liberum impellat arbitrium, eique tollat agendi, & non agendi potentiam.*

I. IN priori libro *de modo Rep.* in quo diſputat *de Gratia ſufficiente*, Auguſtinianus Theologus affirmat quidem cum Auguſtino efficacem gratiam a ſufficiente diſtinctam eſſe *delectationem, qua vincitur delectatio peccati*, ſeu *inſpirationem luminoſiſſimæ, & flagrantiſſimæ caritatis*, ut S. Pater inquit cap. 35. de Grat. Chriſt. & lib. 3. Op. imperf. n. 107. at ſedulo monet præter *indeliberatam* delectationem, ſeu gratiam divinitus inſpiratam, admittendam eſſe delectationem *deliberatam*, quæ a libera voluntate divinitus præmota procedit, ac prævenit opera libertatis ac meriti: *Diſcernenda eſt*, inquit, *indeliberata fides a fide deliberata, quæ a libera voluntatis aſſenſione perficitur; ſicut indeliberata caritas a deliberata caritate, ſeu dilectione, optima etiam ratione ſecernitur. Indeliberata enim fides eſt inchoata fides, ſeu ſemen veluti fidei, ſancta videlicet credendorum cogitatio nobis infuſa, quæ ad fidei pertinet initium. Deliberata fides, quæ ad ipſius pertinet incrementum, adhæſionem inſuper liberam explicat voluntatis, qua quis vult credere, fideique mandato parere. Quemadmodum & indeliberata caritas inchoata eſt boni ſalutaris delectatio, quam Deus tanquam caritatis ſemen vel initium largitur; deliberata autem caritas libera delectatio eſt, qua homo ſuaviter delectatus vult ipſe deligere.* En præter inſpirationem *actus indeliberati*, deliberata caritas, & quidem libera, & procedens *a libera adhæſione voluntatis.*

De modo Rep. tom. 1. pag. 3.

II. Explicans lib. 5. cap. 6. efficacem gratiam ſitam *in victrici delectatione*, luculentiſſime declarat, hac non inferri libero arbitrio neceſſitatem. *Efficacitas gratiæ*, inquit, *in eo ſita eſt, quod ſancta delectatio & illuminatio tantum accendatur, & tantum creſcat, ut vincat. Hoc eſt, ut homo gratia operante tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, & ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Cap. 11. de corr. & grat. n. 31. *Quod & dixerat etiam Auguſtinus* lib. 2. de peccat. mer. cap. 17. „ Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tanto enim quidquam vehementius volumus, quanto certius quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius. *Vide ibi. Etenim ut etiam docet in Expoſit. Epiſt. ad Galat. n.* 49. Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt, *Quoniam ſcilicet facta ſuppoſitione, quod virtus, tametſi indifferens, operi ac actioni applicetur, agat tunc, operetur que neceſſe eſt; neceſſitate tamen conſequente, & illationis. Quis enim id neget? Non eſt igitur hæc neceſſitas activæ virtutis, ſeu liberæ poteſtatis, non eſt actus primi, non antecedens. Sed eſt neceſſitas conſequens, neceſſitas ſuppoſitionis, neceſſitas actus ſecundi: quæ etiam a S. Thoma* 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. *neceſſitas infallibilitatis, & certitudinis, hoc eſt certæ, & infallibilis illationis nuncupatur juxta doctrinam S. P. Auguſtini, quam tradit de Sanctorum Prædeſtinatione*, qua certiſſime liberantur, quicunque liberantur. *Iſtiuſmodi vero conſequens neceſſitas, applicationiſque determinatio, quæ dici conſuevit ſenſus compoſiti, non ſenſus diviſi, tametſi ſuſpenſionem auferat, indifferentiam tamen activam ſervat illæſam. Non enim immutat objectum, quod ſic apparet vel imperfectum, vel adeptu difficile, ut apparebat: non cognoſcendi modum, qui æque inter certitudinem & obſcuritatem, vel inter ſcientiam & ignorantiam nutat. Igitur activam, & eſſentialem arbitrii indifferentiam indemnem relinquit. Accidit nimirum indifferenti arbitrio, ſicut nigredo accidit homini, & hominis eſſentiam non diminuit. Etenim ſi in probabili quorumdam cenſetur ſententia, arbitrium gratiam indifferentem determinare, applicare, prævenire, quin gratiæ ejuſdem indifferentiam aliquatenus lædat; cur vice verſa probabile non cenſebitur gratiam ſeipſa efficacem determinare, applicare, & prævenire indifferentem libertatem, quin ab ipſa libertas indifferentiæ damnum vel minimum patiatur? Quin imo ita juvari tenendum eſt, ut concordi vinculo ſimul junctæ in liberam, ſalutaremque actionem exerantur. Vide lib.* 2. *cap.* 16. *ad* 2. *& lib.* 4. *cap.* 39. *ad* 5. Non poterat inſignis Theologus expreſſius declarare neceſſitatem, quæ deſcendit ex victrici delectatione, eſſe duntaxat *conſequentem, atque illationis.*

Ibid. pag. 128.

III. Delectationem victricem esse necessariam in hoc statu duntaxat ratione *actus secundi*, atque ut voluntas libere exeat in actum, ideoque ex ea inferri solam *necessitatem consequentem*, & *illationis*, non antecedentem & absolutam, primis in locis affirmat vir præstantissimus. *Est namque*, ait eodem volumine pag. 127. *adjutorium se ipso efficax applicatio potestatis ad actionem*; & seq. pagina: *Non ergo ad primum actum, sed ad secundum pertinet:* item pagina 133. *Cavendum est, ne determinatio gratiæ in essentiam ipsam arbitrii, seu actum ipsius primum essentialem deriv*etur: ac paullo infra, *Efficacis gratiæ determinatio potestatem indifferentem ad operationem faciendam applicat conjungitque:* pag. itidem 228. *Adjutorium per se efficax ad consequentem spectat voluntatem, estque adjutorium non possibilitatis, sed actionis*: pariter pag. 286. de eodem adjutorio: *Solum secundum actum determinat; applicat enim indifferentem virtutem ad bonum piumque opus:* iterum pag. 288. *Necessitas efficacis per se gratiæ consequens dicitur, quoniam auxilium est, non actus primi virtutis indifferentis, sed applicationis ejusdem ad pium opus, applicatio autem virtutis usus virtutis est. Usus vero non est actus primus, sed secundus.* Poterat ne Augustinianus Theologus expressius docere efficacem gratiam, seu delectationem victricem spectare *ad solum actum secundum*, applicare duntaxat *ad actum potestatem indifferentem*, & necessitatem, quæ inde infertur, esse *consequentem* tantummodo, atque ex suppositione *applicationis liberæ voluntatis*?

Eodem tom. pag. 127. 133. 228. 286. 288.

IV. Quod de Gratiæ delectatione, ita de cupiditate & delectatione carnali tradidit vir illustris, illa scilicet, quamvis robustior sit, non tamen induci *ineluctabilem necessitatem*, scribens lib. 4. cap. 27. *Quoties vero cupiditati delectatio fortis per gratiæ delectationem fortiorem non vincitur, facitque sibi liberum arbitrium consentire, necessitas non est antecedens, sed consequens. Est videlicet nihil aliud, quam applicatio ad consensum indifferentis facultatis, quæ potest illi per gratiam resistere: quæque determinata applicatio, quemadmodum de gratiæ per se efficacis applicatione ad salutare opus diximus, quoniam indifferentiam judicii, & objecti non immutat, ad actum spectat secundum, non primum. Supposito autem quod indifferens libertas, quæ antecedenti virtute potest concupiscentiæ resistere, libere fuerit ad consensum applicata, necesse est ut consentiat, necessitate scilicet consequente, illationis, & suppositionis, quemadmodum Scholæ loquuntur. Ad hanc itaque necessitatem Summos Pontifices Innocentium, & Cœlestinum respexisse non dubitamus*: Necesse est enim, *inquiunt*, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. *Innoc. Epist. ad Conc. Carth. Cœlest. Epist. ad Gall. Ep. cap. 6.*

In eodem Tom. pag. 245.

V. Sequitur vir præclarus eodem capite: *In necessitate absoluta & antecedenti motionum concupiscentiæ indeliberatarum, quas inviti patiuntur homines, quæve omne tempus deliberandi auferunt, plane constat nullam Augustinum culpam agnovisse*: Non enim pati adversitatem carnis, sed duci a carne damnatio est. *Culpam autem, vel meritum in consequenti necessitate gratiæ fortioris, vel fortioris concupiscentiæ agnovit; quia hæc indifferentem actus primi potestatem ad consensum applicat. Hæc vero necessitas non est* sensus divisi, *facultatisque in actu primo inspectæ secundum se; sed* sensus compositi, *actusque secundi ut fert antiqua, & convulsa nunquam, Thomistarum distinctio.*

Ibid. pag. 246.

§. II.

Perspicue tradidit Augustinianus Theologus sufficientem gratiam distinctam ab efficaci.

I. EXscribendum foret totum fere viri eruditissimi Opus inscriptum *de modo Rep.* ac præsertim liber 1. ut veritas apertissime invidis obtrectatoribus eluceseceret. Perpauca tamen illinc excerpta proponam, quæ sat erunt cuilibet moderato proboque lectori. Itaque libro illo primo cap. 4. hæc leguntur: *Interior virtus excitans est illa gratia sufficiens, quæ urgente lege omnibus, & singulis datur hominibus, qui Dei mandatis obedire tenentur; quæque etiam data fuisset, tametsi nullum peccati contagium primævam integritatem humani generis infirmasset. Sed innocenti creaturæ dabatur ex bonitate Conditoris; lapsis autem hominibus ex misericordia Redemptoris.*

De modo Rep. tom. 1. pag. 7.

II. In eodem libro cap. 5. quum paullo antea docuisset sufficientem gratiam, quæ in Adamo innocente proximam potestatem conferebat ad servanda mandata, in hoc infirmitatis statu tribuere potentiam remotam, atque interdum accendere vividiores sanctæ delectationis flammulas, & cum ad implenda præcepta non adhuc proxime sufficit, humanam excitare voluntatem ad orandum; ita prosequitur damnans Jansenii hæresim: *Huic autem interiori, sive proxime, sive remote sufficienti, sive operandi legisque faciendæ, sive etiam orandi adjutorio, quodcunque illud sit, non solum homines resistere, ejusque conatum irritum reddere quinimmo penitus abjicere possunt*, id subinde demonstrans ex Tridentina Synodo sess. 6. cap. 5. ex pluribus Augustini locis, necnon ex damnatione secundæ Jansenianæ propositionis.

Ibid. pag. 9.

III. Satis autem mirari non possumus, quod aliqui Fulgentio Bellelli opponant denegari ab ipso sufficiens auxilium: quum capite 8. ejusdem libri contendat, *nedum justos, sed peccatores insuper, Paganos, Judæos, hæreticos, aliosque hujus generis homines, quotquot scilicet divinis mandatis obligari non dubitamus, sive ut convertantur ad fidem, sive ut reliqua, quæ ad salutem pertinent, exequantur, gratia sufficienti ad orandum, tempore saltem, quo lex obligat, adjuvari*. Immo nec denegavit *auxilium sufficiens*, quandocunque urget præceptum, quibusdam peccatoribus obduratissimis, ut constat ex eodem libro pagina 13. & apertius ex libro 4. pagina 252. idem *auxilium sufficiens ad diligendum Deum super omnia, saltem ut auctorem naturæ*, semper adesse *negative* infidelibus affirmans ipsomet libro pag. 254. ulterius, quam opus foret, progressus: cum obduratorum, atque infidelium singulis *paratum* quidem semper sit auxilium, at non semper urgente quoque præcepto *collatum*; ut docent nobilissimi Thomistarum, & Augustiniani non semel in hoc Apologetico laudati.

Eodem Vol. pag. 15.

IV. In his quidem, aliisque in locis, ubi insignis Theologus commemorat *sufficiens gratiæ adjutorium*, docens pertinere istud *ad actum primum*, esse *auxilium possibilitatis*, non applicationis, *eique resisti*, manifeste distinguit gratiam *sufficientem* ab *efficaci*. Quod & a. libi præstat; atque ad hunc modum differit lib. 3. cap. 5. *Nunquam enim gratia efficax sine sufficiente tribuitur, tametsi sufficiens a Deo sine efficaci donetur sæpissime. Luculento id calamo S. Antistes lib. 4. ad Bonifacium cap. 6. expressit his verbis:* „ Reluctanti enim prius auditus vocationis ipsa Dei gratia procuratur; ac deinde in illo jam non reluctante studium veritatis accenditur. Verumtamen in omnibus, quæ quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum. „

Eodem tom. pag. 127.

V. Perpetuo sibi constans hæc vir doctissimus scribit in altero Volumine ad Prop. 2. Quesnellii, „ Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, &c. „ *Rejicitur hæc propositio. Quoniam gratiæ Jesu Christi generatim sumptæ perperam restrictio illa additur*, Principium efficax. *Non enim omnis gratia Jesu Christi efficax est, sed duplex est distinguenda*, sufficiens, & efficax. *Vide 1. P. lib. 1. & lib. 2. cap. 1. & lib. 4. cap. 2. & seqq.* Post pauca: *Duplici namque modo facit Deus bona salutis opera possibilia*, possibilitate virtutis *per gratiam sufficientem, remotam saltem ad orandum; &* possibilitate actionis *per gratiam seipsa efficacem, qua possibilia facit cum effectu, eadem operando in illo, cui possibilia facit*. Ac rursus: *Deficiente enim interiori per se gratia efficaci, quæ cor emollit, non lex, non exhortatio cor obdurat, sed prava peccatoris voluntas, cum male agendo gratiæ sufficienti & excitanti resistit*. Hujus generis quamplurima in eodem Opere inveniuntur.

Tom. 2. pag. 37. 38. 39.

§. III.

Imponunt Augustiniano eximio viro, qui ajunt docere illum quod aliqua Dei præcepta, secundum præsentes, quas habent, vires, sint justis impossibilia.

I. LIbro enim 1. cap. 8. aperte docet hominibus etiam impiis, urgente mandato, etsi desit sufficiens ac proxima gratia obediendi, non deesse tamen sufficientem & proximam gratiam petendi, probatque sententiam Norisii in Vind. cap. 3. §. 6. tum vero ita prosequitur: *Quam æquo jure tanquam temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica, prima Jansenii propositio proscripta sit liquet*: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Etenim si peccatoribus secundum præsentes, quas habent, vires, Dei mandata possibilia sunt; quanto magis justis hominibus? Si iniquis gratia petendi observantiæ possibilitatem non deest, cur justi ipsamet carere asserantur? Utrosque enim sine disparitate lex urget: utrosque sine differentia minis atque terroribus coercet & admonet.*

Tom. 1. pag. 15.

II. Quar-

II. Quarto item libro argumenta, quibus Janseniani nituntur evincere impossibilia esse præcepta, si desit gratia efficax, seu delectatio superior & victrix, tali pacto vir egregius elidit. *Eodem tom. pag. 174.* *Respondeo autem perperam contendere Jansenistas impossibilia esse pietatis opera, absente gratia per se efficaci. Etenim, ut jam ostendimus, tametsi gratia quibusdam per se efficax desit, quæ dicitur actionis, seu applicationis virtutis ad opus; nulli tamen urgente lege deest gratia parva & excitans; quæ est gratia vere sufficiens. Orandi enim adjutorio, dum lex urget, nemo privatur. Qui autem orare potest, gratia profecto virtutis, possibilitatis, & potestatis præditus est. Quapropter Dei mandata nemini sunt impossibilia; quia Deus impossibilia non jubet. Et quia per vires naturæ impleri non possunt, non deest gratia, qua possibilia fiant.* Rursus fatetur se amplecti doctrinam Norisii Vindic. cap. 3. §. 6.

III. Præterea objicientibus Jansenistis non haberi potestatem recte operandi, quum gratia efficax ad recte & pie operandum sit necessaria, ita vir illustris occurrit lib. 4. cap. 1. *Ibid. pag. 178.* *Distinguenda est illa propositio*, Gratia efficax est necessaria ad omne opus pium, *tanquam potentia & virtus antecedens, negatur; tanquam conditio operativa, & applicativa virtutis, & potestatis, conceditur* (*non est pura & mera conditio*). *Eaque distinctione etiam illata propositio est exponenda*: Ergo sine gratia efficaci non potest esse opus pium, *si verbum* non potest *indefinite ad generalem impotentiam significandam usurpetur, negari debet: si ejusdem sensus cum debita limitatione ad significandam impotentiam consequentem, seu* absentiam possibilitatis cum effectu *restringatur, est concedenda*; ac ibidem de verbis Augustini, quibus Novatores abuti solent: *Ubicunque S. P. de Gratia per se efficaci scripsit, hominem sine illa* non posse, *aut* posse, *de potentia aut impotentia consequente, seu cum effectu, aut de possibilitate cum effectu; nusquam vero de potentia, aut impotentia antecedente virtutis, & indefinitæ possibilitatis, est exponendus.*

IV. In propositionem Quesnellianam 9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus,* ita Augustini discipulus: *Tom. 2. pag. 42* *Gratiam efficacem per falsam definitionem exponit; huic enim perperam illa notio affigitur,* sine qua confiteri Christum nunquam possumus. *Vera esset propositio si diceret, sine qua confiteri* proxime, & cum effectu *non possumus. Sed cum dicat,* nunquam possumus, *omnino falsum enuntiat. Namque interdum nedum peccatoribus, sed justis etiam deficit gratia efficax; qui nihilominus per vires gratiæ sufficientis, habituumque supernaturalium, quibus præditi sunt, Deum possunt confiteri, si non* proxime, *saltem* remote, *quia possunt orare. Vide lib. 1. & lib. 4. cap. 1. & seqq.*

V. Multus atque infinitus essem, si cuncta hujus generis loca ex libris eruditissimi viri proferre vellem. *Eodem tom. 2. pag. 27. 38 41. 43. Vide Norisium eadem prorsus scribentem in Calumnia sublata cap. 2. §. ve tom. 3. pag. 1065. seqq.* At quid clarius istis, quæ habentur adversus 2. Quesnellii propositionem: *absque gratia per se efficaci, tametsi opus salutare nunquam fiat, aut si ita loqui placet, proxime etiam fieri non possit, fieri tamen potest saltem remote, per vires gratiæ sufficientis, quæ dat posse orare?* Quid expressius istis in prop. 3. *Non in vanum, non frustra, sed utiliter, providenter, rectoque consilio præcipit id Deus hominibus, quod per vires sufficientis gratiæ facere possunt, aut saltem petere quod non possunt?* Quid manifestius his in prop. 7. *In præsenti autem fœdere Deus quod petit a nobis, aut per gratiam seipsa efficacem donat, aut per sufficientem orandi saltem gratiam, ut reddere possimus largitur?* Quid enucleatius istis in propos. 11. *Recta enim fide credimus, Deum jubere quod saltem possumus petere?* Mirum ergo dictu! quod extent, qui Fulgentio Bellelli calumniam hanc inferant, defendi ab illo absque delectatione victrici, qua justi aliquando carent, *impossibilitatem* divinorum præceptorum, & sufficientis auxilii carentiam.

§. IV.

Aperte, & sensu plane catholico P. Bellelli *explicat, propugnatque libertatem a* necessitate, *quæ in hoc statu naturæ lapsæ requiritur ad merendum, & demerendum.*

I. NE forte alicui suspicio in animum caderet, Augustinianum Scriptorem, dum pertractat libro 3. de libertate indifferentiæ, accipere libertatem *a necessitate* in peculiari aliqua significatione; præmittit cap. 1. ejusdem libertatis communes ac satis *Tom. 1. de M. R. pag. 109. 110. 286.* obvias definitiones. *Libertas a necessitate*, inquit, *est volendi facultas opus suum cum indifferentia potestatis exercens.* Tum: *Libertas a coactione idem est, ac voluntarium, libens, seu spontaneum. Libertas vero a necessitate idem est ac libertas indifferentiæ. Vide S. Thomam 1. p. q. 82. ar. 1. in corp. & ad 1.* Deinde hanc libertatem describit communi illa definitione Theologorum: *Facultas voluntatis, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, & non agere*: nec prætermittit breviorem S. Thomæ definitionem 1. p. q. 83. art. 4. *Vis electiva*, „ seu falcultas eligendi unum præ altero „. Hanc vero potestatem agendi, vel non agendi, hanc libertatem indifferentiæ, hanc vim electivam, facultatemque unum eligendi præ altero, omnino requiri ad liberum voluntatis arbitrium affirmat Theologus noster tum eo loci, tum lib. 4. cap. 39. repetens, *spectare ad libertatem indifferentiæ, quod positis omnibus ad agendum requisitis potestatem habeat agendi, & non agendi.* *De hac tamen definitione ego assentior Lemosio, ceterisque Thomistis apud Gonet. disp. 6. num. 121. sive tom. 2. pag. 116. non autem Annato, Lessio, aliisque Medistis ea definitione utentibus ad evincendum fine gratia efficaci haberi quidquid requiritur ad actum secundum.*

II. Hanc itaque libertatem dari in hoc statu Augustinianus Theologus cap. 2. præcitati libri tertii demonstrat octo argumentis, quorum primum e sacris litteris depromptum his verbis aggreditur: *In homine etiam lapso libertatem indifferentiæ necessariam omnino ad merendum confitendam esse, invictissimis argumentis comprobatur. Et primo loco Sacræ Scripturæ occurrunt, quibus apertissime vis electiva, seu indifferentiæ libertas ad meritum vel demeritum homini lapso asserta continetur.* Tam vero in hoc, quam in sequentibus argumentis semper eamdem libertatem appellat *potestatem indifferentem: indifferentem & electivam potestatem, qua homo lapsus agere, & non agere potest, seu peccare & cohibere peccandi motum: indifferentiæ libertatem ad agendum, vel non agendum: sive in vitam bonam, sive in vitam malam potestatem indifferentem*, aliisque phrasibus frequentissime repetitis. *Eodem tom. pag. 111. 112. 114. 117.*

III. Productis autem in octavo argumento verbis Augustini lib. 6. Op. imperf. num. 12. ubi de libertate immutabilis voluntatis, qua beati esse volumus, ait non sufficere nec ut beatus sit quisque, *nec ut vivat recte*, ita illustris Theologus prosequitur: *Tam præclare, invicteque Augustini isthæc sententia tertium Jansenii articulum expungit, quam quod maxime. Nam qua fronte Augustinus assertor illius articuli obtenditur:* Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: *Ille nimirum Augustinus, quem libentissime sibi Judicem Jansenistæ conclamant, & quidem senior, ac doctior factus in postremis vitæ laboribus pro jure ac veritate Sanctæ Romanæ, Apostolicæque Sedis decertans, de libertate quæ a sola coactione, & non est etiam a necessitate ait, quod ad merendum,* rectèque vivendum, ut beatus sit quisque, NON SUFFICIT. *In eodem libro cap. 2. pag. 118.*

IV. Magnopere autem miramur, quod viro Catholico adversarii objecerint illam tantum indifferentiam ab eo deprædicari, quæ repetitur *ex objecto*, quasi voluntatem intrinsecus *necessitate* adactam, & potestate ad utrumlibet exspoliatam dogmatizaverit. Id enim non tantum ex hactenus dictis refellitur, verum etiam ex cap. 5. ejusdem tertii libri; ubi postquam docuerat quomodo *ex objecto* pendeat indifferentia judicii, plura alia ad libertatem indifferentiæ necessaria recenset. Quorum primum est, *Libera facultas, quæ*, cum sit creata, *quantum ad esse non solum, sed etiam quantum ad operari, perfectissme a Deo exigit dependere. Quapropter in actu primo potestatis Deus concursum generalem paratum exhibet, ut in actionem, seu actum secundum volendi, aut nolendi queat exire.* II. *Objecti boni, malive notitia, quoniam in incognitum voluntas ferri non potest.* III. *Judicium indifferens, seu cognitio, quæ varias rationes boni vel mali, delectabilis, aut ardui in objecto deprehendit, & quæ actum primum essentialem liberæ facultatis constituit.* IV. *Voluntas a coactione, & violentia immunis: coactio enim cum voluntarium auferat, libertatem etiam subruat necesse est.* V. *Potestas antecedens arbitrii, seu activa indifferentia ad bonum, vel malum, ad meritum, vel demeritum, in qua nulla determinatio, nullaque necessitas reperitur.* *Ibidem cap. 5. pag. 125. 126. 127.*

V. Explicans tandem cap. 6. quomodo *sub gratia per se efficaci* permaneat hæc *indifferentiæ libertas*, ut dixi §. 2. docet adjutorium efficax pertinere ad actum secundum, *non ad potestatem, seu virtutem actus primi*: docet esse *applicationem potestatis ad actionem*: docet *hanc potestatis applicationem præsupponere virtutem & potestatem jam constitutam*: docet necessitatem effectus sub eadem gratia victrice esse *necessitatem consequentem*; *necessitatem suppositionis, necessitatem applicationis, necessitatem actus secundi*: docet non esse *necessitatem illam necessitatem activæ virtutis, neque necessitatem actus primi, neque necessitatem antecedentem*: docet per adjutorium applicationis, *tametsi suspensionem auferat,* *Prox. cap. 6. pag. 127. 128. 129. 130.*

tuferat, indifferentiam tamen activam ſervari illæſam: docet *gratiam ſeipſa efficacem determinare, applicari, & prævenire indifferentem libertatem, quin ab ipſa libertas eſſentialis indifferentiæ damnum vel minimum patiatur.* Id ne eſt conſentire Janſenio, & libertatem *indifferentiæ*, ſeu *a neceſſitate* ab hoc ſtatu ablegare?

§. V.

Manifeſte calumniantur qui aſſerunt rejici a Fulgentio Bellelli divinam ſalvandi omnes voluntatem, & communem univerſorum hominum redemptionem.

Tom. 1. pag. 23. I. FIdem quippe docti piique ſcriptoris commendant quæ leguntur lib. 1. de modo Rep. cap. 10. *Voluit Chriſtus omnes, ſinguloſque poſt lapſum homines, ſecus quidem ac dæmones, in via ſalutis, unde dejici ſimiliter merebantur, remanere. Qua nimirum voluntate, media ad ipſam neceſſaria inſtituit, præparavitque.*

In eod. to. pag. 184. II. Eamdem fidem confirmant, quæ habentur lib. 4. cap. 4. *Si de voluntate antecedenti ſermo ſit, omnes & ſingulos ſalvos fieri vult Deus; ſi autem verba Apoſtoli de voluntate conſequenti exponantur, de generibus ſingulorum, non autem de ſingulis generum intelligi debent.*

Tom. 2. pag. 43. III. Commendant eamdem fidem, quæ habentur in propoſitionem 12. Queſnellianam: *Deus enim, docente Apoſtolo, vult omnes homines ſalvos fieri, voluntate videlicet antecedenti, & inefficaci. Et quidem hac voluntate, ſive ſit eminenter, ſive formaliter in ipſo, vult etiam reproborum ſalutem, pro qua Chriſtus quoque mortuus eſt.*

Ibid. pag. 68. IV. In propoſitionem quoque 30. hæc vir præclarus: *Rejicitur hæc propoſitio*, Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter, *quæ ſenſum reddit, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum. Fuit autem hic ſenſus ab Innocentio X. in quinta Janſenii propoſitione damnatus.* Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe; *quam propoſitionem idem Summus Pontifex ſequenti cenſura notavit.* „ Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam in eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. „

Eodem in loco pag. 70. 71. 72. 73. 78. 81. 83. V. Adverſus eamdem propoſitionem docet voluntatem Dei antecedentem, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, eſſe illam, qua vult, *lapſos homines non ad terminum uſque damnationis ruere, ſed in via æternæ ſalutis manere, legibus dirigere, atque ſufficienti poſſibilitatis gratia, urgente lege, juvare.* Ait velle Deum *per merita Salvatoris* hac voluntate antecedenti *etiam reprobos ſalvos fieri.* Repetit Chriſtum *omnes ſinguloſque homines ſui ſanguinis pretio ea voluntate redemiſſe.* Addit *auxilia ſufficientia voluntate antecedenti per mortem ſuam omnibus & ſingulis præparare voluiſſe.* Subjicit: *Quemadmodum Deus non prædeſtinatos duntaxat, ſed reprobos etiam inefficaci, & antecedenti voluntate ſalvos fieri vult, ſub conditione ſi velint; ita & Chriſtus antecedenti, & inefficaci voluntate, quantum in ſe eſt, ſalutem, requiem, æternamque pacem omnium, ſingulorumque deſiderat.* Inquit rurſus: *Qui pro ſingulis venit, pro ſingulis fudit ſanguinem, atque pro ſingulis mortuus eſt.* Concludit, *redemptionem, mortem, ſanguinem, dilectionemque Chriſti omnibus hominibus eſſe communem*; adeo ut nec melius, nec frequentius, nec validius potuiſſet vir inſignis & Orthodoxus Catholicum dogma explicare, profiteri, ac defendere.

CONCLUSIO.

Fulgentius Bellelli docuit, ac propugnavit dogma catholicum, quod directe opponitur hæreſi, erroribuſque comprehenſis in quinque Janſenii propoſitionibus.

DEMONSTRATUR.

Catholicum dogma, quod Janſenianæ hæreſi, & erroribus quinque damnatarum propoſitionum directe opponitur atque adverſatur, eſt nec gratiam *victricem*, ſive inſpirationem *ſanctæ dilectionis*, qua vincitur voluntas carnis contraria concupiſcentis, nec carnalem iſtam voluntatem robuſtam, & præponderantem eſſe *invincibilem*, & *neceſſitate antecedenti & phyſica* ad opus indeclinabiliter trahere: præter victricem illam delectationem, cujus inſpiratio eſt efficax gratiæ adjutorium, dari gratiam *ſufficientem*, quæ etſi ab actu ſejungitur, illius tamen peragendi tribuit *poteſtatem:* hujuſmodi gratiam non deeſſe juſtis, quamvis aliquando careant adjutorio efficaci, ſeu *applicationis & operis:* ſub eadem gratia efficaci, necnon ſub robuſtiori concupiſcentia indemnem perſiſtere *libertatem indifferentiæ, vim electivam*, atque *poteſtatem agendi vel non agendi:* hanc poteſtatem, libertatemque requiri in præſenti ſtatu *ad merendum, vel demerendum;* omnibus demum, ſinguliſque hominibus, *voluntate antecedenti*, Deum optimum, maximum, gloriam, & auxilia ad hanc conſequendam neceſſaria præparaviſſe; pro omnibus item, ac ſingulis Chriſtum *mortuum eſſe, fudiſſe ſanguinem, perſolviſſe pretium*, univerſoſque redemiſſe, aut prædeſtinatos, aut *reprobos*. Hæc propoſitio certiſſima eſt, pauciſque comprehendit quidquid de hæreſi Janſeniana diximus in primo capite hujus diſſertationis.

Auguſtinianus autem Theologus docet cum *delectatione victrici*, & concupiſcentia ad malum alliciente, conſiſtere *liberam voluntatis adhæſionem*, ex ſuperiori autem delectatione nullam aliam inferri neceſſitatem, præter *conſequentem, & illationis*, quæ ſupponit *applicationem liberæ voluntatis:* admittit in hoc infirmitatis ſtatu adjutorium collatum Adamo, qui proculdubio caruit adjutorio *Quo*, ſive efficaci; propugnatque *gratiam proxime, & remote ſufficientem*, cui voluntas reſiſtit: affirmat juſtis omnibus, immo & impiis, adeſſe urgente præcepto gratiam *proxime ſufficientem ad orandum*, etiamſi deſit eis aliquando auxilium *applicationis*, ſive auxilium efficax, quo datur *potentia poſitionis*, & *cum effectu:* defendit *libertatem indifferentiæ*, eamque appellat *vim electivam*, ac *poteſtatem agendi, vel non agendi*, docens ſub gratia applicationis, & effectus, illæſam immunemque perſiſtere; eamdemque libertatem omnino requirit *ad merendum, vel demerendum:* diſerte tandem, ac ſæpe commendat & adſtruit voluntatem Dei *antecedentem*, qua ſingulis hominibus præparata ſunt media ad ſalutem neceſſaria; & Chriſtum pro ſingulis *etiam reprobis* oraſſe, fudiſſe ſanguinem, pretium redemptionis ſolviſſe, conſtanti & incontaminata fide ſæpenumero profitetur. Hæc eorum, quæ in hoc tertio capite præmiſſa ſunt, ſynopſim quamdam, & doctrinæ nucleum comprehendunt.

Igitur Auguſtinianus Theologus docuit, propugnavitque Catholicum dogma, quod Janſenianæ hæreſi, & erroribus quinque damnatarum propoſitionum directe opponitur, atque adverſatur; quod erat demonſtrandum.

§. VI.

Diluuntur & exſufflantur Inſimulatoris oppoſitiones.

RElquum eſt, ut proponamus illas Anonymi objectiones, quæ adverſus Fulgentium Bellelli ab ipſo peculiariter proferuntur: quandoquidem quæ adverſus ſyſtema noſtrum militant, præcedenti capite ſolutæ atquæ eliſæ fuerunt. Principio itaque Anonymus objicit, Fratrem Bellelli admittere, & docere Janſenianum principium duarum delectationum, quæ indeliberatæ ſint, & relative invincibiles; quoniam docet *eſſe impoſſibile, ut dilectio Dei, ſi non præponderet, vincat cupiditatem, eamque e corde diſpellat.* Jan. Red. pag. 102. Lib. enim 1. de ſtatu creat. rat. cap. 19. inquit: *Reſpondemus dilectionem inchoatam eſſe inchoatam juſtificationem, non eſſe remiſſivam peccati, quia cum adhuc imperfecta ſit, affectui cupiditatis non præponderat, & ſi non præponderat, quommodo illum vincere poteſt, atque e corde depellere? Amores ſiquidem ab Auguſtino ponderibus comparantur.* Amor meus, *inquit*, pondus meum, eo feror, quocumque feror. *Porro nullum pondus oppoſitum pondus elevat, & in contrariam partem retorquet, niſi eidem gravitate, & majoritate antecellat. Igitur nec dilectio ſuperat cupiditatem, niſi eidem perfectione præſtet.*

Reſp. eo loci Fulgentium Bellelli pertractare quæſtionem, *an quælibet charitas actualis juſtificet*, quam quæſtionem propoſuerat cap. 16. & proſequutus fuerat duobus ſequentibus; cap. vero 19. ſolvere objecta contra ſententiam ſuam, in Auguſtiniana Schola communem, quod ſcilicet *non omnis actus* caritatis, initialis, tenuis, ac remiſſus vim habeat delendi peccata, & *formaliter* juſtificandi: nullatenus vero attingere eam quæſtionem, *an voluntas cum minori delectatione ſpiritus poſſit ſuperare robuſtiorem delectationem carnis.* Comparat ergo *cupiditatem*, qua homo peccat, *caritati*, qua homo juſtificatur, non liberum arbitrium *neceſſario* obſequens cupiditati, eidem libero ar-

ro arbitrio *neceſſario* obtemperandi ſanctæ delectationi, ut interpretatur Anonymus. Profecto certum eſt pertenuem cupiditatis motum, quem centum Galliarum Epiſcopi, ut vidimus diſſ. 1. appellant *la cupidité foible*, & per quem patrantur venialia peccata, non ſufficere ad delendam caritatem dominantem in juſtis, prout iidem Epiſcopi demonſtrant ex Auguſtino *de ſp. & lit.* cap. 27. Hinc tamen minime ſequitur non poſſe liberum arbitrium cum illa *debili cupiditate* peccare lethaliter. Ad hunc modum recte docet Auguſtinianus Theologus, quemlibet actum caritatis initialis extra Sacramentum non ſuperare cupiditatem prædominantem, nec perfecte juſtificare: atque inde male infertur, quod admittat Janſenianum principium, doceatque liberum arbitrium *neceſſario* obtemperare robuſtiori delectationi. Aperte mentem ſuam aperit proximis verbis pagina 96. *Convertit dilectio inchoata animam ad Deum, ſed inchoata duntaxat & imperfecta converſione; ſicut veniale peccatum animum convertit ad creaturam: igitur ſicut hoc non reddit animam iniquam, ita nec illa reddit animam ſanctam.* Quamquam vero ſcripſiſſet P. Bellelli voluntatem neceſſario conſentire concupiſcentiæ, niſi adjuventur gratia victrici, quod ſane non ſcripſit; intelligendus foret de neceſſitate duntaxat conſequentiæ, ut ex ejus operibus oſtendimus §. 1. & 4.

Vide tom. 1. pag. 39.

Bellel. de ſtatu creat. ration. lib. 1. cap. 19.

II. Opponit 2. Anonymus: „ Tam Janſenius, quam F. Bellelli fatentur motus gratiæ cælitus immiſſos eſſe indeliberatos. Janſenius lib. 4. de Grat. Salvat. cap. 11. *Delectatio iſta*, inquit, *quam ad omnia opera bona S. Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud, quam actus quidam indeliberatus cælitus immiſſus in voluntatem.* F. autem Bellelli de Gratiæ motibus ſic loquitur: *Illud autem in primis ſtatuendum eſt nomine gratiæ auxiliatricis pias inſpirationes excitationeſque Auguſtinum intellexiſſe, indeliberatus videlicet motus intellectus & voluntatis a Deo immiſſos.* De modo Rep. lib. 1. cap. 1.

Jan. Red. pag. 103.

Quam inanis ſit objectio iſta, ſatis conſtat ex primo hujus diſſertationis capite §. 1. & 8. in quibus oſtendimus innumeros eſſe orthodoxos, qui gratiam actualem *in actibus indeliberatis* conſtituunt, neque in hoc ſitam eſſe Janſenii hæreſim, ſed in eo, quod dogmatizaverit voluntatem delectatione ſuperiori trahi invincibili neceſſitate ad conſenſum. Ut autem videas Auguſtiniani Theologi in gratiæ prævenientis natura deſcribenda accuratiſſimam diligentiam; memoria repetas, Scholaſticorum complures, quorum triginta producit in Schola Ægidiana Fridericus Gavardi tom. 4. pag. 301. actualem gratiam conſtituere *in illuſtratione mentis, & in pio voluntatis affectu a Deo nobis inſpirato, liberam omnem voluntatem atque operationum prævenientem*, adeo, ut memoratus Ægidianus Theologus hanc ſententiam dixerit *communiſſimam inter Catholicos*. Thomiſtarum tamen multi animadvertentes *actus indeliberatos* intellectus ac voluntatis eſſe *vitales*, & cum ſupernaturales ſint, produci non poſſe a ſola naturali facultate; maluerunt gratiam locare in illa Dei motione, quæ iſtiuſmodi actus præcedit, ac proinde docuerunt cum Alvarez diſp. 74. num. 4. Gratiam eſſe illuſtrationem intellectus, & piam affectionem *non formaliter, ſed cauſaliter*. De actibus vero *deliberatis* conſentiunt omnes quod ſint effectus gratiæ prævenientis; quoniam per hujuſmodi actus *non vocamur a Deo, nec excitamur, ſed potius nos Deo vocanti & excitanti reſpondemus, conſentiendo & cooperando eoſdem actus*, ut inquit idem Alvarez diſp. 75. num. 3. Janſenius vero, etſi cap. 11. citato ab Anonymo ſcribat, actibus illis indeliberatis *animam in Deum deliberato actu diligendum ſuſcitari, invitari, trahi, rapi*, ideoque agnoſcere videatur *deliberatum* voluntatis conſenſum: in hoc tamen *deliberato* conſenſu ſolam agnoſcit *libertatem a coactione*, non *a ſimplici, ſeu voluntaria neceſſitate*, ut demonſtrare nititur lib. 8. de Grat. cap. 6. & lib. 7. cap. 3. quod eſt, ut ſæpe diximus, Janſenianæ hæreſeos caput præcipuum. Redeat modo accuſator ad legendum caput illud primum *de modo rep.* ac percipiet Fulgentium Bellelli explicaſſe auxiliatricem gratiam, ac motus indeliberatos vocabulis *inſpirationis*, & *excitationis*, ceteriſque in Schola paſſim uſurpatis, additis pagina 2. iiſdem verbis Friderici Gavardi. Adeat proximum caput 2. invenietque pag. 3. propugnari a Theologo præſtantiſſimo actum deliberatum, in eoque *liberam voluntatis adhæſionem, liberam aſſenſionem voluntatis*, & pag. 4. *liberum voluntatis aſſenſum*: quod ſane accipiendum eſt de libertate indifferentiæ Janſenianis ignota, de qua toto libro 3. pertractat. Perlegat cap. 3. ac pag. 6. intuebitur motionem, virtutemque divinam actus indeliberatos prævenientem, quam accuratus Scriptor ex Auguſtino, S. Thoma, atque ex Scholaſticis, quorum nonnullos commemorat, (ſcilicet P. Maurum, & Macedum) his verbis adſtruit, probatque: *Optima ratione plerique inſignes Theologi, quibus plane aſſentimur, præventem quamdam virtutem ſupernaturalem, quæ Dei donum eſt, prævium ad ſingulos etiam indeliberatos actus agnoſcunt, & confitentur.* Quod ergo adverſarius carpit in Fulgentio Bellelli gratiam deſcribente, tradunt communiter Theologi, probant doctiſſimi Thomiſtarum, ac nullatenus ſpectat ad hæreſim Janſenianam.

Alv. de Aux. p. 620. & 625.

Janſ. pag. 437. 620. & 736.

III. Opponit 3. „ Docet F. Bellelli, non ſolum concupiſcentiam prævenire voluntates noſtras per indeliberatas ſuas delectationes, ſed etiam his indeliberatis delectationibus effici, ut ſi deficiat victrix delectatio, arbitrium ſuccumbat, & in conſenſum ruat. „ *Quoniam*, inquit lib. 4. cap. 28., *præveniente concupiſcentia per delectationes ſuas indeliberatas ad malum, interdumque deficiente victrice delectatione gratiæ, arbitrium ſuccumbit, & in conſenſum ruit, illam conſuevit Auguſtinus appellare peccandi neceſſitatem.*

Janſ. Red. pag. 104.

Reſp. deſiderare nos in conviciatore meliorem fidem, atque ut ſaltem periodos non mutilet; quod vitium coacti ſumus, vel inviti, ſæpenumero ipſi exprobrare. Pater Bellelli eo loci tom. 1. pagina 248. ita ſcribit: *Verumtamen quoniam præveniente concupiſcentia per delectationes ſuas indeliberatas ad malum, interdumque deficiente victrici delectatione gratiæ, arbitrium ſuccumbit, & in conſenſum ruit, illam conſuevit Auguſtinus appellare peccandi neceſſitatem, accidentalem videlicet, & CONSEQUENTEM. Nam etſi prævias, ſubitæque motiones non deputentur ad culpam; qui ſequitur tamen ex LIBERTATE conſenſus, culpa carere non poteſt. Libera enim voluntas eſt ad ponendum actum, ſua inſpecta natura, IN SENSU DIVISO.* Evidentiſſime igitur Theologus iſte loquitur de neceſſitate *conſequente*, atque ex ſuppoſitione *liberi conſenſus*, ſive de neceſſitate, qua *in ſenſu compoſito* gratiæ victricis diſſenſus nequit ab ipſa gratia, per quam voluntas applicatur ad opus, ſeparari & ſejungi; licet ſejungi ac ſeparari poſſit *in ſenſu diviſo*.

Janſ. Red. ead. pag. 104. & 105.

IV. Opponit 4. „ F. Bellelli eodem lib. cap. 27. ſcribit *carnalem cupiditatem inſtillare in cor hominis ſuas delectationes illicientes, trahenteſque ad malum, ſicut ſuas quoque gratia delectationes inſpiret retrahentes a malo. Tali autem ordine fiunt, ut ex indeliberatis & primis, ſive in malo, ſive in bono, deliberatæ denique ſuboleſcant. Ne tamen arbitrium primo pulſu per concupiſcentiam agitatum ad pravas flectatur illecebras gratia pugnat, & ſi fortior eſt, vincit, facitque invincibiliter, ut libera facultas adjuta ſuo nutu concupiſcentiæ delectationibus reſiſtat, bonoque ſuperno magis delectanti conſentiat. Sed parva interdum gratia & invalida, quamvis ad bonum excitet ſtimuletque, a fortiori cupiditatis delectatione ſuperatur. Hinc qui motus in mente hominis omnem deliberationem antevertit, ſimplex delectatio dicitur: qui vero ad illam ſequitur, dicitur conſenſus.* „ Hinc Anonymus infert, in ſententia P. Bellelli „ ſuperiorem delectationem a minori nunquam vinci poſſe, ita ut voluntas ſive ad bonum, ſive ad malum inclinetur invincibiliter, prout fortior, ac gradibus intenſior eſt cæleſtis, aut terrena delectatio „: productiſque verbis Janſenii, de quibus ſupra ad 2. object. concludit: *Unde patet quam perfecte hucuſque inter ſe cohæreant Bellellina ac Janſeniana doctrina.*

Reſp. Exſcriptis ab Anonymo verbis nihil aliud evinci, niſi quod *delectatio victrix* vincat carnis concupiſcentiam, quod *parva & invalida* delectatio non ſuperet contrariam delectationem robuſtam; & quod ſuppoſita gratia efficaci applicante voluntatem ad opus, iſtud neceſſitate *conſequentiæ*, infallibiliter, & indeclinabiliter peragatur: quæ omnia ſunt expreſſa Auguſtini verba lib. 2. de peccat. mer. cap. 19. lib. 8. Confeſ. cap. 11. de Grat. & lib. arbit. cap. 17. & de corrept. & grat. cap. 11. & 12. ut non ſemel in hac diſſert. adnotavimus. Iniquum eſt igitur eam ob rem Catholicum Scriptorem infamare criminatione Janſeniani erroris, in eo ſiti, quod ſuperior delectatio inferat *neceſſitatem*, auferatque libertatem *indifferentiæ*, & poteſtatem ad oppoſitum. Sed audiamus iterum Fulgentium Bellelli illatam ſibi calumniam propulſantem, & quidem eodem cap. 27. pag. 245. *Quoties*, inquit ibidem, *cupiditatis delectatio fortis per gratiæ delectationem fortiorem non vincitur, facitque ſibi liberum arbitrium conſentire, neceſſitas non eſt antecedens, ſed conſequens. Eſt videlicet nihil aliud, quam applicatio ad conſenſum indifferentis facultatis, quæ poteſt illi per gratiam reſiſtere. Quæque determinata applicatio, quemadmodum de gratiæ per ſe efficacis applicatione ad ſalutare opus diximus, quoniam indifferentiam judicii, & objecti non immutat, ad actum ſpectat ſecundum, non ad primum. Suppoſito autem, quod indifferens libertas, quæ antecedenti virtute concupiſcentiæ reſiſte-*

reſiſtere poteſt, libere fuerit ad conſenſum applicata, neceſſe eſt, ut conſentiat, neceſsitate ſcilicet conſequente, illationis, & ſuppoſitionis, quemadmodum Scholæ loquuntur. Cur hæc Anonymus prætermittit, quum occurrant eodem in loco, unde objectionem, alias nauci floccique faciendam, exprompſit, niſi forte accurato to delectu obſervans, *ne quid abſonum, aut alienum a cauſæ fide incidat*, quem agendi morem in calumniantibus, ut dictum alibi, Lucianus quoque inſectatur? Dum vero gravis ac probus homo, ut belle Patrem Bellelli debellet, nectit etiam elegantiſſimos rythmos, cujus generis eſt venuſtus ille, ac ſuavis, *Cohærent Bellellina, & Janſeniana doctrina*; ſane non ignorat, quod ajebat præcitatus Lucianus, *aures calumniis ita ſuaviter titillari, ac ſi pennis confricentur.* Titillet ergo, demulceat, confricet, ſualque partes adimpleat; atque nos itidem pulſemus barbiton:

Vid. cap. 2. §. 8. num. 7.

Lutian. tom. 2. pag. 577.

Tous les diſcours ſont ſuperflus,
Revenons a Janſenius.

Mandement de Monſeigneur l'Evêque de Bethléem.

V. Opponit 5. *Janſ. Red.* auctor pag. 105. „ Nec ſilentio præterit F. Bellelli toties decantatum S. Auguſtini effatum, quod totius Janſeniani ædificii baſis eſt ac fundamentum: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Quamvis hic S. Doctoris textus de deliberata debeat intelligi delectatione, ut jam alibi demonſtravimus, p. 1. art. 1. num. 9. & ſeq. eodem tamen textu, & eodem, quo Janſenius, modo abutitur F. Bellelli. *Efficacitas gratiæ*, inquit de modo rep. lib. 3. cap. 6. *in eo ſita eſt, quod ſancta delectatio & illuminatio tantum accendatur, & tantum creſcat, ut vincat..... Etenim, ut etiam docet* Auguſtinus *in Expoſitione Epiſt. ad Galat. num.* 49. *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.*

Reſp. Non Auguſtini effatum, ſed pravam interpretationem eo abutentium eſſe Janſenianæ hæreſeos fundamentum, quemadmodum non ſcripturarum ſanctarum oracula, ſed his abutentium perverſitas fuit complurium hæreſum ſeminarium. Eodem quippe Auguſtini textu ad explicandam gratiæ efficacitatem, quæ utique prævenit actum omnem ſupernaturalem deliberatum, uti Theologos Orthodoxos, neque iſtos ullatenus refelli cavillulis, quos animadverſor æquiparat demonſtrationibus, pluris ſua, nihili æſtimans aliena, colligi poteſt ex cap. 1. §. 8. num. 9. Tantummodo igitur expendendum eſt, num Janſenius ac P. Bellelli (*Frater Bellelli* dicendum erat) *eodem textu, eodemque modo* abutantur. De Janſenio ſatis compertum arbitror abuti eo loco in libro 4. de Gratia Salv. cap. 6. & in lib. 7. cap. 3. necnon alibi, ad evincendum non poſſe parvam delectationem ſine majori delectatione compeſci, & neceſſum eſſe ut ſequamur quod magis delectat, neceſſitate non coactionis, ſed actus voluntarii & ſpontanei, quod unice in ſenſu Janſenii ſufficit ad veram libertatem, in hoc ſtatu expertem indifferentis ad utrumlibet poteſtatis. Explicabo Janſenianum ſenſum ipſius Anonymi verbis pag. 22. *Contendit Janſenius Auguſtinum per id*, quod amplius nos delectat, *intelligere delectationem prævium, indeliberatam & invincibilem, qua ad aliquid volendum neceſſario impellamur.* Videamus modo, an ita loquatur Auguſtinenſis Theologus, & quidem eodem cap. 6. eodemque loco, quem opponit Anonymus. *Etenim* (inquit pag. 129.) *ut etiam docet* Auguſtinus *in Expoſitione Epiſt. Ad Galat. num.* 49. Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt; *neceſsitate tamen conſequente, & illationis. Quis enim id neget? Non eſt igitur hæc neceſsitas activæ virtutis, ſeu liberæ poteſtatis, non eſt actus primi, non eſt antecedens; ſed eſt neceſsitas conſequens, neceſsitas ſuppoſitionis, neceſsitas applicationis, neceſsitas actus ſecundi.* Et paucis interjectis: *Iſtiuſmodi vero conſequens neceſsitas, applicationiſque determinatio, quæ dici conſuevit ſenſus compoſiti, non ſenſus diviſi, tametſi ſuſpenſionem auferat, indifferentiam tamen activam ſervat illæſam.* Id vero eſt abuti verbis Auguſtini ad denegandam cum Janſenio *libertatem indifferentiæ*, atque ad ſtatuendum ſub delectatione victrici *neceſsitatem invincibilem*, atque immunem duntaxat a *coactione?* Appello legentium oculos, judicium univerſorum, ejuſdemque accuſatoris ſyndereſim.

Janſ. de Grat. pag. 413. & 740.

VI. Ex præcedentibus Auguſtiniani Theologi verbis, productis tamen hoc in loco detruncatis ac mutilis, quamquam paullulum ſincerior pag. 135. integra repetat animo alieno, trahenſque ſiniſtrorſum, & ſubdolæ menti prænuntiatas diſtinctiones adſcribens; ex præcedentibus, inquam, verbis hæc infert Anonymus: *In Bellellino perinde, ac in Janſeniano ſyſtemate tota res in eo vertitur, quod abſque prævia & impellente delectatione non poteſt voluntas agere; neque ad bonum flecti, neque ad malum queat ullatenus inclinari, quin prævaleat, aut gratiæ, aut concupiſcentiæ delectatio.* Præſuppoſito autem pernicioſo hoc, damnatoque ſyſtemate, quod repetit *a Fratre Bellelli adoptatum*, inquit perſpicuum eſſe eumdem F. Bellelli *totum Janſenii ſyſtema, & quinque famoſas* propoſitiones ex eodem principio *neceſsario fluxu manantes* admittere. Ulterius autem progrediens ait. *Fratrem Bellelli*, etſi doceat ſingulis hominibus urgente præcepto adeſſe auxilium proxime ſufficiens ad orandum, *mera tamen dare verba, ut ſecurius decipiat*; propterea quod *in ſyſtemate Fratris Bellelli voluntas neceſſitatur ad malum ſub imperio cupiditatis*, ideoque gratia cupiditate minor, quæ, *ut docet F. Bellelli*, parva eſt, & invalida, non eſt revera ſufficiens. Ut vero nullum remaneat dubium de Janſeniſmo Bellellino, ſpondet ſe daturum operam, ut tribus articulis, quos ſubjicit, præcludantur Theologi noſtri *effugia*, tollantur *æquivocationes*, & eluceſcat *accenſum ipſius & acre in Janſenianas pravitates ſtudium.*

Reſpond. Anonymum nullatenus demonſtraſſe, ut ſupponit, Scriptorem Auguſtinianum adoptaſſe hæreticum principium delectationum invincibilium, & voluntatem neceſſitate impellentium, ſed omnino conſtare oppoſitum. Conſtat enim in ſyſtemate Auguſtiniani Theologi, adjutorium efficax inſpirans delectationem victricem eſſe *applicationem poteſtatis ad actionem*; pertinere *non ad actum primum, ſed ad actum ſecundum*; eſſe determinationem *poteſtatis indifferentis ad operationem faciendam*, eſſe adjutorium *non actus primi virtutis indifferentis, ſed applicationem ejuſdem ad opus*, adjutorium *non poſſibilitatis ſed actionis*. Ita Fulgentius Bellelli in locis productis §. 1. num. 3. Conſtat præterea in hujus Theologi ſyſtemate auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci, nec inſpirans delectationem victricem pertinere *ad actum primum*, eſſe auxilium *poſſibilitatis, non applicationis*, ac per ipſum fieri *poſsibilia* bona opera *poſſibilitate virtutis*: ita in locis productis §. 2. nu. 4. Conſtat inſuper in eodem ſyſtemate admitti ſolam *neceſsitatem conſequentem*, quæ ſupponit *judicium indifferens, ac poteſtatem indifferentem activam ad bonum vel malum, ad meritum vel demeritum*, & quæ oritur *ex ſuppoſitione applicationis liberæ poteſtatis ad actionem*: ita in locis præcitatis §. 4. num. 5. Hinc vero apertiſſime ſequitur in ſyſtemate illo principium Janſenianum penitus refutari; quod evincitur obvia hac ratiocinatione: Ex gratia efficaci, quæ eſt applicatio poteſtatis indifferentis *ad actum ſecundum*, quæ ſupponit ipſam poteſtatem per auxilium ſufficiens conſtitutam *in actu primo*, & ex qua ſequitur effectus neceſſitate duntaxat *conſequentiæ*, ſive ſuppoſita applicatione liberæ poteſtatis ad actum; ex tali, inquam, gratia non conſequitur inſpirationem victricis delectationis imperioſo dominatu funditus evertere libertatem, aut ſine hujuſmodi delectatione non dari poteſtatem agendi, vel non agendi, ſed tantummodo infertur abſque hujuſmodi delectatione victrici non poni ſanctam operationem; poſſe tamen ſine illa poni *potentia*, ut inquiunt Scholæ, *poſsibilitatis*. Apertiſſima hæc ſunt apud omnes, qui gratiam *per ſe efficacem* propugnant. At Fulgentius Bellelli, ut conſtat ex ejus verbis, ita ſtatuit gratiæ efficacitatem in victrici delectatione, ut hæc ſit applicatio indifferentis poteſtatis ad actum ſecundum, ac præſupponat potentiam conſtitutam in actu primo per auxilium ſufficiens, ita ut effectus illinc ſequatur neceſſitate tantummodo conſequentiæ, ſive ex ſuppoſitione applicationis liberæ poteſtatis ad actum. Ergo ex ſyſtemate Fulgentii Bellelli minime ſequitur inſpiratione victricis delectationis everti libertatem *indifferentiæ*, aut abſque tali delectatione non dari poteſtatem agendi, vel non agendi: ſed hoc unum infertur, non poni reipſa ſine gratia efficaci & victrici ſanctam operationem, quæ tamen ſine eadem gratia poteſt poni potentia, quam Scholæ appellant *poſsibilitatis*. Hac una ratiocinatione manifeſtiſſimum eſt non uti Theologum noſtrum æquivocationibus, effugiis, meriſque verbis, atque Anonymum, dum ſe id extra omnem dubitationem pollicetur eſſe demonſtraturum, ollas oſtentare, atque anthericum metere. Spectemus nihilominus virum glorioſiſſimum procedentem poſt Democritum, Cæſarem Dictatorem, & Domitium Neronem ad Iſthmum perfodiendum.

Janſ. Red. pag. 106.

§. VII.

Sequitur objectorum Anonymi refutatio.

Janſ. Rediv. pag. 109.

UT evincat Anonymus Fulgentium Bellelli adhibere ſenſu Janſeniano uſurpata in Scholis vocabula, a pag. 109. uſque ad pag. 113. demonſtrare nititur, illum ad trita Janſeniſtarum effugia, crebrius ab iis uſurpata, confugere, eorumque veſtigiis inſiſtendo, fateri duplicem ſenſum pati hæc verba, *Homo poteſt, homo non poteſt*, ita tamen, ut *magiſtrum ſuum*, ſcilicet Janſenium, unanimi conſenſu imitans perpetuo aſſerat hominem gratia relative victrici inſtructum non poſſe male operari, deſtitutum vero tali gratia non poſſe peccatum vitare.

I. „ Audire, inquit, non pigeat *cavillationem*, qua F. Bellelli lectoris ſui oculis *nebuloſam quamdam caliginem* offundit. Ait de modo Rep. lib. 4. cap. 1. *Tametſi gratia quibuſdam per ſe efficax deſit, quæ dicitur actionis, ſeu applicationis virtutis ad opus, nulli tamen, urgente lege, deeſt gratia parva & excitans, quæ eſt gratia vere ſufficiens. Orandi enim adjutorio, dum lex urget, nemo privatur. Qui autem orare poteſt, gratia profecto virtutis, poſſibilitatis, & poteſtatis præditus eſt.* „ Quare his verbis Auguſtinianus Theologus *cavillatur*, offunditque *nebuloſam caliginem*? Quoniam in *Bellellino* ſyſtemate, *cum nulla fieri poſſit actio niſi ex prævia & indeliberata delectatione, non minus illa gradibus ſuperior requiritur ad orandum, quam ad operandum.*

Verum non tantum *nebuloſa*, ſed picea, craſſa, teterrima caligine Anonymi hujus oculi, ne aſpiciant lucem, præpediuntur. Quum enim Fulgentius Bellelli diſertiſſime doceat gratiam efficacem, & victricem delectationem requiri duntaxat *ad actum ſecundum*, ſive *ut libera poteſtas exeat in actum*, quod de gratia *per ſe* efficaci affirmant univerſi Thomiſtæ; imperite accuſator ab actu ad poteſtatem diſcurrens ita ratiocinatur: *Delectatio victrix requiritur ad orandum, ergo ſine hujuſmodi delectatione non habetur gratia ſufficiens.* Legitima penes Thomiſtas omnes, imo & Congruiſtas, conſequentia eſt: *Ergo ſine tali delectatione non habetur gratia efficax, non actus ſecundus, non applicatio liberæ poteſtatis ad opus.* Id vero adeo planum eſt, adeo certum, adeo perſpicuum, ut ab iis tantum cerni nequeat, quorum oculi non ſint caligine quadam, aut nebula, ſed obductis tenebris, cæca nocte, denſiſque umbris circumdati.

Janſ. Rediv. pag. 113.

II. „ Juxta F. Bellelli ibidem *ſunt oculi neceſſarii ad videndum, eſt neceſſarium lumen, neceſſaria eſt inſuper oculorum aperitio. Oculi neceſſarii ſunt ut potentia, ſeu viſiva virtus: lumen eſt adjutorium virtutis; aperitio vero oculorum tamquam conditio, quæ potentiam illuminatam ad videndi actionem applicat.* His aſſentitur Anonymus, ſed prænotat, quando dicitur habentem oculos *poſſe videre*, intelligi, *modo adſint cetera ad videndum neceſſaria, nempe lumen, atque oculorum aperitio:* conditiones vero potentiæ viſivæ neceſſariæ, aliæ ſunt ſub hominis poteſtate, aliæ ab illius nutu nullatenus dependent; ſic v. g. *aperitio oculorum*, ſi ſani ſint, pendet ex libero hominis arbitrio, poteſt enim homo ſi ei libuerit oculos aperire, vel non aperire: ſi vero ſint gravati, clauſæque palpebræ ob aliquam infirmitatem, tum ſane oculorum aperitio a libera hominis voluntate eſt prorſus independens. Hinc illuſtratur gratiæ œconomia exemplo oculorum, quo utitur Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 26. dum ait: *Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſime ſanus non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere*; nimirum, ſicut oculus pleniſſime ſanus non poteſt cernere abſque lucis candore, ita homo quamvis juſtificatus non poteſt ſalubriter operari, niſi gratia divina adjuvetur. At longius progreditur F. Bellelli, & præter iſtas duas conditiones requirit tertiam, cui comparat gratiam per ſe efficacem. *Sicut ergo*, ait, *numeravimus tria neceſſaria ad videndum, oculos, lumen, oculorumque aperitionem; ſic tria neceſſaria ad pie vivendum numeranda ſunt, libera poteſtas, adjutorium ſufficiens poteſtatis, adjutoriumque efficax applicativum poteſtatis ad actionem.* Etiam hoc tertium admittunt Thomiſtæ, ſed ab illis, & ab omnibus Orthodoxis diſcrepat primo in eo, quod adjutorium ſufficiens, cum ſit cupiditate minor, *ſit vere inſufficiens*. Secundo in eo, quod doceat gratiæ illi, quæ cupiditate major eſt, *non poſſe reſiſti*. „

Attingit aliquantulum Anonymus, at non aſſequitur Auguſtiniani Scriptoris doctrinam, eamque obtruncat, ut dedolet tudiculam, & quærat nodum in ſcirpo. Eam enucleatius exponam, afferamque a collectore prætermiſſa: quamvis in productis hucuſque nihil ſit non Orthodoxum, damnata duplici diſcrepantia poſtremo commemorata, quæ Fulgentio Bellelli inique objicitur. Tria ergo vir doctus diſtinguit, *liberum arbitrium*, quod comparat *oculo*; *auxilium ſufficiens*, quod æquiparat *lumini*; & *auxilium efficax*, applicans motione ſua poteſtatem ad actum, quod aſſimilat *aperitioni oculorum*. Pervulgata eſt comparatio iſta in Schola quoque Thomiſtica; nam Alvarez diſp. 23. num. 32. explicans quomodo auxilium ſit *vere ſufficiens*, etſi requiratur aliud principium, ut potentia reducatur ad actum, *Eſt exemplum*, inquit, *in potentia viſiva, quæ quidem eſt ſufficiens ad videndum in ratione actus primi; quia in iſto genere non requiritur alia potentia, per quam homo habeat virtutem habitualem, per quam poſſit videre. Nihilominus ut hæc potentia reducatur ad actum, ultra illam neceſſarium eſt lumen, & applicatio objecti, & motio potentiæ. Cum ergo motio, qua Deus efficienter prædeterminat liberum arbitrium ad operandum talem actum bonum in particulari, non ſit neceſſaria ut homo poſſit operari actum illum ſi velit, ſed ſolum ut reipſa operetur, & velit: relinquitur ſalvari in homine verum auxilium ſufficiens, quo vere poſſit pie operari ſi velit, etiamſi non recipiat in ſe auxilium efficax, quo Deus efficienter prædeterminet illum ut velit.* Utitur eadem comparatione illuſtris Vindex Soti pag. 309. & 316. Hinc duo aperte inferuntur, primum comparationem Theologi noſtri adhiberi quoad omnes partes etiam a Thomiſtis: alterum vero, quod ſicuti in horum ſententia gratia efficax ſupponit *liberam poteſtatem*, eamque minime evertit, quoniam *applicat liberum arbitrium ad actum*: ita in ſententia Fulgentii Bellelli auxilium efficax *applicativum poteſtatis ad actionem* ſupponit, & non evertit *liberam poteſtatem*.

Alv. de aux. pag. 231.

Quantum ergo attinet ad hanc poteſtatem, nil aliud hæc eſt, quam liberum arbitrium, ſive, ut Scholæ loquuntur, *activa indifferentia*, animæ rationali *naturaliter* a Creatore attributa, & *vis quædam media*, quæ nulla neceſſitate trahente intendi, & inclinari poteſt in unam, vel aliam partem; atque hoc liberum arbitrium, licet *viribus attenuatum* ob Adæ prævaricationem, non tamen *extinctum* eſt, aut everſum, quemadmodum ſeſſione 6. cap. 1. definit Synodus Tridentina. Hoc itaque liberum arbitrium, cum rationali creaturæ ſit *naturaliter attributum*, atque ſit *in naturalibus bonis*, ſicuti Auguſtinus docet de ſp. & lit. cap. 33. & de peccator. meritis lib. 2. cap. 18., eſt in hominibus ſingulis ante, & poſt lapſum: quumque ſit *naturalis facultas*, perſiſtit etiam ſine gratia, non tantum in ſententia Thomiſtarum, verum etiam aliorum Theologorum: inter quos Bellarminus lib. 6. de Grat. & lib. arbitr. capit. 13. ait: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non ſolum ad opera naturalia & moralia, ſed etiam ad opera pietatis, & ſupernaturalia*: quod probat ex Auguſtino cit. cap. 33. de ſp. & lit. laudatque Driedonem in lib. de Concordia lib. arbitrii & prædeſt. cap. 3. & Tapperum in Explicat. art. 7. Exponens vero Bellarminus, quomodo liberum ſit arbitrium ante gratiam *ad utrumlibet*, ſi bonum facere non poteſt, utitur exemplo oculi: *Nam*, inquit, *abſente ſpecie ſenſibili habet homo potentiam & libertatem videndi, non enim ea ſpecies cauſa eſt libertatis, aut potentiæ videndi; tamen potentia remota eſt, & poteſtas ligata, donec accepta ſpecie potentiæ perficiatur, & in actum prodire poſſit.* Similia Petavius lib. 4. de opere ſex dierum cap. 1. num. 4. pag. edit. Pariſ. 440. Recte itaque Fulgentius Bellelli *naturalem liberi arbitrii poteſtatem* comparat oculo, eamque lib. 3. cap. 5. pag. 127. appellat *activam indifferentiam ad bonum vel malum, ad meritum vel demeritum, in qua nulla determinatio, nullaque neceſſitas reperitur.*

Aug. tom. X. pag. 56. & 118.

Bellarm. tom. 4. pag. 366.

Progrediamur ad gratiam *ſufficientem*, neceſſariam ad recte agendum, ſicut *lumen* requiritur ad videndum. Auguſtini verba ex cap. 26. de nat. & gratia, producta fuerant ab ipſo Auguſtiniano Theologo eodem capite 1. lib. 4. quod vellicat criminator. Producta autem fuerant ad ſignificandum, *quod libera facultas ſine gratiæ adjutorio non poteſt recte vivere, ſicut oculus ſine luce non poteſt cernere*; hæc enim verba a Fulgentio Bellelli immediate ſubjiciuntur. Porro Auguſtini verba eodem ſenſu accipiuntur a Bellarmino lib. de Grat. 1. hom. cap. 4. ubi ait: *Neque ſubtilius inquirendum eſt, quomodo lux cooperetur oculo ad videndum. Siquidem Sanctus Auguſtinus in eo ſolo ſimilitudinem conſtituit, quod ſicut oculus perfectiſſime ſanus non poteſt cernere, niſi extrinſecus adjuvetur: ſic pleniſſime juſtificatus non poteſt bene vivere, niſi extrinſecus illi adſit cooperatio omnipotentis boni.* Haud ſecus Petavius citato in loco, ubi affert etiam conſimilia verba Auguſtini lib. 2. de peccat. meritis cap. 5. *Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clauſus, averſuſque diſcedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, niſi illa adjuverit, poteſt: ita Deus, qui*

De modo Rep. tom. 1. pag. 177.

Aug. tom. 10. pag. 52.

qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemus. Similia scripsere Africani Episcopi in Sardinia Exules Epist. Synodica cap. 5. *Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum lumen possit adspicere: sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritualis infusio.* Dum itaque Theologus præstantissimus comparat *auxilium sufficiens*, sine quo non possumus recte vivere, lumini ad videndum necessario, loquitur ore Augustini, ore Sanctorum Episcoporum, ore Theologorum, quos singuli suspiciunt ac venerantur.

In Appen. ejusd. to. pag. 153.

Utitur eadem oculi, & luminis similitudine ac iisdem fere verbis, quæ P. Bellel. adhibuit, etiam Maldonatus in cap. 6. Joann. num. 58. pag. 1527. edit. Lugdun.

Tertio appellat auxilium efficax *auxilium applicationis ad actionem*, lingua, ut constat ex dictis, omnium Thomistarum. Ab his utique discrepat, quod arbitratur hoc auxilium requiri duntaxat *in hoc infirmitatis statu*; sed non differt in eo, quod idem auxilium efficax spectet *ad actum secundum*, atque necessarium sit, *ut potestas applicetur ad operationem*; id enim apertissime docet, ac repetit. Relinquit ergo auxilium istud *potestatem indifferentem* a necessitate immunem, additque solam determinationem *actus secundi*; sicut *oculorum aperitio* facit ut oculus videat, salva potestate videndi, vel non videndi. Sane in hoc infirmitatis statu necessarium esse *auxilium efficax* sentiunt omnes Augustinenses, demonstratque id Augustinus citato cap. 26. de nat. & gratia, subjiciens: *Sanat ergo Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*: & item lib. 2. de peccat. meritis cap. 5. productis verbis hæc addit: *Sed etium ut convertamur ipse adjuvat; quod certe oculis corporis lux ista non præstat.* De Gestis quoque Pelagii cap. 3. num. 5. ait S. Pater, requiri *medicinam gratiæ*, ut homo *rectis passibus ambulet*, ipsam gratiam comparans curationi, *qua adhibita*, qui erat claudus, *ambulare continuo potest*; ac pariter epist. 186. num. 34. scribit debuisse Pelagium confiteri liberum arbitrium *invalidum & infirmum, donec sanentur omnes languores animæ.* Mitto quæ leguntur de Corrept. & Grat. cap. 12. num. 37. ubi expressius ait, Deum primo homini, cui *nihil ex ipso concupiscentialiter resistebat*: contulisse gratiam, qua posset perseverare; nunc autem *majoribus donis* fuisse adjuvandam *infirmitatem*, atque ideo nobis *possibilitatem & voluntatem* divinæ gratiæ largitate donari; nisi autem Deus in nobis operetur & *velle*, *voluntatem* inter tot, & tantas tentationes *sua infirmitate* succumbere, aliaque plura satis nota. Haud immerito itaque Augustinianus Theologus auxilium efficax, quod dat *velle & operari*, atque *applicat potestatem ad opus*, in hoc solo infirmitatis statu propugnat. Ipsemet Bellarminus cit. cap. 4. de primi hominis justitia docet Adam non indiguisse dono, quod *facit hominem velle & operari*, laudato capite illo duodecimo de Correp. & Grat., nos autem illo dono indigere *propter carnales illecebras, quæ assidue vel incitant ad peccandum, vel a bono retardant, desidesque ac dormitantes efficiunt.* Nec dubitat Bellarminus, quin eidem sententiæ adhæserint nobiliores Scholastici, laudatis Magistro sententiarum lib. 2 dist. 24. §. 4. S. Bonav. in ead. dist. q. 2. Gregorio Arim. dist. 29. q. 1. art. 1. concl. 3. & S. Thoma 1. 2. q. 109. art. 3. Adhibita ergo a Fulgentio Bellelli comparatio, ac doctrina est quoad omnes partes irreprehensibilis.

Tom. 2. p. 675.

Placuit hæc singulatim expendere: ceterum sat erat ad vindicandam Catholici viri sententiam ea exscribere, quæ textus ab Anonymo recitatos proxime subsequuntur. Post priorem nempe textum pag. 175. statim additur: *Absque oculis necessariis homo* non potest *videre*, *sed verbum* non potest *significat defectum virtutis ac potestatis. Absque lumine necessario homo oculos habens* non potest *videre*, *sed verbum* non potest *significat*, *non defectum potentiæ & virtutis*, *sed adjutorii. Absque aperitione oculorum homo oculos habens sufficienterque illuminatus videre* non potest; *at verbum* non potest *significat non defectum potentiæ*, *non defectum adjutorii*, *sed defectum necessariæ conditionis*, *seu applicationis potentiæ ad videndum.* Item post alium textum pag. 177. hæc immediate sequuntur verba: *Et quemadmodum ex defectu solius aperitionis oculorum nullo jure generalis & indefinita ad videndum impotentia colligitur*, *nec vere dicitur*, *Homo clausis oculis indefinite* videre non potest: *ita ex solius adjutorii per se efficacis defectu generalis impotentia ad pie operandum infertur perperam*; *nec vere dicitur indefinite*: Homo sine gratia efficaci pie operari non potest. *Et grassantis præsertim Janseniani erroris tempore*, *verbi* non potest *sensus definiendus semper & limitandus est*, *dicendo*: non potest plane; non potest cum actu; non potest potentia consequenti, *quemadmodum diligentissime saniores Theologi loquuntur.* Evidentissimum itaque est, in hujus viri sententia hominem absque gratia efficaci inspirante delectationem victricem revera posse obtemperare mandatis, ipsam vero efficacem gratiam pertinere *ad actum secundum*, *& applicare potentiam indifferentem ad actionem*, atque ab illo explicari potestatem *antecedentem* & *consequentem* sensu Thomistico, & pervulgato; quamobrem cogimur cum Augustino repetere: *Quis ferat tantam fallaciam, tantamque superbiam, quæ non modo non exhibet scientiam quam promittit atque veritatem, sed ea dicit quæ vehementer sunt scientiæ veritatique contraria?* At prosequitur adversarius.

Contra Epist. Fundam. n. 19. tom. 8. p. 162.

III. „ Dilucide a F. Bellelli statuitur gratiam non esse vere sufficientem: inquit enim tom. 2. in prop. 14. Quesnelli: *Ultra eam* (gratiam scilicet efficacem) *asserendæ etiam sunt Jesu Christi gratiæ parvæ, & invalidæ, quibus humana obstinatio resistit.* Eas quoque *gratias parvas* appellat tom. 1. lib. 4. cap. 27. Si invalidæ, ergo cum illis operari bonum homo nullatenus potest. „

Janf. Rediv. pag. 116.

Resp. ab Augustiniano Theologo gratiam, quæ non est efficax, appellari *parvam & invalidam*, quatenus excitat quidem & stimulat voluntatem, at non est delectatio illa fortior, quæ est *applicatio ad consensum indifferentis facultatis*; ita enim sese explicat citato cap. 27. pag. 245. In propositionem vero Quesnellianam 12. pag. 45. lectorem remittit ad lib. 1. cap. 5. & ad librum 3. cap. 1. Priori loco demonstrat ex Augustino auxilium sufficiens esse *gratiam possibilitatis*, eique sæpius resisti: altero autem in loco inquit adjutorium sufficiens esse illud, *quod dat posse*, & adjutorium efficax esse illud, quod *dat velle*. Appellans ergo gratiam sufficientem *parvam & invalidam*, loquitur comparate ad *potentiam positionis*, non ad *potentiam possibilitatis*. Præterea eodem cap. 1. aliisque in locis productis supra §. 2. & 3. docet gratiam, quæ nondum proxime sufficit ad implenda mandata, sufficere ad orandum, ad id vero nihil aliud requiri ut compleatur potentia, sed necessariam tantum esse illius applicationem ad actum; non ergo gratiam sufficientem ad omne quodcunque opus *parvam*, *& invalidam* vir sapientissimus appellavit. Insuper per gratiam sufficientem inspirari voluntatem parvam, debilem, invalidam, & gradu inferiorem cupiditate, docuerunt viri clarissimi, Norisius, Macedo, Massoulié, alii, ut ostendimus cap. 1. §. 2. immo hæc sunt eadem prorsus verba Augustini, prout demonstravimus cap. 2. §. 7. Cur itaque ad hæc, quasi ad repentinum & igniferum fulgur, terreri ac pallere? Postremo fides docet, Adamum innocentem cum auxilio *sine quo*, sive sufficienti, & non *per se* efficaci, potuisse perseverare; absque tali auxilio non potuisse. Si ergo cum eodem auxilio homo lapsus æque potest, ac poterat Adam innocens: quomodo liberum arbitrium est *infirmum*, quomodo *extenuatum & inclinatum*? Confert itaque sufficiens gratia *posse*, sed non *velle*: & quoniam *velle* non est in arbitrio hominis lapsi, quemadmodum erat in arbitrio Adami innocentis; adhuc illud *posse* hominis infirmi adjuvandum est gratia, *quæ dat velle & operari*: ac si adjuvandum est, non est omnino *validum* atque *expeditum*, nec arbitrio primi hominis comparandum. Hoc, non aliud docent Augustinenses.

IV. „ F. Bellelli ad rem suam explicandam adhibet hanc similitudinem de modo Rep. lib. 4. cap. 1. *Itaque ob aliquam infirmitatem clausæ sint oculorum genæ: tunc homo oculorum plane integer sufficientique lumine præditus videre non potest. Est autem oculorum hæc similitudo ad rem nostram explicandam aptissima.* „ Atqui ille, cujus ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ, non habet veram videndi potentiam; ergo neque veram habet potentiam bonum operandi ille, in quo reperitur gratia cupiditate inferior. „ Et quoniam Theologus noster ibidem fatetur, illum, cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt oculorum genæ, posse videre, quia non est cæcus, & quia non est in tenebris, sed in lumine, hæc subjicit accusator: *Sed quamvis nec cæcus, nec in tenebris sit, non magis videre potest durante ac tenaciter perseverante eadem infirmitate, quæ clausos invincibiliter detinet oculos, quam possit homo surdus audire, vel tibiis fractus recte * gradiri; quibus exemplis utitur Jansenius: fatebitur autem F. Bellelli cum Jansenio, quod homo surdus audire non possit, nec tibiis fractus ambulare; ergo neque etiam eum, cui ineluctabilis necessitas oculos obstruit, posse ullatenus videre fateatur necesse est.*

Janf. Rediv. pag. 117.

** Gradiri nusquam legi: at forte non desunt exempla; errantque sæpe sæpius, ut etiam scripta cudendo nostra, typographi.*

Resp. in ea comparatione oculi cum libero arbitrio, gratiæ sufficientis cum lumine, & gratiæ efficacis cum aperitione oculorum, quam comparationem paullo supra illustravimus & vindicavimus, advertendum esse discrimen, quod intercedit inter lumen, & gratiam sufficientem, ibidem a viro doctissimo commonstratum. Productis enim verbis Augustini de nat. & grat. cap. 26. ait: *Duo distinguit S. Doctor homi-*

hominis videlicet liberam facultatem ad rectè vivendum, & gratiæ adjutorium, ſine quo non poteſt rectè vivere, ſicut oculus ſine luce non poteſt cernere. Quæ quidem (libera facultas, & adjutorium ſine quo) *ad ſufficientiam operativæ virtutis, ad potentiam antecedentem, ad ſimplicemque operis poſſibilitatem pertinent.* Ceterum in hoc gratia differt a lumine, quod lumen, ut ſupra diximus cum Bellarmino, *extrinſecus adjuvat*, cum ſit lux corporis, non animi; gratia autem, quæ eſt lux hominis interioris, adjuvat intrinſecus, dans *poſſe*, ſi gratia ſufficiens eſt, dans *velle*, ſi eſt gratia efficax: *quod certe*, inquit Auguſtinus, cujus verba profert eo loci pag. 176. P. Bellelli, *oculis corporis lux iſta non præſtat*. Valet itaque ad id, quod hic agitur, lucis ſimilitudo, ut lumen adjuvet oculum, ſicut convenit naturæ oculi, gratia adjuvet liberum arbitrium, ſicut convenit libero arbitrio; ac idem animadvertitur quoque a Petavio lib. 4. de Opif. ſex dierum cap. 1. Quare eo ſpectat præclari Theologi comparatio, ut quemadmodum non eſt extincta acies oculorum, quando infirmitate aliqua genæ clauduntur; ita extincta non eſt poteſtas liberi arbitrii, ſive libertas indifferentiæ, quando ob languorem animi, & concupiſcentiam carnis rectè non operamur, niſi oculi medicina ſanentur, niſi voluntas gratia Salvatoris *& poſſit & velit*. Hinc corruunt adverſarii ſophiſmata; primum quia in ophthalmia, ſeu morbo oculorum, etſi oculi non aperiantur, niſi ſanentur per artem medicam, perſiſtit tamen oculorum natura, ſeu potentia viſiva: atque ita in infirmitate per peccatum contracta, licet liberum arbitrium non operetur, niſi ſanetur per gratiam victricem, perſeverat nihilominus liberi arbitrii natura & poteſtas indifferentiæ. Deinde quia nulla oculorum infirmitas obſtrueret oculos *ineluctabili neceſſitate*, ſi lux corporea oculorum venas fibraſque pervadens conferret veram potentiam videndi; cum itaque gratia ſufficiens det *poſſe*, quod certe oculis corporis lux iſta non præſtat, nunquam conjungi poteſt cum *neceſſitate ineluctabili, atque invincibili*. Inſuper quia Janſenius affirmans libro 2. de Grat. cap. 1. ſine delectatione ſuperiori *tam eſſe impoſſibile voluntati ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur*; aperte ſine gratia victrici adſtruit neceſſitatem phyſicam, abſolutam, atque antecedentem, qualis eſt in cæco, in ſurdo, in tibiis fracto; qui vero exigunt cum Fulgentio Bellelli gratiam victricem *ad actum ſecundum*, veram propriamque libertatem indifferentiæ agnoſcunt in actu primo, prout diximus §. præcedenti. Immo eadem pag. 175. unde Anonymus exſcripſit verba ſuperius objecta, legitur adjutorium efficax hoc ſenſu correſpondere aperitioni oculorum, quatenus *applicat potentiam ad actionem*, ita ut dum dicimus, Homo abſque adjutorio *Quo* pie operari non poteſt, verbum *non poteſt* ſignificet *non defectum potentiæ, non defectum adjutorii, ſed defectum neceſſariæ conditionis, ſeu applicationis potentiæ ad actionem*, eo prorſus modo, quo loquuntur Alvarez, aliique Thomiſtæ, ut vidimus num. 2. Sequitur Anonymus.

Janſ. Rediv. pag. 120.

V. „ Nullam aliam videtur F. Bellelli admiſiſſe gratiam, quæ veram conferat operandi potentiam, præter illam, quæ per ſe efficax eſt, quaſi illa ſola infirmitati per peccatum contractæ mederi poſſit. De ſtatu enim creaturæ rationalis lib. 2. cap. 32. docet gratiam efficacem Salvatoris requiri duntaxat, *ut infirmitati relictæ per peccatum ſuccurrat*, atque eidem gratiæ adſcribit, quod det nobis *efficaciſſimam virtutem contra rebellem concupiſcentiam*, & voluntatem *de malo ad bonum trahat indeclinabiliter, & inſuperabiliter*. In hoc ſane reviviſcit Janſenii principium. Docet enim Janſenius, quod poſt Adæ peccatum ita per concupiſcentiam ad malum impellamur, ut niſi accedat gratia fortior, *voluntas depreſſa a peccato nullatenus poſſit abſtinere*. Idem docet F. Bellelli, dum loco ſuperius laudato ait: *Concupiſcentia nos miſeros ad peccatum inclinat, ad illecebras trahit, ad malum compellit urgetque, & ineluctabili pondere voluntates noſtras ſibi ipſis relictas ſub dæmonis poteſtate devincit*. Adverſus hanc animarum perniciem ſtatuit neceſſitatem gratiæ *efficaciſſimæ*. Quamvis autem *verbis in ſpeciem catholicis* videatur alicubi admittere *gratias ſufficientes*, cum tamen juxta ſua principia gratia ſufficiens *ſit parva & invalida, & neceſſario cedat cupiditati gradibus ſuperiori*, atque ſola gratia *per ſe efficax mederi poſſit infirmitati*, adjutorium illud *ſufficiens* evaneſcit omnino, nec alio conſilio videtur a Fratre Bellelli fuiſſe admiſſum, *niſi ut imperitis fucum faceret, & ut, ſi poſſet, Janſenii cenſuram declinaret*.

Legendum cap. 33. non 32.

Ubique Anonymum ſimilem ſui adinvenio, inurbanum, aſperrimum, cunctaque trahentem in deteriorem partem. Expendamus & hæc cavillula, imperturbatæ mentis ratione. Jam oſtendimus cap. 1. §. 2. num. 7. gratiam medicinalem dici ab Auguſtino *inſpirationem caritatis, concupiſcentiam bonam, delectationem, jucunditatem, ſuavitatem, voluptatem*; & Stephanum Dechamps, Tournelium, Maurum, alioſque contendere hanc gratiam, quæ paſſim in Auguſtini Operibus appellatur *jucunditas, ſuavitas, delectatio, voluptas, caritas*, requiri in hoc ſtatu duntaxat ob infirmitatem, ob carnis illecebras, ob perduellem concupiſcentiam. Idem oſtendi §. 8. num. 2. & 4. recitatis illis verbis Tournely de Grat. q. 2. art. 1. *Neceſſitatem adjutorii* Quo, *ſeu gratiæ efficacis in præſenti ſtatu repellit Auguſtinus ex noxia concupiſcentia, ex corruptione & infirmitate naturæ per peccatum vitiatæ, ex prævia & indeliberata, qua indiget ut ad bonum certo inclinetur, motione, delectatione, ac ſuavitate gratiæ victricis*. Addidi paullo ſupra num. 2. hanc eſſe ſententiam Eminentiſſimi Bellarmini, eoque teſte, celebriorem Scholaſticorum: tametſi in explicanda ejuſdem gratiæ victricis natura iidem Scholaſtici plurimum inter ſe diſcrepent. Iſte ergo ſolus Anonymus, propria exiſtimatione tanquam vento diſtentus, & quo neminem aut Catholicorum, aut hæreticorum, legi unquam audaciorem, & verboſiorem, poterat Auguſtinianum Theologum Janſenianæ hæreſeos damnare, propterea quod tradat neceſſitatem gratiæ victricis *ob vulnera peccato contracta*. Verba autem, quæ genuino dente conviciator mordet ex lib. 2. de ſtatu Creat. ration. cap. 33. pag. 331. omnia ſunt Auguſtini, paucis exceptis, quæ deprompta ſunt ex Synodo Tridentina. Inquit P. Bellelli: *Ex Adæ peccato concupiſcentia nata eſt, quæ nos miſeros ad peccandum inclinat*. Et Trident. Synodus ſeſſ. 5. can. 5. *Ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*. Theologus noſter ait: *Ad malum compellit, urgetque*: & Auguſtinus lib. 1. Op. imperf. nu. 71. *Mentem reſiſtentem, repugnantemque ſollicitat*: & lib. 4. numer. 28. *ad mala pertrahit*, & eodem lib. n. 41. *Urget & compellit hominem facere malum*. Appellat deinde Auguſtini diſcipulus concupiſcentiam *pondus ineluctabile*, niſi gratia Chriſti ſuccurrat: & S. Pater de concupiſcentia ſcribit lib. 7. Confeſs. cap. 17. *Diripiebar abs te pondere meo*, & lib. 13. cap. 9. *Pondus meum amor meus*: lib. item 1. de Civ. Dei cap. 2. *Ponderæ malarum cupiditatum*; atque lib. 1. Op. imperf. num. 106. pondus, quod *impellit in malum*. Docet præterea Fulgentius *hujuſmodi malo in animarum perniciem graſſanti Deum occurrere, ac mederi per merita Unigeniti Filii ſui*: & magnus Auguſtinus de Gratia Salvatoris ait 1. Retract. cap. 23. *Liberat a concupiſcentiæ dominatu*: in Pſal. 118. conc. 26. *Accipiet homo victoriam concupiſcentiæ, ut voluntate pertrahatur*: de Corrept. & Grat. cap. 11. num. 29. *Ille*, Adam, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant nunc iſti, cum dicunt*: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: *quoniam in eis* caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, *ac in tali certamine laborantes, ac periclitantes dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt*. Hanc virtutem & gratiam P. Bellelli appellat *efficaciſſimam*: nec aliter Auguſtinus ſcribens de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. n. 32. *Facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas volutati*. Concludit illuſtris Theologus gratia, qua ſubventum eſt infirmitati, *trahi voluntates de malo ad bonum indeclinabiliter*: & Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. 12. nu. 38. *Subventum eſt igitur*, inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur*. Quis ergo non videat, quod ſi velimus verba omnia ſiniſtre interpretari, atque hinc unum, inde alterum auctoris textum exſcribere, nec omnia æquo animo expendere; non ſolum Fulgentium Bellelli, ſed etiam Auguſtinum, immo & Apoſtolum Paulum, qui concupiſcentiam appellat *legem* membrorum *repugnantem legi mentis*, *captivitatem in lege peccati*, hæretici dogmatis incuſabimus, nobiſque Janſeniani, Calviniſtæ, & Manichæi gratias agent? At quod fidem humanam ſuperat, Anonymus tanta vel ignorantia, vel malitia excæcatur, ut cum Fulgentius Bellelli eodem capite pagina 330. e regione appoſita objectis verbis, apertiſſime Janſenianam hæreſim refellat, id Anonymus aut cæcus non viderit, aut imprudens contempſerit, aut iniquus tacuerit. Ergo ita ſcriptum eſt eo loci: *Atque in primis fatemur contra Janſenium neceſſariam ad meritum, & demeritum in ſtatu naturæ lapſæ libertatem nedum* a coactione, *ſed etiam a neceſſitate: ejuſdem propoſitionem* 3. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in hominibus libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione, *optimo jure damnatam dicimus*; quem-

Tourn. de Grat. p. 25. edit. Ven.

Ad Rom. 7. 23 &c. ad Gal. 5. 7.

quemadmodum fusius alias fortassis erimus exposituri. Quoniam scilicet, ut noster sapientissimus docet Magister lib. de duabus Animabus cap. 12. „ Animæ..... si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus.„ De gratia autem *parva*, atque *invalida* dictum non semel, ac etiam præced. num. 3. At audiamus adversarium.

Jans. Red. pag. 123.

VI. „ Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 8. definit liberum arbitrium a Deo motum & excitatum *posse dissentire si velit*: unde concluditur adversus Lutherum & Calvinum, quorum doctrina isto canone proscribitur, hominem posse cuicunque gratiæ dissentire, non solum sufficienti, sed etiam efficaci. At juxta doctrinam Fratris Bellelli & Jansenii, *quæ eadem est, licet aliquando verbis differant*, spreto Tridentino decreto, *impudenter* asseritur hominis arbitrium non posse resistere gratiæ efficaci. *Dicimus* (inquit F. Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 2. cap. 16.) *id a Tridentina Synodo definitum fuisse, quod liberum arbitrium a Deo motum & excitatum vocationi interiori sufficienti, quæ dat posse, valeat resistere si velit; quam quidem gratiam si vult abjicere, etiam potest, imo & interdum abjicit.* Et paullo post: *Arbitrium posse resistere gratiæ sufficienti profecto sanxit Concilium Tridentinum. Augustinus vero non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, atque insuperabili, quæ dat velle, & perficere, arbitrium minime posse resistere scribit.* Indicet F. Bellelli, quo loco scripsit Augustinus efficacem gratiam talem esse, cui arbitrium minime possit resistere. Id esse insigniter falsum, si esset his locus, probarent innumera fere Augustini testimonia. Nec ignoramus hanc esse Novatorum consuetudinem, ut sibi Augustinum vindicent, quamvis S. Doctor illis aperte contradicat. Non minus falsum est a Tridentina Synodo fuisse tantum definitum, liberum arbitrium posse resistere soli gratiæ sufficienti. Loco enim citato proscripsit Tridentina Synodus gratiam necessitantem Calvini, quæ haud dubie efficax erat, cum ad agendum necessitaret. Qua ergo fronte potuit F. Bellelli asserere gratiam sufficientem ex mente Tridentini, & Augustini solam esse, cui possit liberum arbitrium resistere? „ Hæc Anonymus doctissimus, modestissimus, prudentissimus.

Profecto si F. Bellelli ea tantum verba absque ullo additamento, ac tam crude, tam expresse enuntiavit, ut statuerit *gratiam* Jansenii, aut Calvini *necessitantem*; frontem perfrictam habuit, impudenter se gessit, ab Augustino descivit, & ego hactenus in lavando Æthiope operam perdidi. At si alia inseruit, quæ omnino redoleant sensum Catholicum & Orthodoxum, ipse Anonymus ferreus, loquax, impudens, atque inverecundus censendus erit. Quoniam ergo ubique impostorem invenimus aliena verba arrodentem, ac mutilantem; Theologi nostri responsionem integram afferamus. *Ad secundum*, inquit tom. 1. pag. 94., *dicimus, id a Tridentina Synodo definitum fuisse, quod liberum arbitrium a Deo motum & excitatum, vocationi interiori sufficienti, quæ dat posse, valeat dissentire si velit. Quam quidem gratiam, si vult, abjicere etiam potest, immo & interdum abjicit. Idque profecto Sanctæ Synodi scopo quammaxime congruit, ut scilicet in Lutheranos liberum arbitrium non activa pollere virtute, sed mere passive se habere mentientes, æquissimum anathema diceret. Cum qua fidei doctrina prorsus recte cohæret, quod arbitrium non dissentiat, nec resistat, nec respuat, nec respuere possint gratiam per se efficacem, ut dici jam consuevit a clarissimis Thomistis, in sensu composito; tametsi in sensu diviso possit ab actione, quam efficit, temperare. Quapropter Augustinus ait cap.* 8. *de prædest. Sanctorum:* Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. *Quia videlicet Deus, cum quidquam absoluta, efficacique vult voluntate, vocatione sua efficacissima aufert* cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. *De hoc efficaci per se adjutorio scripsit etiam cap.* 12. *de Corrept. & Grat.* Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur. *Et cap.* 14. *adhuc expressius:* Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, facit (*hoc est efficaci statuto facienda decrevit*) humanas voluntates NON POSSE RESISTERE, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit. *Œcumenicam autem Tridentinam Synodum hasce S. Augustini de gratia per se efficaci sententias proscribere voluisse, quis asserat? Ergo arbitrium posse resistere gratiæ sufficienti profecto sanxit, Augustinus vero non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, & insuperabili, quæ dat velle & perficere, arbitrium minime posse resistere scripsit. Thomistica tamen distinctio sensus compositi, & sensus divisi, hujusmodi difficultatibus complanandis aptissima, præ manibus est semper habenda. Quandoquidem igitur sufficienti gratiæ nedum arbitrium resistere potest, sed interdum etiam resistit, optimo jure secunda Jansenii propositio tamquam hæretica rejicienda est:* Gratiæ interiori nunquam resistitur. *Perperam namque Jansenius, & Jansenistæ cunctas per Jesum Christum adjutrices gratias per se efficaces, nullasque mere sufficientes, & excitantes esse, quibus arbitrium hominis interdum resistat, contendunt.*

Ezech. 11. 19.

Ex hac integra viri ornatissimi responsione tria sunt manifesta. Primum a Fulgentio Bellelli expressis verbis damnari hæresim Jansenianam, & admitti gratiam sufficientem, cui non tantum potest liberum arbitrium resistere, sed resistit re ipsa. Alterum affirmare eumdem auctorem, quod Augustinus & Tridentina Synodus tradiderint non posse resisti gratiæ efficaci *in sensu composito*, scilicet cum gratia efficaci, quæ applicat liberam potestatem ad assensum, non posse simul componi dissensum; id, quod evidenter commonstrat repetita sensus compositi, ac divisi distinctio, tum scopus disputationis ibidem institutæ adversus illos, *qui gratiam per se efficacem a lapsis hominibus prorsus eliminant*, atque ex Tridentino probare nituntur, quod posita motione & excitatione gratiæ necessariæ ad actum secundum, liberum arbitrium possit dissentire, si velit, ideoque componere cum divina excitatione & præmotione dissensum: atque hanc esse quæstionem ibidem pertractatam, & hoc esse argumentum eo loci solutum, evidens est ex eodem lib. 2. *de modo Reparat.* pag. 87. & 91. Postremum a viro doctissimo afferri quoque verba Augustini, quibus ait voluntates humanas *non posse resistere* voluntati divinæ, hujusque efficaci decreto, eaque verba produci eadem pagina, unde responsio eximii viri objicitur mutila, ac depravata, & produci insuper conscripta litteris grandiusculis, quæ subterfugere non debebant criminatoris obtutum: quumque iisdem verbis abuti soleant liberi arbitrii eversores, caute prudenterque Theologus noster repetit explicanda esse juxta Thomisticam distinctionem *sensus compositi, ac divisi*. Hinc apparet quam inepta sint, ludicra, ventoque inflata scribillatoris hujus cavilla. Et quamquam plura addat, ut persuadeat imperitis adhibere Fulgentium Bellelli distinctionem *sensus compositi, & divisi* artificiosa fraude, Janseniano effugio, & significatione Thomistarum sententiæ oppositæ; evidens tamen est ex §. 1. & 4. hunc Theologum adscribere gratiæ victrici, quod solummodo requiratur ad actum secundum, & applicet liberam potestatem ad actum, ideoque solam illam necessitatem adstruere, quæ est ex suppositione hujus applicationis, & consequenter hoc affirmare duntaxat, quod cum tali gratia, ac tali applicatione nequeat componi dissensus. Discutiam tamen, evellamque in hac quoque re Anonymi scrupulos in sequenti paragrapho, quandoquidem inflanti retia, & lapides elixanti gerere morem invita minerva compellor.

Verum ut magis mireris accusatoris eruditionem; scias oportet, nec deesse inter Theologos Orthodoxos, qui contendunt Tridentinam Synodum *de gratia sufficienti*, non de gratia *per se efficaci* in præcitato can. 4. exponendam esse; non tantum in Schola eorum, qui ipsam gratiam *per se efficacem* oppugnant, sed etiam in eorum cœtu, qui eamdem gratiam defendunt. Alvarez enim disp. 92. num. 8. scribit: *Aliqui Theologi dicunt Concilium Tridentinum loqui de auxilio sufficienti, non de efficaci; mihi tamen videtur dicendum cum aliis, quod loquitur etiam de efficaci.* Joannes Gonzales de Grat. suff. controv. 5. ait: *Respondetur nec Concilium, nec S. Thomam asserere, quod auxilio efficaci possit resistere homo: unde possunt de inefficaci, & excitante motione intelligi.* Et paullo post: *Etenim S. Thomas ubique docet, quod efficaci Dei motioni non potest homo resistere.* Thomas quoque de Lemos lib. 4. Panopliæ p. 2. tract. 4. cap. 23. n. 296. inquit: Concilium *docet arbitrium motum & excitatum consentire de facto Deo excitanti atque vocanti: non autem docet, quod Deo efficaciter moventi possit dissentire, quia revera hoc est impossibile in sensu composito, quem importat illa propositio, quæ est S. Thomæ* 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. *Ad* 3., inquit, *dicendum, quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter.* Et num. 297. *Concilium, ut diximus, & ejus verba expresse tradunt, definit quod motum, & excitatum arbitrium potest dissentire Deo vocanti & excitanti; quod omnes Sancti Thomæ discipuli concedunt: non autem quod potest dissentire Deo efficaciter moventi, quod S. Thomæ discipuli, & ipse S. Tho-*

Alvarez p. 743. *edit. Lugd. Gonzales p.* 320. *edit. Lug.* 1708.

Lemos tom. 4. *p.* 2. *pag.* 157. *col.* 1.

S. Thomas ubi ſupra *docet*, *ut ab omni Theologo dicendum eſt, niſi velit cum Pelagianis negare efficaciam divinæ motionis ſupra liberum hominis arbitrium. Diverſæ ergo, & valde diverſæ illæ duæ propoſitiones ſunt*, Liberum arbitrium motum & excitatum poteſt diſſentire Deo vocanti, & excitanti; *quæ veriſſima eſt, & a ſacro Concilio in terminis tradita: & iſta alia*, Liberum arbitrium a Deo motum & excitatum poteſt diſſentire Deo efficaciter moventi; *quæ falſa omnino eſt, & a diſcipulis S. Thomæ negatur*. Quamvis igitur Fulgentius Bellelli tantum ſcripſiſſet, *liberum arbitrium non poſſe diſſentire gratiæ efficaci*, non tamen damnandus eſſet tanquam Janſenianus; quoniam gratia efficax, cum prædeterminet applicetque liberum arbitrium ad actum ſecundum, ſignificat, etſi non exprimatur, *ſenſum compoſitum*: unde ab ea propoſitione, *Liberum arbitrium non poteſt diſſentire auxilio efficaci*, non abhorrent doctiſſimi Thomiſtarum. Quanto magis ab omni cenſura immunis erit, qui Theologicas exceptiones, & recentiorum formulas prudentiſſime ac frequentiſſime adhibuit.

§. VIII.

Recenſentur ea, quæ Anonymus effugia, æquivocationes, & mera verba *appellat, ut inde concludat* Fulgentium Bellelli *eſſe Janſenii diſcipulum.*

ARticulo 3. Janſeniſmi Redivivi auctor ſcribit: *Fratrem Bellelli aſſerere voluntatem reſiſtere non poſſe, ſive gratiæ, ſive cupiditati, ſecundum quod una alteram gradibus ſuperat, & neceſſe eſse ut voluntas conſentiat illi e duabus delectationibus indeliberatis, qua eſt gradibus ſuperior altera.* 2. inquit: *F. Bellelli ut aliquatenus imminuat horrorem, quem auribus Chriſtianis incutere valet hæc doctrina, de gratia ſcilicet, & cupiditate voluntatem humanam alternatim neceſſitantibus, varias, eaſque plurimas affert Scholaſticas diſtinctiones, quarum ſi non fimitate, ſaltem numero obruantur incauti lectores;* recitatque Anonymus diſtinctiones illas ſuperius receuſitas, & rurſus expendendas. 3. ait: *Harum Scholaſticarum diſtinctionum quædam ſunt apud Theologos Orthodoxos, & præſertim apud Thomiſtas, valde uſitatæ; aliæ vero a F. Bellelli videntur excogitatæ, ut ſuper hac jam ſatis intricata quæſtione denſiores adhuc tenebras magis, ac magis effundat.* 4. Ut appareat *quantum inania ſint atque inepta* F. Bellelli *diverticula*, duo aſſumit demonſtranda, primum, *Scholaſticas Theologorum Orthodoxorum diſtinctiones nullatenus congruere aut aptari poſſe ſyſtemati Bellelliano:* alterum, *novis, quas ipſe F. Bellelli excogitaſſe videtur, diſtinctionibus illum nullatenus a ſyſtemate Janſeniano recedere, immo illius ſyſtematis ſe aſſertorem atque protectorem profiteri.*

Janſ. Red. pag. 133.

II. Prior diſtinctio, quam F. Bellelli adhibet de modo Rep. tom. 1. lib. 2. cap. 20. eſt: *Neceſſitas*, quam infert gratia efficax, *non eſt neceſſitas abſoluta, ſed diminuta*, ex ſuppoſitione ſcilicet *applicationis liberæ voluntatis ad actum*. Alvarez de Aux. diſp. 22. num. 40. utitur eadem diſtinctione ſcribens: *Neceſſitas futuri conſenſus, quæ deſumitur ex antecedente decreto voluntatis divinæ, non eſt neceſſitas abſoluta, ſed conditionalis*. Hujus ſententiæ iſtam affert rationem ibidem num. 39. *Solus Deus propter ſuam infinitatem, & omnipotentiam, quia eſt auctor voluntatis creatæ, poteſt illam immutare conformiter ad ſuam naturam, & movere efficaciter, atque applicare ad producendum actum in particulari, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum modum libertatis*. Ita etiam S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. q. 22. art. 4. & q. 8. art. 1. &c. *Neceſſitatem autem hypotheticam in ſenſu Thomiſtico intellectam* (inquit Anonymus) *revera non admittit F. Bellelli, licet illam admittere ſimulet. Repetit enim efficaciam gratiæ non ex omnipotenti & abſoluta Dei voluntate, qua Deus ipſe abſque ulla liberi arbitrii læſione ita præmovet & prædeterminat actiones hominum, ut vere poſſint ſemper agere vel non agere; ſed illam efficaciam repetit ex ſuperioritate graduum ipſiuſmet delectationis cæleſtis, quæ graduum ſuperioritas ſecum non involvit liberam effectus futuritionem, quam involvit præmotio aut prædeterminatio divina; ſed ſecum importat actum antecedenter & neceſſario futurum, & ſimul negationem potentiæ veræ & proprie dictæ ad actum oppoſitum. Illa ergo neceſſitas, quæ oritur ex graduum ſuperioritate in delectatione cæleſti, non eſt neceſſitas ullatenus hypothetica, ſed vera & abſoluta neceſſitas.*

Janſ. Red. pag. 136.

III. Addit F. Bellelli *neceſſitatem illam non eſſe antecedentem, ſed conſequentem*, qua diſtinctione utuntur etiam Orthodoxi, ſed in ſenſu longe diverſo. *Neceſſitas enim antecedens* in ſenſu Catholicorum illa eſt, quæ non ſupponit Dei decretum abſolutum de futuritione actus alicujus liberi: unde Alvarez diſput. 22. num. 41. *Neceſſitas ex ſuppoſitione voluntatis divinæ non eſt neceſſitas antecedens, ſed potius conſequens cauſam rei. Licet enim antecedat cauſam ſecundam, quæ eſt voluntas creata, non tamen antecedit cauſam primam ſimpliciter, ſcilicet voluntatem divinam, quæ magis influit in effectum, quam cauſa ſecunda*. Neceſſitas autem, quam admittit F. Bellelli, *cum non ſupponat futurum uſum liberi arbitrii, imo ſupponit, & conſequitur ſolummodo Dei Decretum de concedenda gratia, quæ gradibus ſuperet cupiditatem, ac proinde quæ pro graduum ſuperioritate ſit invincibilis*, hæc neceſſitas, inquam, *eſt neceſſitas antecedens, ideoque vera & proprie dicta neceſſitas.*

IV. Quid intelligit Theologus iſte nomine *neceſſitatis antecedentis & conſequentis? Neceſſitas antecedens*, inquit de modo Rep. tom. 1. lib. 4. cap. 39. *ea eſt, quæ in eſſentia ipſa humanæ voluntatis collocatur: conſequens vero, quæ poſt inflicta per peccatum vulnera in accidentali forma eidem accedente ſtatuitur*. Similia de ſtatu creat. rationalis lib. 3. cap. 19. Agnoſcit ergo in ſtatu naturæ lapſæ *neceſſitatem obſequendi delectationi gradibus ſuperiori, quæ idcirco non eſt antecedens, quia orta eſt ex Adami peccato: unde manifeſtum eſt, quod F. Bellelli hæc vocabula, neceſſitas antecedens, & neceſſitas conſequens, non ſolum aliter intelligat, quam Theologi Orthodoxi, ſed etiam quod eis tribuat ſenſum hæreſi Janſenianæ perfecte conſentaneum.*

V. Diſtinctio *ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi*, juxta Fratrem Bellelli, eſt *vera neceſſitas conſentiendi; quum præcedenti articulo demonſtratum ſit ab eo admitti in homine gratia ſuperiore inſtructo diſſentiendi impotentiam*; ac inſuper de modo rep. lib. 4. cap. 39. aperte docet diſtinctionem *ſenſus compoſiti, ac diviſi* idem ſignificare, ac ſi dicatur *conſenſum liberum eſſe eſſentialiter & abſolute, determinatum vero dumtaxat accidentaliter, & conſequenti voluntate*. Præterea etſi ſupponeretur Fratrem Bellelli intellexiſſe *diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi*, ſicut illam intelligunt Thomiſtæ, non ideo notam erroris a ſe amovere poterit, *quandiu in voluntate veram potentiam diſſentiendi delectationi prædominanti non agnoſcat*. Quare aſſentietur Alvarez, ceteriſque Thomiſtis eadem diſtinctione utentibus, *modo ipſi liceat adjicere potentiam illam diſſentiendi non aliam eſſe, quam eam, qua præditus eſt homo*, cui ob aliquam infirmitatem clauſæ ſunt oculorum genæ. *Hanc enim Theologus noſter affert comparationem* de modo Rep. lib. 4. cap. 1. *Nec aliter opinari poteſt, cum aſſerat tanquam ſyſtematis ſui ac Janſeniani præcipuum caput, voluntatem humanam non poſſe repellere delectationem prædominantem, ſive caritas illa ſit, ſive cupiditas.*

VI. Neceſſitatem *illationis & infallibilitatis, quam alii vocant neceſſitatem conſequentiæ*, F. Bellelli non poteſt admittere, *niſi in ſenſu Janſeniano, cum, ut ſæpius obſervavimus, contendat cum Janſenio voluntatem diſſentire non poſſe, & neceſſe eſſe ut conſentiat* delectationi, quæ actu gradibus ſuperat alteram, ac proinde gratiæ, ſi ſit gradibus ſuperior cupiditate.

VII. Quantum ſpectat ad diſtinctiones alias a F. Bellelli uſurpatas, *quid ſibi velit, dum neceſſitatem, quam gratia efficax imponit, contendit eſſe non amplam, ſed diminutam, ſeu reſtrictam, non facile quidem captu eſt*: ſed quidquid ſub his lateat verbis, certiſſimum eſt ea neceſſitate deſtrui liberum arbitrium, *cum oriatur ex graduum ſuperioritate, ita ut neceſſe ſit voluntatem conſentire illi delectationi indeliberatæ, quæ actu fortior eſt altera, eamque ſuperat*. Deinde Anonymus ea verba, *non amplam, ſed diminutam*, ita interpretatus, quaſi in ſententia Auguſtiniani Theologi neceſſitetur quidem voluntas ad obtemperandum gratiæ per ſe efficaci, *ſed non æque neceſſitetur ad obſequendum alteri cuilibet rei, v. g. variis ſtellarum conſtellationibus*, ita mirabundus exclamat: *Innoxius ne* erit F. Bellelli *Janſenianam hæreſim pertinaciter aſſerendo, modo alia antiquorum hæreticorum non amplectatur deliria?*

Janſ. Red. pag. 146.

VIII. F. Bellelli diſtinguit *neceſſitatem actus primi, ſive activæ virtutis, a neceſſitate actus ſecundi, ſeu applicationis*: atque hæ locutiones Theologo noſtro peculiares videntur adinventæ *ad offundendam lectorum oculis caliginem*. Thomiſtæ quidem docent quod gratia ſeipſa efficax ſe teneat *ex parte actus ſecundi, non autem ex parte actus primi*, & quod activa virtus per gratiam ſufficientem *ſit completa, proxima & expedita*: ſed nec Thomiſtæ, nec ullus unquam Theologus Orthodoxus, ut liberum hominis arbitrium ſervet incolume, his uſi ſunt loquendi rationibus, *quod neceſſitas voluntatis obſequendi efficaci gratiæ ſit neceſſitas actus ſecundi, non actus primi*: imo cum expreſſe doceant voluntatem non neceſſitari ad actum ſecundum, omnino rejiciunt tamquam hæreticas

has hactenus inauditas propositiones : *Necessitas obsequendi gratiæ efficaci est necessitas actus secundi, est necessitas applicationis.*

IX. Asserit F. Bellelli hanc necessitatem esse *necessitatem accidentalem, non essentialem :* sed ex hoc ultimo effugio nihil ad sui causam præsidii potest eruere. Quamvis enim necessitas illa non pertineat *ad essentiam voluntatis*, sed accidentalis sit, & adventitia, si sit vera & propria necessitas, sicut constat esse talem, certum est hac necessitate perimi liberum arbitrium. „ Hactenus vitilitigator.

§. IX.

Demonstratur quam inepta sint, ac futilia præmissa objectamenta.

I. PRoducta superiori §. evincunt non Jansenianum, sed Orthodoxum esse Fulgentium nostrum, ejusque criminatorem audacter omnia perstringere, & sycophantice interpretari. Atque objecta priori numero, quoniam nihil crepant aliud, quam pertinacissime inflatam calumniam gratiæ & cupiditatis gradu superioris voluntatem necessario impellentis, nullibi ab insigni Theologo traditæ, pravumque animum illudendi, offundendi tenebras, ineptaque diverticula excogitandi, operæ pretium est contemnere atque irridere, ne adinstar aviculæ milvinos oculos omnia lustrantes expavescere videamur. Quare distinctiones a Fulgentio Bellelli adhibitas, earumque sensum investigabimus, auditis quoque Sylvio, & Alvaresio, quos adversarius commemorat. Quantum vero attinet ad illarum distinctionum vocabula; certum est horum plura esse communia, ac tritissima, scribente ipsomet Alvarez disp. 25. num. 2. necessitatem ex suppositione auxilii efficacis, quæ libertati non obstat, appellari a S. Thoma *nunc necessitatem in sensu composito,* Alv. pag. 255. *nunc necessitatem modalis de dicto, nunc necessitatem infallibilitatis, nunc necessitatem immutabilitatis, nunc necessitatem conditionatam, nunc denique necessitatem consequentiæ, quæ est necessitas secundum quid :* quæ omnia illustris Thomista verbis S. Thomæ, aliorumque Scholasticorum, in eadem disputatione diligenter explanat.

II. Gratia efficaci nequaquam inferri necessitatem *absolutam*, sed *hypotheticam*, ideo Thomistæ docent, quoniam hæc necessitas desumitur *ex antecedenti decreto voluntatis divinæ, unde sequuntur actus nostri liberi arbitrii*, ut revera docet Alvarez disp. 22. num. 40. Si eo tamen loci animadvertisset Anonymus, Alvaresium ulterius asserere illam *esse antecedentem necessitatem, quæ sumitur ex natura rei, sive ex ipsa connexione extremorum secundum se, sicut necesse est calum volvi*, & citata disput. 25. num. 3. *absolute dici aliquid necessarium propter necessariam habitudinem adinvicem terminorum, qui in aliqua propositione ponuntur,* Idem Alvar. pag. 209. & 256. *sicut hominem esse animal*, quæ sunt verba Aug. Doct. q. 23. de Verit. art. 4. haud miratus esset, ab Augustiniano Scriptore necessitatem absolutam dici *essentialem, & naturæ in se spectatæ.* At ne statim ad hæc vocabula descendamus; aut fallitur, aut mentitur Anonymus, dum ait Fulgentium Bellelli non repetere gratiæ efficacitatem *ex omnipotenti, & absoluta Dei voluntate*, sed solum ex superiori delectatione. Tomo enim 1. de modo Rep. lib. 2. cap. 16. inquit gratiam Bellel. tom. 1. pag. 94. 104. 105. 299. & 300. efficacem conferri a Deo *ex libito misericordiæ suæ*, atque *inscrutabili judicio absolutoque decreto*. Eodem lib. cap. 20. eandem gratiam demonstrat ex verbis Augustini de Corrept. & grat. cap. 14. *Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*, & ait: *Eas itaque Deus homini confert, ut decretum efficax minime sua intentione frustretur*. Lib. 4. cap. 42. *Statuto decreto efficaci prædefiniente consensum, utrumque constantissime amplectimur, & hominem posse libera voluntate dissentire, & non posse infallibile Dei decretum frustrare*. Eodem libro cap. 42. *In sensu composito cum decreto efficaci voluntas potest consentire, quoniam hæc est voluntas Dei, ut consentiat: at in sensu composito cum decreto efficaci voluntas dissentire non potest; nequit enim componere dissensum cum efficaci decreto, quia non est supra Dei voluntatem infirmi hominis constituta voluntas.* Ita ergo Fulgentius constituit gratiam efficacem in delectatione victrici, ut hæc effectui conjuncta sit ex Dei potestate, ex Dei voluntate, ex Dei efficaci decreto prædefiniente actum liberum voluntatis humanæ, eo prorsus modo, ac tradunt Thomistæ.

III. Necessitatem *antecedentem*, & *consequentem* recte Alvarez disput. 22. num. 41. explicat dicens : *Necessitas ex suppositione voluntatis divinæ non est necessitas antecedens, sed potius consequens causam rei : licet enim antecedat causam secundam, non tamen antecedit causam primam simpliciter, scilicet voluntatem divinam, quæ magis influit in effectum, quam causa secunda.* Alv. pag. 210. & 920. Disp. autem 115. num. 11. ait efficacem Dei motionem non inducere necessitatem antecedentem, *quia non est necessaria ut homo possit operari, sed ut actu operetur, & potentia reducatur ad actum*. Ita & Lemos lib. 4. Panopl. tract. 4. cap. 14. num. 180. *Efficax motio supernaturalis in se a Deo habet hæc duo sibi communicata, & efficaciam, & modum liberum, applicando voluntatem ad libere operandum*. Quid autem Fulgentius Bellelli? Lib. 3. de modo Rep. cap. 6. de Gratia efficaci scribit: *Est applicatio potestatis ad actionem, qua Deus ipse humanum arbitrium, adjutorio possibilitatis instructum, ac roboratum ut possit, ad effectum piæ operationis conjungit*, sicut artifex applicat securim ad scindendum, *ut inquit S. Thomas 1. p. q. 105. art. 5.* Et cap. 7. *Hujuscemodi gratiæ per se efficacis determinatio non ad potentiam constituendam, sed ad ejusdem applicationem pertinet*: Cap. 8. *Efficacis gratiæ determinatio primum actum ad secundum, seu arbitrii potestatem indifferentem ad operationem faciendam applicat, conjungitque;* & lib. 4. cap. 39. *Indifferens de se virtus bonæ pieque actioni vigore superadditæ gratiæ conjungitur*. Igitur in Catholico Thomistarum sensu ea dicitur *necessitas consequens*, non antecedens, quæ oritur *ex suppositione efficacis motionis applicantis liberum arbitrium ad opus*. A Fulgentio Bellelli adstruitur sola necessitas orta *ex suppositione gratiæ efficacis applicantis liberum arbitrium ad opus*. Ergo a Fulgentio Bellelli adstruitur in Catholico Thomistarum sensu *necessitas consequens*, non antecedens.

Lemos pag. 131. & 132. n. 188. Bellelli tom. 1. pag. 127. 131. 134. 287.

IV. Quid vero P. Bellelli significet dum necessitatem antecedentem appellat *essentialem*, sequentem vero *accidentalem*, primum patet ex præcedenti num. 2. Vidimus enim, etiam S. Thomam descripsisse necessitatem *antecedentem*, quod ea sit, quæ sumitur *ex natura rei, atque necessaria connexione terminorum*. Nequit ergo melius intelligi quid sit necessitas *essentialis*, quam si præmittatur quid sit *essentialis* libertas eidem necessitati contraria. Thomistæ libertatem *essentialem* appellant *activam indifferentiam, vim electivam mediorum, & potestatem agendi, vel non agendi*, nec Thomistæ tantum, sed omnes Theologi, ut diximus nu. 6. §. 7. De hac indifferentia *essentiali* inquit Alvarez Alvar. disp. 115. nu. 10. *Si loquamur de indifferentia intrinseca & essentiali ipsi libertati, eamdem indifferentiam habet liberum arbitrium antequam operetur, & dum actu operatur: nam indifferentia essentialis consistit in indivisibili, nec recipit magis ac minus. Hæc autem indifferentia est illa, quæ opponitur determinationi ad unum ex necessitate*. Et Franc. Sylvius 1. p. q. 83. art. 1. *Necessitas est multiplex. Prima est, patiendi motus concupiscentiæ. Secunda, peccandi ex ignorantia. Tertia, peccandi ex infirmitate. Quarta, peccandi venialiter. Quinta, peccandi aliquando mortaliter in eo, qui non est per Christum liberatus. Sexta, necessitas gratiæ. Septima, necessitas mortis & pœnarum hujus vitæ. Octava, necessitas coactionis. Nona est necessitas naturalis, qua quidpiam est naturaliter determinatum ad unum. Inter quas solæ duæ postremæ simpliciter repugnant libertati arbitrii*. Si ergo Fulgentius Bellelli sub delectatione victrici admittit libertatem *essentialem*, & excludit necessitatem *coactionis*, & necessitatem *naturalem*, rectissime, & inculpate ait sub eadem delectatione non esse necessitatem *essentialem*, sed *accidentalem*. At hæc omnia disertissime tradidit. Etenim libertatem *essentialem* eadem communi ratione descripsit, appellavitque *indifferentiam activam, vim electivam mediorum, & facultatem eligendi unum præ alio*, lib. 3. cap. 1. aliisque in locis, de quibus §. 4. & 7. Necessitatem *a coactione* procul a libertate rejecit, scribens eodem lib. cap. 5. *Coactio cum voluntarium aufert, libertatem etiam subruat necesse est*. Ac demum auxilium efficax, delectationemque victricem non exigit, quia *facultas liberi arbitrii sit naturaliter determinata ad unum*, sed tantum ut ejus potestas indifferens, extenuata, & infirma *applicetur ad actum;* prout vidimus num. præced. Adhibuit ergo distinctionem *necessitatis essentialis, & accidentalis* in sensu Catholico & Orthodoxo.

Sylv. 1. p. q. 83. art. 1. pag. 523. edit. Antuerp. Tom. 1. de modo Rep. pag. 110. & 127.

V. Idem asserendum est de distinctione *sensus compositi, ac divisi*. De hac distinctione prolixe agit Gonetus disp. 6. art. 4. productis verbis Bannes, Alvares, Gonzales, aliorumque celebriorum Thomistarum; quorum omnium concordissima sententia est, *Quod efficaci Dei motione posita in voluntate liberum arbitrium potest dissentire in sensu diviso, quia etiam prout stat sub tali motione semper retinet potentiam proximam & expeditam ad dissentiendum, sicut homo sub gratia constitutus potentiam proximam ad peccandum : non potest tamen dissentire in sensu composito, quia cum talis motio inferat infallibiliter consensum, & iste sit in eodem instanti temporis cum illa, nunquam potest componi cum actuali dissensu, sicut nec gratia sanctificans cum pec-*

Gonet tom. 2. pag. 117.

cato

cato mortali. Porro eadem eſt Patris Bellelli doctrina.

Tom. 1. de modo Rep. pag. 300. *In ſenſu compoſito*, inquit de modo Rep. lib. 4. cap. 42. *cum decreto efficaci voluntas libera poteſt conſentire, quoniam hæc eſt voluntas Dei ut conſentiat. At in ſenſu compoſito voluntas diſſentire non poteſt: nequit enim componere diſſenſum cum efficaci decreto, quia non eſt ſupra Dei voluntatem infirmi hominis conſtituta voluntas. Diſſentire tamen poteſt in ſenſu diviſo, inſpecta ſcilicet eſſentia liberæ poteſtatis, diſſenſuque ſecundum ſe conſiderato, non autem quatenus* COMPONIBILI *cum decreto*. Scripſerat ſupra eodem lib. 39. pag. 286. *Ut conſenſus dicatur liber, minime exigitur ut cum efficaci per ſe gratia arbitrium poſſit diſſenſum componere; ſatis namque eſt, ſi in ſenſu diviſo poſſit conſentire, vel diſſentire*. Utitur ibidem vir doctiſſimus exemplo voluntatis humanæ *ſeſe ad agendum applicantis*, a qua applicatione dividi nequit *indifferentia actus primi*, & cum qua infallibiliter componitur *actus ſecundus*: eodemque exemplo utuntur quoque Thomiſtæ, ac præſertim Gonzales controv. 5. art. 6. Itaque & in hac diſtinctione adhibenda Theologus Auguſtinenſis defendit libertatem indifferentiæ; & gratiam victricem non *a potentia diſſentiendi, ſed ab actuali diſſenſu* diviſit, eadem fere uſurpans verba, quæ adhibuit Alvareſius diſp. 92. num. 11.

Gonzales pag. 343 edit. Leod. & Cajet. in 1. p. q. 22. art. 4. Alvar. pag. 746.

VI. Neceſſitas *infallibilitatis* ita explicatur a S. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3. *Si præparatio ad gratiam conſideretur ſecundum quod eſt a Deo movente, tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundum quod Auguſtinus dicit in libro de Prædeſt. SS. quod per beneficia Dei certiſſime liberantur quicunque liberantur. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt quod homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter illam conſequitur, ſecundum illud Joannis 6. Omnis, qui audit a Patre, & didicit, venit ad me*. Hinc diſcipuli S. Thomæ ajunt neceſſitatem *infallibilitatis & conſequentiæ* eſſe, quæ petitur ex ſuppoſitione præſcientiæ, & efficacis Dei præmotionis, cum qua conſiſtit, quod effectus comparate ad cauſam ſecundam liberam & contingentem ſit contingens & liber. Vide Antoninum Maſſoulié differt. 1. de div. mot. q. 8. art. 2. & Didacum Alvarez diſp. 25. n. 6. His adhærens Auguſtinianus Theologus ſcribit lib. 4. de modo Rep. cap. 39. *Dicimus utique gratiam per ſe efficacem ad unum eſſe determinatam, & ſuapte natura cum conſenſu connexam. At negamus a ſola per ſe efficaci gratia conſenſum effici. Simul enim producitur a gratia & libertate, quarum illa determinata, hæc vero indifferens eſt*. Adde quæ præmiſſa ſunt num. 2. & 3.

Maſſoul. tom 1. pag. 158. Alvar. pag. 258. Bellel. tom. 1. pag. 285.

VII. Ex his apertiſſimum eſt, quomodo accipiendæ ſint diſtinctiones aliæ, quas Anonymus damnat novitatis, irridet, atque ad faciendum fucum excogitatas eſſe pronuntiat. Neque enim Fulgentius Bellelli ſolitarie, & abſque ullo additamento, inquit ſub gratia efficaci dari neceſſitatem *diminutam*, *reſtrictamque*, ſive *neceſſitatem accidentalem*, *& actus ſecundi*; ſed plura addit, quibus horum vocabulorum ſenſus dignoſcitur. Si enim, ut ex dictis perſpicuum eſt, docet auxilium efficax applicare *potentiam ad actum ſecundum*, ſi docet neceſſitatem ortam *ex tali applicatione* non eſſe *abſolutam*, ſi docet ſub tali neceſſitate permanere *libertatem eſſentialem*, *ac poteſtatem agendi, vel non agendi*; profecto eamdem neceſſitatem appellat *diminutam*, quatenus non eſt abſoluta & ampla, neque extenditur ad indifferentiam activam: appellat neceſſitatem *actus ſecundi*, quatenus oritur ex ſuppoſitione gratiæ efficacis applicantis liberum arbitrium ad opus; & appellat neceſſitatem *accidentalem*, quatenus non evertit eſſentiam liberi arbitrii ſitam in poteſtate agendi, vel non agendi. Adde, ut magis, magiſque appareat quam ineptæ futileſque ſint adverſarii cavillæ, quod legitur de modo Reparat. lib. 3. cap. 8. *Cavendum eſt, ne determinatio gratiæ in eſſentiam ipſam arbitrii, ſeu actum ipſius primum derivetur: quod apte fit, ſi efficacis gratiæ determinatio affixa operi aſſeratur, & actioni, quatenus ſcilicet primum actum AD SECUNDUM, ſeu arbitrii poteſtatem indifferentem ad operationem faciendam applicat, conjungitque*. Quare ergo tanta magniloquentia & jactantia contendit novus iſte Palæphatus Theologum, qui ipſum ſuperat pluſquam fulicam cygnus, adverſari Thomiſtis aſſerentibus gratiam ſeipſa efficacem ſe tenere *ex parte actus ſecundi*?

De modo Reparat. tom. 1. pag. 133. & 134.

§. X.

Comprimitur poſtremus adverſarii conatus, & conſequentium falſitas infertur ex antecedentium confutatione.

Janſ. Red. pag. 149.

ADdit articulos duos Anonymus, in quorum uno agit de eſſentia liberi arbitrii tradita a Patre Bellelli, in altero prædicta colligens infert hujus doctrinam omnino conſentire Janſenianæ. De libertate tamen, quam & nos repetimus ex indifferentia judicii, quo in eligendis iis, in quibus non relucet pleniſſima ratio boni, mens ſedet arbitra, & uni præ aliis adhæret, ſatis pertractatum eſt §. 3. capitis primi, & §. 9. cap. 2. Conſectaria vero refutatis antecedentibus per ſe corruunt. Ceterum quia poſtremo loco producta ab Anonymo Theologi noſtri potius orthodoxiam confirmant, quam erroris inferant ſuſpicionem, eadem quoque brevi diſcutiam.

Bellel. de modo Rep. pag. 116. pag. 132. Bellar. tom. 4 pag. 264. Alv. pag. 944.

I. De libertate diſputans Fulgentius Bellelli lib. 3. *de modo Rep.* ex pluribus Auguſtini locis demonſtrat quæſtionem hanc eſſe ad ſolvendum *difficillimam*, nec aliquos perturbandos eſſe ejuſdem quæſtionis *obſcuritate*. Cap. 8. idem repetit, nos admonens cum eodem Auguſtino, ne aut liberum arbitrium, aut Dei gratiam negemus, quotieſcunque *ipſa ratio quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat*: urgetque excelſum Trinitatis myſterium, in quo firmiſſime confitemur unitatem *eſſentiæ* adverſus Arium, & diſtinctionem *Perſonarum* adverſus Sabellium; quamvis hujus myſterii celſitudinem aſſequi non valeamus. Ex hujus autem quæſtionis obſcuritate colligit liberum arbitrium ſub gratia efficaci non ſolum *a coactione*, verumetiam *a neceſſitate* eſſe immune, ſcribens priori in loco: *Quamobrem Calviniana, Bajana, & Janſeniana hæreſis, quæ poteſtatem arbitrii ad unum neceſſitatam, determinatamque poſuerunt, quo eam facillime cum divina Gratia per ſe efficaci componerent, aliam in lapſo homine libertatem, quam* a coactione *non agnoſcentes argumento Doctiſſimi Cardinalis Bellarmini lib. 3. de Grat. & liber. arbit. cap. 5. valide conteruntur. Cujus quidem ea vis eſt: Si ab hoc doctrinæ articulo, quo Gratia cum arbitrio componitur, tollitur difficultas; tollitur etiam Fidei veritas*. Et cit. cap. 8. *Difficultas ipſa, libertatis indifferentiæ cum victrici per ſe gratia concors vinculum, unionemque ſuadet. Nam ſi gratia per ſe efficax non eſſet, quæſtio hæc teſte Card. Bellarmino lib. 3. de Grat. & lib. arb. cap. 5. nec difficilis foret, nec obſcura, ſed plana & perſpicua*. Familiare eſt etiam Thomiſtis aſſerere hujus quæſtionis difficultatem, atque uti etiam divinorum myſteriorum comparatione; ut facit Alvareſius diſp. 118. nu. 6. Nil ergo nos, neque Anonymum permovere debet, ſi forte Fulgentius Bellelli difficillimam quæſtionem perfecte non ſolverit, & omnibus non ſatisfecerit: ſed hoc uno contenti eſſe debemus, quod libertatem indifferentiæ & gratiam victricem ſimul conjungi docuerit. Neque enim debebat Auguſtini diſcipulus ſeſe ſupra Magiſtrum extollere, ac ſibimet proponere perſpicuum & facile, quod Sancto Doctori viſum eſt obſcuriſſimum ac difficillimum. Quoniam vero nos etiam haud mediocriter hac quæſtione pulſamur; oramus Anonymum hujus ætatis miraculum & ſingulare ornamentum, ut dicteriis, nugiſque, quæ ipſum dedecent, abjectis, doceat nos meliorem gratiæ cum libertate conciliandæ rationem: ſed animadvertat eam, quæ obſcura ſit, iiſdem difficultatibus implicari; eam autem, quæ ſit facilior ac planior, Auguſtini diſcipulis ob ipſam facilitatem reddi ſuſpectam.

Janſ. Red. pag. 151.

II. Deberet hæc reſponſio cuilibet frugi lectori ſatis eſſe: at ſilentio prætereundum non eſt, quod Auguſtinianus Theologus lib. 2. de ſtatu creat. ration. demonſtrans Adam, & Angelos non indiguiſſe ad perſeverandum gratia per ſe efficaci, conatur demonſtrare prædeterminationem non exigi, ut cenſent Thomiſtæ, ob eſſentialem dependentiam cauſarum ſecundarum a prima, qua Fulgentius arbitratur interimi libertatem. Ut ergo Anonymus hanc ſententiam in invidiam trahat, quaſi Auguſtinianus Doctor ſcripſiſſet Thomiſtas libertatem evertere, *Hanc*, ait, *adverſus prædeterminationis phyſicæ aſſertores illatam calumniam haud difficulter repellunt Thomiſtæ*. Ubinam Pater Bellelli calumniatur Thomiſtas? Ubinam ait denegari ab his libertatem? Profecto ſi calumnia dicenda ſit quælibet argumentatio, qua impugnatur aliqua Scholarum opinio ex conſectariis, quæ illinc ab oppugnatoribus inferuntur, negantur autem ab aſſertoribus ejuſdem opinionis; nemo calumnioſior

erit iis, qui negant dari gratiam per se efficacem, apud quod nil solemnius, aut usitatius ratiocinatione ista, *Gratia per se efficax non stat cum libero arbitrio; ergo rejicienda est*. Sed absit, ut vestigiis inhærentes Anonymi calumniatoris, ab argumentandi ratione non distinguamus calumniæ piaculum. De Thomistis Fulgentius noster locutus est, ut par erat, de his, ac de Augustinensibus præmittens initio illius quæstionis: *Utrinque nobilissimi Scholastici contraria opinantes inveniuntur, & singuli sibi suffragantem Augustini authoritatem declamant*. Ab iisdem Thomistis veniam quoque sibimet pollicetur, ad sententiam suam post Lovanienses doctissimos trahens Angelici Doctoris auctoritatem, ita exorsus cap. 18. *Scio nobilissimos Thomistas veniam daturos mihi, si Angelicum Doctorem pro nostra sententia recitaverim*. Neque P. Bellelli negat Deum aliquando physice prædeterminare rationales creaturas ad opus sua *omnipotentissima potestate*, nullatenus libertate læsa: sed hoc demonstrat cap. 27. auctoritate ac ratione, illud tantum affirmans non exigi hanc determinationem *propter essentialem creaturarum a Deo dependentiam*, quoniam repetita prædeterminatione ex hoc capite, putat prædeterminandum etiam fore *actum primum virtutis, & liberæ facultatis*, cum & iste actus primus essentialiter pendeat a prima causa: atque id probare nititur vicesimoquinto capite ejusdem libri. Num vero argumentatio illa firma sit, aut spernenda, mea non interest. Refert tantumnodo ab illata Thomistis calumnia virum optimum vindicasse. Neminem præterea latet, nisi forte novum hunc hospitem, plurimos esse Fulgentio Bellelli consentientes in neganda pro statu innocentiæ victrici gratia, ideoque in oppugnanda prædeterminatione ex titulo dependentiæ secundarum causarum a prima. Capite 19. pagina 253. & seqq. ostendit Pater Bellelli sibi in ea sententia præivisse Gregorium Arminensem, Cardinalem Norisium, Basilium Poncium, Christianum Lupum, Franciscum Macedum: quibus alios plurimos accessisse egomet alibi demonstravi.

Bellelli de statu creat. ration. pag. 146. 246. 300. 305.

De Theolog. discipl. lib. 4. cap. 8. tom. 1. pag. 334. & 335.

III. Forte ne hos, aliosque auctores eidem objiceremus, siluit Anonymus laudari a Fulgentio Bellelli inter ceteros Antonium Arnaldum, & de hujus operibus scribi pagina 257. *Nihil aliud, quam Augustinum redolent*; quam tamen objectionem quidam clanculum obtrudunt & inflant: atque, ut opinor, una est, quæ virum alioqui eruditum, non semper accuratum & circumspectum fuisse aliquibus persuadeat. Antequam vero accusatores hæc verba carperent & amplificarent; eadem ego ipse prænotaveram, nulla tamen admiratione commotus, quod optime scirem homines nos esse, non Angelos, atque in Canonicis Epistolis adinveniri scriptum: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. At incidit postea in manus meas Fulgentii Bellelli Opusculum Apologeticum, conscriptum die 4. Junii anno 1717. cujus lectione inanis illa suspicio prorsus evanuit. Ibi enim §. XI. ista leguntur: „ Quod autem Arnaldum clarissimum virum appellaverim, in causa fuit egregium plane Opus *de Fide Eucharistiæ perpetuitate* cunctorum eruditorum calculis comprobatum, quorum summis laudibus ob id Arnaldum excipi ignorat nemo. A Summis quoque Pontificibus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Arnaldum olim fuisse laudatum, explorata res est. Nonnulla ejusdem Opera indici prohibitorum inserta, & nonnulla etiam non inserta, quibus se in Augustini lectione versatum exhibet, est manifestum: sed quisquis ille sit, non mihi magno vertendum erat piaculo, quod non Arnaldum ubi erravit, sed ubi catholice de adjutorio primi hominis sensit, laudaverim. Non enim propterea fides Eucharistica deserenda est, quia eam Jansenianus Arnaldus propugnavit. „ Hanc Epistolam, seu Opusculum Apologeticum in Bibliotheca Angelica reponere nuper curavi, ut qui putant a se novi aliquid proferri, discant nil aliud opponi, quam ante annos triginta objecta, atque excussa. Itaque nosmetipsos in semitam revocemus.

Jacob. 3. 2.

Biblioth. Angel. Arch. num. 60.

IV. Contendit Anonymus Fulgentium Bellelli *simulare* dum damnat Jansenianum *de necessitate* systema, quoniam ne nullum quidem verbum facit *de immunitate a simplici necessitate*. Etenim, inquit, ad libertatem indifferentiæ requirit 1. *concursum Dei generalem*; de qua prima conditione ait Anonymus: *Huic suffragantur alii Theologi*. 2. Exigit *objecti notitiam*; & accusator reponit: *De hac quoque conditione nullum potest esse dubium*. 3. Postulat, ut objectum non appareat *sub pura ratione boni*; & animadversor subjicit: *Hæc tertia conditio admittitur quoque a Theologis*. 4. Requirit, ut voluntas sit *immunis a coactione*; & inquit criminator: *Verum de immunitate a simplici necessitate altum habet silentium*. Exigit tandem, ut arbitrium *sufficienti gratia fulciatur*; & censor omniscius ait: *Conveniunt de hac ultima* * *conditione omnes Theologi Orthodoxi*. Arguitur ergo F. *Bellelli, quod solum requirat immunitatem a coactione, cum debuisset etiam exigere immunitatem a necessitate*. Ita Anonymus. At nequaquam verbis istis luderet, & illuderet adversarius, si accuratius librum illum Fulgentii tertium legisset, ac tertiam insuper conditionem integram recitasset. Nam cap. 1. pag. 110. præter libertatem *a coactione* requirit *libertatem indifferentiæ, & vim electivam faciendi, & non faciendi quidquam pro libito*; cap. 2. pag. 112. eamdem libertatem demonstrat eo quod sit in homine *indifferens & elective potestas, qua agere, & non agere potest*, pagina 113. eo quod *nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahamur*, pag. 114. eo quod Adrumetini, ad quos S. Pater librum *de gratia & libero arbitrio* direxit, dum verebantur ne gratia per se efficaci læderetur libertas, non poterant quæstionem movere, nisi *de libertate indifferentiæ ad agendum, vel non agendum*, pag. 115. eo quod difficillimum sit cum gratia libertatem conciliare, quod cum de sola immunitate *a coactione* dici nequeat, *invictissimum indifferentiæ libertatis est argumentum*. Conditio autem tertia, de qua supra, pag. 126. his verbis exprimitur: *Insuper exigit libertas indifferentiæ, ut objectum, quod percipitur, sub pura ratione boni, vel sub pura ratione mali haud appareat, sed quamdam utriusque mixtionem per suimet exhibeat ideam; atque ita latitudinem potestatis ad utrumque flexum probandi, improbandive reddat indifferentem. Hæc cognitio, quæ varias rationes boni, vel mali, delectabilis, aut ardui, in objecto deprehendit, nuncupatur indifferens, seu, ut Scholæ ajunt, judicium indifferens*. Ex his constat Fulgentium Bellelli acerrime pugnasse *pro libertate a necessitate*, & quidem *a simplici necessitate*, etsi hujus vocabuli *simplicis* non meminerit; quod aperte intelligitur, si præter *coactionem*, quæ opponitur *spontaneitati*, adstruatur libertas *indifferentiæ*: unde neque Ecclesia in damnatione tertiæ propositionis vocabulum illud inseruit. Jansenius enim *necessitatem coactionis* illam dicit, *quæ operatur effectum suum etsi nolis, seu quantumcunque renitaris*; & necessitatem *simplicem*, seu *voluntariam* illam appellat, *qua simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis*. Ita lib. 6. de Grat. Salvat. cap. 6. Quisquis ergo præter voluntatis renisum, seu coactionem, excludit a libero arbitrio necessitatem voluntariam, & libertatem indifferentiæ propugnat; is agnoscit non solum *immunitatem a coactione*, verum etiam *immunitatem a simplici necessitate*: ideoque P. Bellelli libertatem illam propugnans, non *simulat*, sed aperto, & catholico animo damnat refutatque hæresim Janseni-anam.

* *Innumeros esse Theologos Orthodoxos, qui hanc conditionem non exigunt, atque Fulgentium Bellelli fuisse, quam opus erat, liberaliorem demonstratum est cap. 1. §. 4.*

Jansen. tom. 3. pag. 628.

Jansen. Red. pag. 154.

Jansen tom 3. pag. 618.

V. Nec audiendus est Anonymus, dum ait Fulgentium Bellelli non posse *fugere anathema ab Innocentio X.* in Jansenianos *pronuntiatum*, quia *etsi admittat libertatem, quæ oritur ex objecto, non tamen fatetur æque requiri libertatem ab ea necessitate, quæ ex alio capite oriri potest*. Augustinianus enim Theologus, quantum spectat ad actum primum, atque ad potestatem liberi arbitrii, agnoscit *activam indifferentiam, in qua NULLA determinatio, NULLAQUE NECESSITAS reperitur*; ut constat ex §. 7. num. 2. atque ex illius verbis tom. 1. de modo Rep. pagina 127. quantum vero ad actum secundum pertinet, nullam in eo agnoscit necessitatem, nisi consequentem, atque ex suppositione applicationis liberæ potestatis *ad actum secundum*; prout evidens est ex præcedenti §. num. 3. atque ex ejusdem verbis in eodem Volum. 1. pag. 134. qua in re locutus est lingua ac mente omnium Thomistarum. Ab his minime recessit, dum ait *judicium indifferens esse*, ut scholæ ajunt, *radicem libertatis*, atque hujusmodi judicium non adinveniri, quando summum bonum perspicue & absque ulla caligine percipitur; sed tantum quando bonis aut veris, aut apparentibus quadam mali permixtione propositis, mens uni adhæret: nam & istud Thomistæ tradunt; ut constat ex Alvarez disput. 115. atque ex Gonet disput. 6. art. 1. Ex quo vero *objectum* menti occurrere debeat, ut illa in eo dijudicando occupetur, non nisi nugaciter ac pueriliter conjicitur, judicium indifferens, deliberationem, agendique vel non agendi potestatem oriri tantummodo *ex objecto*. Atque ex his manifestissimum puto calumniam viro doctissimo illatam atrocem & iniquam esse ob criminis falsitatem, atrociorem & iniquiorem ob acrimoniam, contemptum, furoremque criminatoris, ob momentorum autem, quibus adductus est, ineptitudinem ac pravitatem, esse atrocissimam & iniquissimam.

Jansen. Red. pag. 257.

Alvar. pag. 918. 919. 926. Gonet tom. 2. pag. 113.

VI. Itaque allucinatur plurimum adversarius, dum ex dictis inferri autumat inter Jansenium & Patrem Bellelli perfectissimam harmoniam. Doceri namque ab illo primam propositionem contendit temere ac pertinaci-

Jansen. Red. pag. 165.

naciter, quoniam arbitratur Theologum noſtrum Janſeniano ſenſu probare illud Auguſtini pronuntiatum, *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt;* & ulterius quia idem P. Bellelli gratiam, quæ non vincit ſuperiorem cupiditatem, appellat *parvam & invalidam*. Verum cum vir doctus interpretetur Auguſtini effatum *de neceſſitate conſequentiæ & illationis, quæ indifferentiam activam ſervat illæſam*, ut oſtendimus §. 6. num. 5. appellando autem voluntatem, quæ a gratia nondum victrice inſpiratur, *parvam, & invalidam*, vocabulis non uſurpatis duntaxat a Noriſio, Macedo, aliiſque Theologis præſtantiſſimis, verumetiam ab Auguſtino adhibitis, bene ac ſapienter utatur ad demonſtrandum eamdem gratiam non ſuperare voluntatem carnis contraria concupiſcentem, niſi tantum Spiritu Sancto accendatur voluntas, *ut velit atque applicetur ad actum*, ut itidem oſtendimus §. 7. num. 3. conſequens eſt Anonymum, quemadmodum in præmiſſis, ita in conſecutionibus laborem ſerere, & ovum adglutinare. Hoc autem in loco ut Auguſtiniani ſyſtematis omnino ignarum ſe prodat, quaſi id ex præcedentibus nondum omnes noviſſent, multus ac verboſiſſimus in præſtantem virum invehitur, quoniam in Opere *de ſtatu creat. ration. lib.* 2. aſſerit efficax gratiæ auxilium in hoc tantum infirmitatis ſtatu, ac facta diviſione duplicis adjutorii *ſine quo*, & *quo*, ait iſtud nobis conferri per Chriſtum, illud vero comparat lumini neceſſario ad videndum, atque alimentis ſine quibus vivere nequaquam poſſumus, & præterea affirmat nonnullis in hoc ſtatu deeſſe: unde Anonymus nova, atque inaudita illatione eruit, Fulgentium Bellelli agnoſcere in hoc ſtatu ſolum auxilium *quo*, auxilium autem *ſine quo* in ſtatu naturæ lapſæ juxta illius ſententiam nihil prodeſſe. Ceterum ſi librum de Corrept. & Grat. legiſſet inſimulator, facile intellexiſſet hæc verba, *Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit*, eſſe verba Auguſtini: hanc comparationem, *Adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus*, eſſe comparationem Auguſtini: hanc ſententiam, *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* (*ſine quo* collatum Angelo & primo homini) *jam pœna peccati eſt, quibus autem datur ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum*, eſſe ſententiam Auguſtini: hanc demum enuntiationem, *Tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verum etiam tantum ac tale, ut velimus*, eſſe enuntiationem Auguſtini. Quid ergo? Quemadmodum Auguſtinus, ita Auguſtini diſcipulus, ſicut in hoc ſtatu commendat auxilium *Quo*, pariter ab hoc ſtatu non excludit auxilium *ſine quo*; imo docet iſtud nunc aliquibus deeſſe *in pœnam peccati*, & quibus datur, dari *ſecundum gratiam, non ſecundum debitum*, ut inquit S. Pater verbis paullo antea productis, iiſdemque verbis repetit Fulgentius Bellelli in Opere de *ſtatu creat. rat.* libro ſecundo cap. 4. & in Opere *de modo Reparat.* lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 1.

De correp. & Grat. num. 32. & 34. Tom. X. p. 768. & 769.

De ſtatu creat. ration. pag. 169. De modo Repar. tom. 1. pag. 11. & 28.

VII. A Patre Bellelli propugnari ſecundam Janſenianam Anonymus ſe aperte demonſtraſſe gloriatur, propterea quod gratiam, quæ gradibus non ſuperat cupiditatem, *parvam* dixerit atque *invalidam*; & inſuper aſſerendo carere illam effectu, ad quem excitat voluntatem, a Janſenio idem docente nullo pacto diſceſſerit. At nihil hamati hi funiculi attrahunt; ſiquidem gratiam, quantumvis parvam, eſſe verum *poſſibilitatis* auxilium, & dici *invalidam* Auguſtiniana, nimiumque criminatori inviſa, ſed aptiſſima phraſi, quatenus ut prodeat in actum, adjutorio *Quo* infirmitas remanet adjuvanda, non autem *invalidum* dici ſenſu Janſeniano, in quo neceſſe eſt, ut voluntas robuſtiori delectationi ſuccumbat, aperte demonſtravi §. 2. & 7. illuſtris Theologi teſtimoniis: ac præterea quam iniquum ſit, quam ludicrum ob iſtiuſmodi argutiolas nota Janſenianæ hæreſeos quempiam inurere, oſtendi ſupra cap. 2. §. 7. in librorum meorum vindicatione.

Jan. Red. pag. 175.

VIII. Eadem eſt ratio tertiæ propoſitionis, quam a ſodali noſtro defendi poſitum extra omnem controverſiam jactat tricarum conduplicator, putans ſe demonſtraſſe quod ab illo denegetur libertas *a neceſſitate antecedenti*, quam alicubi appellavit *accidentalem*, & quod fraude pravoque ſenſu adhibeantur diſtinctiones Scholaſticorum. At verſat ſaxum, nec hilum proficit reciprocator. Nam cum delectatio victrix exigatur ab inſigni Theologo, *ut poteſtas indifferens applicetur ad actum*, quemadmodum conſtat ex §. 4. & 7. evidentiſſima res eſt nullam aliam in ejus ſententia admitti neceſſitatem, niſi *conſequentiæ, illationis, atque ex ſuppoſitione applicationis liberæ poteſtatis ad actum*: quod ubique ab eo traditum ac repetitum unanimi Thomiſtarum ſenſu, conſtat ex §. 5. Atque hinc etiam perſpicuum eſt, neceſſitatem illam appellari interdum *accidentalem*, non quod concupiſcentia, quæ adventitia eſt, & exorta ex Adæ peccato, aut victrix delectatio evertat *indifferentiam activam;* ſed quoniam in natura rationali primitus inſtituta nec erat lacertoſa illa cupiditas, quæ ad peccatum allicit & inclinat, nec Adam opus habebat adjutorio, quod implorat homo in agone conſtitutus, adjutorio ſcilicet, quo Deus in nobis *operatur velle & perficere*, juvando *liberam poteſtatem* ut agat, non vero illam obſtringendo *neceſſitate*, ut hujus laqueo ſuffocetur, ac pereat.

Jan. Red. pag. 177.

IX. Diſtinctis in 4. propoſitione iis, quæ ad hiſtoriam pertinent, a dogmate eadem propoſitione damnato, quoniam P. Bellelli ait Semipelagianos admiſiſſe ad fidei initia *gratiam Conditoris*, quam nempe habuit Adam, & voluntatis pediſſequam, vir temperatiſſimus id appellat *effugii Bellellini ineptiam;* propterea quod propoſitio damnata *gratiam* minime reſtringat ad gratiam *Conditoris*. Quantum vero ſpectat ad dogma proſcriptum, inquit hoc ab Auguſtiniano Theologo apertiſſime renovari, quoniam is docet liberum arbitrium poſſe reſiſtere *gratiæ ſufficienti*, non autem *gratiæ efficaci*, adhibetque *diſtinctionem ſenſus compoſiti ac diviſi* in ea prorſus ſignificatione, in qua adhibetur ab omnibus Janſenianis.

Ceterum quantum ad primam partem, demonſtravi cap. 1. §. 12. idem cum Fulgentio Bellelli ſentire Thomiſtarum complures, &, ſi gratia *Conditoris* reſtringatur ad ſolam *mentis illuſtrationem* cum Stephano Dechampſio, aliiſque, eidem ſententiæ haud repugnare Dionyſium Petavium. Quamobrem ſi Anonymo ubique ſimul verbis ludere, & veri aliquid proferre placuiſſet; aſſertum Confratris noſtri non debebat appellare *ineptiam effugii Bellellini*, ſed phraſi illa ſua eleganti, ſeria ac pulcerrima *ineptiam effugii Thomiſtini, Macedini, Contenſonini, Piccinardini, Petavini*. Sed mittamus, ne & ipſi ineptire dicamur, ineptias. Inter auctores, quibus P. Bellelli adhæſit, commemoravi eodem §. 12. Salmanticenſes, quorum nomine non unum proletarium Scriptorem, ſed doctiſſimorum Theologorum Collegium ſignificamus. Hi ergo recenſita opinione eorum, qui putant, *plures Semipelagianorum admiſiſſe gratiam internam ſufficientem pro initiis fidei*, productiſque ejuſdem ſententiæ munimentis, *Hæc motiva* (inquit) *& alia, quæ facile poſſent expendi, non mediocrem afferunt probabilitatem horum auctorum opinioni, quam proinde amplectimur.* Objecta autem ſibi quarta Janſenii propoſitione, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem, &c.* præter alias reſponſiones, de quibus citato §. 2., ajunt, *quod Gratia a Semipelagianis conceſſa, nempe indifferens, & determinabilis per arbitrium, non ſit vere præveniens, ſed concomitans, & pediſſequa voluntatis*: quod & confirmat Lemoſius lib. 4. Panopl. tract. 2. cap. 6. Cum ergo Janſeniana propoſitio expreſſe reſtringatur *ad gratiam prævenientem*; ea pars hiſtorica revocanda eſt ad quæſtionem illam in Scholis tanta animorum contentione agitatam, *Num gratia præveniens ſit indifferens, an prædeterminans*. Atque hæc de parte propoſitionis priori. Nam ad ſecundam quod attinet; cavillulæ Anonymi rejectæ ſunt §. 7. num. 6. ubi manifeſtiſſime oſtendimus Fulgentium Bellelli, aſſerendo liberum arbitrium non poſſe reſiſtere *gratiæ efficaci*, locutum fuiſſe de potentia illa, qua cum gratia victrice actu conjungatur diſſenſus; necnon §. 9. ubi evidentiſſime demonſtravimus adhibuiſſe diſtinctionem *ſenſus compoſiti ac diviſi*, aliaſque conſimiles, non in pravo ſenſu Janſenii, ſed in Orthodoxo & communi eorum, qui pro gratia *per ſe* efficaci ſtrenue naviterque decertant.

Sal. mant. to. 5. de Grat. pag. 59. Ven. edit. an. 1681. nu. 199. Lemos p. 4. tract. 2. pag. 25. num. 78. edit. Leodii.

Jan. Red. pag. 179.

X. Quintam propoſitionem *conceptis terminis* damnari a Fulgentio Bellelli Anonymus negare non audet; verum id non dubitat tribuendum eſſe cordis *ſimulationi*, quoniam exponens Auguſtini diſcipulus voluntatem Dei *antecedentem* ſalvandi omnes, communemque redemptionem homines univerſos, etiam reprobos, comprehendentem, confugit ad præparationem ſufficientium auxiliorum, quæ cum gradibus non ſuperent cupiditatem, revera *ſufficientia* appellari non poſſunt.

Verum poſtquam cap. 1. §. 2. oſtendimus illam ſufficientium auxiliorum notionem tradi ab Orthodoxis aliis quamplurimis: poſtquam cap. 2. §. 8. demonſtravimus in Auguſtiniano ſyſtemate gratiam, quantumvis minimam, conferre veram agendi *poſſibilitatem*, etſi in actum prodire nequeat *potentia poſitionis* abſque auxilio efficaci: poſtquam cap. hoc 3. §. 6. & 7. palam fecimus, delectationem victricem, & effectricis gratiæ adjutorium ſpectare *ad actum ſecundum*, atque duntaxat requiri, ut poteſtas indifferens *appli-*

applicetur ad actum: poſtquam demum in hac univerſa Apologia ſæpiſſime proteſtati ſumus rejici a nobis ſyſtema duarum delectationum, quarum ſuperior *neceſſitatem* inducat, & inferior non conferat veram agendi poteſtatem; arbitramur neminem futurum fore, qui illatæ nobis calumniæ non agnoſcat iniquitatem, necnon hujuſce ſynopſis, quam Anonymus in duplici *appendice* eaſdem argutiolas repaſtinando ſcurriliter repetit, inſulſiſſimas conſectationes. Has tamen tanti fecit aſperrimus atque imperioſiſſimus conſarcinator, ut in poſtremo contra Patrem Bellelli articulo ſcripſerit *facile ex dictis intelligi, Theologum noſtrum parum ſincera fide invehi in Janſenium ipſiuſque propoſitiones, hujus Novatoris in omnibus ſectari doctrinam, vafro ac tortuoſo animo errores Janſenii proſcribere, totam denique Janſenii doctrinam in ejus ſcriptis reviviſcere*, ſimilia affirmans de me in altera parte, quam juſtis de cauſis huic præmittendam eſſe putavi. Tanta ergo verborum licentia, & criminatoris iniquitas nobis veniam ab æquo frugique lectore impetrabit, ſi noſtro ex ore ruſticum aliquid & inficetum exciderit: immo & id patietur Anonymus, qui in nos, a ſacratioribus muſis, atque utilioribus ſtudiis abductos, pulverem omnem excuſſit. Ejus certe, ſi palam, & Chriſtiana moderatione nos provocaſſet, rationem habuiſſemus aliam; ſed quum inſidioſe egerit, & perſonam calumniatoris induerit, aſſumptæ larvæ figmenta, non ignotum & latentem virum pauliſper pupugimus. Nec in eum hæreſeos crimen, quod in nos tam frequenter jactavit, auſi ſumus impingere, tametſi potuiſſemus facillime, ac debuiſſemus quoque, ſi dicteria dicteriis, & convicia trudenda fuiſſent conviciis. Verum id neque Chriſtiana caritas, neque Inſtituti noſtri ratio, neque indoles ingeniumque noſtrum patiebatur. Quare his animum intendentes finem diſſertationi imponimus verbis a Clenaertio olim in conſimili cauſa prolatis: *Pacis gratia, ne deinceps Gratia Auguſtino Victrix cum JANSENISMO, & famoſa operum in Deum relatio vapulet cum BAJANISMO, cum Glorioſo Scholæ noſtræ Doctore votum pono, ut* „ *impetremus ſi poſſimus a fratribus noſtris, ne nos inſuper appellent hæreticos, quod eos talia diſputantes appellare poſſimus forſitan, ſi vellemus, nec tamen appellamus.* „

Janſ. Red. pag. 181.

Petrus Clenaertus Theologia Auguſtini Vindicata §. 3. *ex Auguſtini ſerm.* 294. *alias* 14. *de Verbis Apoſtoli cap.* 21. *tom.* 5. *pag.* 1193.

DIS-

DISSERTATIO V.

IN QUA DUPLEX

ANONYMI APPENDIX

Adverſus Fulgentium Bellelli diſcutitur, & refellitur.

Quid calumniantibus opus erat extra conſtitutos Eccleſiæ terminos porrigere quæſtiones, & de his, quæ habentur dicta, quaſi dicta non ſint, movere certamina?

S. Hormiſdas Papa epiſt. 70. ad Poſſeſſorem.

DISSERTATIO V.

IN QUA DUPLEX

ANONYMI ARPENDIX

PRÆFATIO.

UBI animadvertit Anonymus ſe acuiſſe ſtilum atque omni temperamento, omnique rationis & humanitatis jure poſthabito, impetu quodam hoſtili in Opera Fulgentii Bellelli ſummis viris probata inſiliiſſe, ac præterea ut ab iniqua inſectatione deſiſteret, conceptamque indignationem compeſceret, fuit conſilio litteriſque amicorum commonefactus; maluit duplici adjecta Appendicula oſtentare criminationis & ingenii ſui pervicaciam, inflatiſque tibiis eamdem monodiam ingeminare, quam aliquam vel tenuem ſententiæ noſtræ, a clariſſimis plurimiſque Theologis propugnatæ, veriſimilitudinem ac probabilitatem concedere, de ſe autem, ſcriptiſque ſuis, ut decet hominem quemcunque honeſtum, ſentire humiliter & demiſſe. Quamobrem fatetur utique extare *quamplurimos, nec inferioris notæ Theologos*, qui non ſatis perſpecta habentes ſophiſmata atque effugia Novantium, *vix ſuſpicari poſſunt* Fulgentium Bellellium recudiſſe errores in Bajo, & in Janſenio proſcriptos; ſed hoc tamen nemini dubium futurum fore pronuntiat, ſi attente perlegat Auguſtiniani Scriptoris libros, nec prava Novatorum dogmata ignoret: quaſi Romani Cenſores, qui libros illos ſummopere commendarunt, atque ab omni Bajaniſmi, & Janſeniſmi nota exiſtimaverunt immunes, & quorum opera in judicandis controverſiis abſtruſioribus utitur Apoſtolica Sedes, neſciant prorſus quid Bajus, quid Janſenius dogmatizaverint; aut id quoque, ſicuti Janſeniani clamitant, adeo ſublime ſit & reconditum, ut Romani Theologi in ſenſu ipſius dogmatis veſtigando etiamnum allucinentur & errent, atque idcirco necdum plebs Chriſtiana, ſed & viri litteratiſſimi damnatum a Romanis Pontificibus ſenſum non aſſequantur; quaſi demum Anonymi hujus mediocris tenuiſque eruditio, ignotum nomen, vulgaris doctrina, & clanculum diſperſa volumina, nil crepantia, præterquam revulſas ſæpe cavillulas, ac dicteria ſupra quam dici poſſit inſulſiſſima ac verboſiſſima, Theologos illos permultos & ſubſellii non infimi, qui fatente criminatore de Janſeniſmo Auguſtiniani Theologi *vix ſuſpicantur*, unice & ſingulariter inſtruere valeant, atque erudire. Itaque non tantum ſuſcepti Operis ratio, quam eorum omnium, qui de Fulgentio Bellelli optime ſentiunt, præclarum honeſtumque nomen poſtulat utriuſque illius Appendicis refutationem: in qua, cum adverſarius contendat Theologum noſtrum oppugnaſſe theſes Queſnellianas *doloſa ſimulatione*, eaſdemque theſes Janſenianam

hære-

hæreſim comprehendentes ex illius doctrina neceſſario quodam fluxu, & *legitima conſecutione* derivare; operam dabo, ut primum inſimulator intelligat, minime ſibi licuiſſe tanquam Bajaniſtam & Janſeniſtam traducere Orthodoxum Scriptorem, etiamſi ei viderentur ex ejus ſcriptis Baji, Janſeniique aſſerta evidentiſſime conſequi; quando conſecutionem hanc, ſimulque aſſertiones damnatas vir Catholicus rejicit & reprobat: deinde vero, ut percipiat *conſecutionem* illam ſuam non eſſe æque libratam legitimamque, ſed fallacem & commentitiam, ideoque detorquendo in ſententiam noſtram cenſuras Apoſtolicas audacter & calumnioſe ſe gerere, atque extra conſtitutos ab Eccleſia terminos *quæſtiones porrigere*, Romanorumque Pontificum decreta, & monita ſaluberrima parvipendere.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Demonſtratur effugere non poſſe notam calumniatoris, qui Scriptorem catholicum damnati erroris inſimulant, quoniam is utitur principiis, unde inſimulatoribus videtur inferri error ipſe proſcriptus; dummodo principia illa non ſint pariter damnata, & a quibuſdam Catholicis propugnentur, Scriptor autem ille ita principia hæc ſtatuat, ut conſecutiones inde ab adverſariis deductas, erroreſque objectos refutet, & damnet.

PERSPICUE demonſtratum arbitror, Auguſtinianum Syſtema minime inniti iiſdem omnino principiis, quibus Baji, Janſeniique reprobata dogmata fulciuntur. Etenim Bajus ſolam gratiam *ſanctificantem*, eamque cujuſcunque boni operis effectricem, ac ſolam cupiditatem prædominantem, omniaque impiorum opera inficientem agnoſcit, liberi arbitrii poteſtate ad utrumlibet, & operum officiorumque moralium honeſtate rejecta: ac Janſenius duplicem delectationem, quarum ſuperior alteram invincibiliter deficiat, trahatque ad agendum voluntatem humanam ineluctabili neceſſitate, conſtituit hæreſeos ſuæ fundamentum. Qui ergo propugnant actualem gratiam a *ſanctificante* diſtinctam, honeſta in impiis & infidelibus opera non infecta cupiditate, ac libertatem *indifferentiæ* ſub delectatione ſuperiori & victrici, principiis hærent, doctrinæ Baji ac Janſenii evidentiſſime repugnantibus. Detur tamen cavilloſo Sophiſtæ, Auguſtinianos Theologos in pluribus principiis, non quidem in his, quæ nuper commemoravi, aperte continentibus hæreſim erroremque, ſed in quibuſdam aliis ampliori-bus, Bajo, Janſenio, horumque aſſeclis conſentire; in exemplo ſint definitio gratiæ mentem illuſtrantis & inſpirantis ſanctam delectationem, hujus gradus aut minores, aut majores cupiditate, ejuſdem gratiæ efficacitas vincens voluntatem carnis contraria concupiſcentem, & humanorum officiorum in ultimum finem directio: quis, niſi pro cerebro fungum gerat, dicturus eſt noſtram & dogmatiſtarum illorum unam eamdemque eſſe cauſam, quia & nos utimur his principiis; & non potius fatebitur maximum inter nos verſari diſcrimen, quoniam unde nos gratiæ œconomiam & efficacitatem inferimus, ſalva humani arbitrii liberrima poteſtate, illi fatalem quamdam neceſſitatem inducunt, atque ubi nos oſtendimus bonorum operum conditiones, omnia illi in Deum non directa criminibus & inquinamentis adnumerant? Profecto ex falſitate conſecutionum, etſi adverſariis legitimæ videantur, non ſequitur falſa eſſe principia, neque contra ex veritate principiorum ſequitur veras eſſe conſecutiones, quotieſcunque evidens non eſt utrorumque connexio: & plerique oppoſitum ſentientes in principiis conveniunt, in conſectariis autem ſibi invicem adverſantur.

II. Deum eſſe, & quidem ſubſtantia unum, ſempiternum, incommutabilem, præſciumque futurorum, non denegat mortalium aliquis, niſi forte inſipiens & atheus: ex hac autem veritate ingenito naturæ lumine, rerumque aſpectabilium contemplatione, necnon innumeris argumentis comprobata, recte inferimus eumdem Deum frui perfectiſſima libertate, eſſe conditorem univerſorum, ex nihilo omnia in tempore produxiſſe, nullamque ex rebus ab eo conditis, aut poſtea creandis adinveniri, quam non prænoverit, & rectiſſima providentia non ordinaverit. At ex eo, quod ipſe Deus immutari nequeat, philoſophorum nonnulli ſe evidenter colligere arbitrabantur ſempiternam hujus mundi exiſtentiam, & ex illius æternitate Hermogenes adſtruere conatus eſt materiam quamdam ingenitam, ac Valentinus neſcio quam fictitiam Aeonum generationem: ex præſcientia, ac prædefinita rerum creatarum conſtitutione induxerunt Gnoſtici, Manichæi, ac Priſcillianiſtæ fatum inevitabile; aliique contra, inter quos Latinorum eloquentiſſimus Tullius, ne huic fato ſubjicerent humanum arbitrium, ſacrilega temeritate negarunt invariabilem ejuſdem Numinis providentiam. Ergone quoniam ego iiſdem adhæreo principiis, Deumque unum, æternum, incommutabilem, atque rerum omnium auctorem rectoremque firmiſſime credo, me aut delirantibus illis philoſophis, aut Hermogeni, aut Valentino, aut Maneti, aut cuipiam alteri hujus furfuris accenſebis, & principia approbantem de nefariis, horrendiſque conſecutionibus, illorum ignorantia ac perverſitate deductis, pronuntiabis eſſe damnandum?

III. Canonicis diviniſque litteris, quarum nos auctoritate propugnamus ineffabile Trinitatis myſterium, Sabellius auſus eſt illegitima illatione unam duntaxat perſonam intrudere in divinitatis ſubſtantiam: Arius vero ſubſtantiam ipſam diſſecuit, Verbum Patri impar, & abſimile blaſphemando: atque ex iiſdem Pauſinis Epiſtolis, quibus nos demonſtramus merita bonorum operum, electorumque prædeſtinationem ad vitam; contendunt Calvinus, Lutherus, & Novatorum reliqui conſequi ineluctabilem impiorum prædeſtinationem ad mortem, & inde ulterius conantur evincere, quod ſalus æterna non comparetur meritis, ſed ſola in Chriſtum fiducia. Hinc ne Sabellianis, Arrianis, Lutheranis, Calvinianis nos connumerandos eſſe affirmabis? Vereor ſane, ne & iſtud audeas, ſi in ea opinione verſeris, eodem calculo omnes indiſcriminatim comprehendendos eſſe, qui iiſdem principiis inhærentes ſibi invicem in conſecutionibus adverſantur. Quod ſi feceris, non ſolum pingentium more cervino capiti adjunges caudam equinam, quum cervus equuſque in genere brutorum animalium conveniant; neque tantum nos Janſenianis, quod propugnemus non denegatam ab ipſis efficacitatem gratiæ, delectationemque victricem, accenſendos & comparandos eſſe arbitraberis; verum etiam Valentinianis audebis æquiparare Irenæum una cum illis ſempiternum Principium venerantem, Arrianis Athanaſium cum eis ſimul excipientem divinarum Scripturarum oracula, necnon Pelagio Auguſtinum, ac Tridentinis Patribus gregem impuriſſimum Novatorum; propterea quod Auguſtinus cum Pelagio agnoſcit adverſus Manichæos liberum voluntatis arbitrium, & Patres Tridentini fatentur cum Luthero transfuſionem originalis peccati, atque eodem peccato diſſeminatam, & allicientem ad malum lacertoſam concupiſcentiam. Si vero fatearis, quemadmodum tibi, ſi micam ſalis habeas, fatendum eſt, Irenæum nunquam propugnaſſe Gnoſticorum figmenta, Athanaſium pro *conſubſtantialitate* Verbi certaſſe, Auguſtinum ex quo homines prædiți ſint libertate nunquam cum Pelagio negaſſe gratiam prævenientem, ſed pro ipſa gratia exercuiſſe glorioſa certamina, Tridentinos denique Patres non intuliſſe ex originali peccato perniciosiſſima Novantium conſectaria, ſed hæc profligando tradidiſſe libertatis arbitrium nequaquam poſt Adæ tranſgreſſionem extinctum, ac permanentem

nentem in renatis concupiſcentiam, quæ non eſt ipſa labes originalis, latens adhuc, neque, ut comminiſcuntur heterodoxi, deleta regenerationis lavacro: ſi id, inquam, fatearis; ulterius concedas oportet, aut ingenio magnopere laborare, aut inſigniter eſſe malevolos, qui Auguſtinianos Theologos appellandos ajunt Bajanos & Janſeniſtas, propterea quod affirment cum Bajo non aliter creandum fuiſſe Adamum, quam cum gratia ſuperna, doceantque dirigenda eſſe in Deum opera deliberata, atque officia virtutum; ſed negant gratiam collatam primo homini ſpectaſſe ad conditionem, ſeu proprietatem naturæ, omniaque opera illorum, qui fide & gratia ſunt deſtituti, eſſe intrinſecus mala, & fermento cupiditatis corrupta, quæ ſunt Baji conſecutiones: eademque ratione aſſerunt cum Janſenio pugnam mundanæ & cæleſtis delectationis, in hujus victrici energia conſtituentes efficacitatem divini adjutorii; at negant liberum arbitrium ſub robuſtiori concupiſcentia, vel gratia, obſtringi vinculo neceſſitatis, nec dari modo libertatem *indifferentiæ*, in quo nefario dogmate potiſſimum ſita eſt hæreſis Janſeniana.

IV. Neque in rebus tantum credendis, quarum exempla quædam produxi, verumetiam in dirigendis formandiſque moribus non debent in eamdem claſſem, aut in eumdem ordinem redigi, qui ex iiſdem prænotionibus diverſas, atque inter ſe pugnantes conſuetudines induxerunt; niſi forte in eumdem numerum rejiciendi ſint, qui propter honorem parentibus debitum fovent frigidam illorum ſenectutem, ac barbaræ illæ gentes, quæ genitores avoſque ſuos decrepita ætate gravatos in ardentem rogum projiciunt, ne hujus vitæ afficiantur incommodis: mulieres, quæ propter ſacroſanctam connubii legem nunquam alteri viro commiſcentur, niſi maritus e vivis exceſſerit, & quæ per ſummam maximamque ignorantiam putant ſibi ad improbi conjugis nutum alienos ſubeundos eſſe complexus, aut credunt conjugii fidem poſtulare, ut una cum virorum exuviis tradant ſemetipſas flammis conſumendas: ii demum, qui ex mortis contemplatione excitantur ad temporalium rerum contemptum; & qui ſpe æternarum abjecta, nec attenta perpetua vita animorum, cranio in menſis appoſito, mortiſque ſimulacro pendente e triclinii laquearibus, humanæ conditionis admoniti genio largius indulgent, & cum perditiſſimis ajunt: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quid vero notum magis, cunctorumque inditum animo, quam honorem exhibendum eſſe parentibus, connubiorum fidem ſervandam eſſe, & corruptibile corpus in pulverem ſolutum iri, aut quæ oppoſitæ magis opiniones hominum, quæ major diſſonantia prædictorum morum, quamvis ex iiſdem prænotionibus, aliis bene, aliis male ratione utentibus, invaluerint?

Iſ. 22. 13. Calmet ibid. Vide Theol. diſc. to. 4. pag. 462. & Lipſium lib. 1. Saturnal. cap. ult. Scalig. lib. 2. Auſon. ſect. cap. 26. & Martialis lib. 2. Epigram. 59. & notas Farnab. in idem Epigramma.

V. Dices, opinor, principia vel naturæ lumine nota, vel ob divinam revelationem certiſſima, vel ſanctiſſimis morum regulis conſona, a me fluxis aliis, ambiguis, & in controverſia poſitis comparari. Sit ita ſane: at iſtud pro ea, quam actito, cauſa videtur mihi robuſtius validiuſque præſidium. Nam ſi ex prænotionibus naturæ inditis, divino teſtimonio firmatis, atque morum probitati maxime congruentibus, hominum quorumdam cavillatio & ſuperſtitio fluere putat ſcita noxia, improba, atque impuriſſima; quid mirum, ſi ex doctrinæ noſtræ fontibus, quos conviciator præjudiciis abreptus exiſtimat eſſe venefi cos ac turbulentos, manare crediderit damnata ac peſtilentiſſima conſectaria? Non deſunt tamen exempla alia permulta aſſertionum, quæ in diſputationem trahuntur, atque etiam a magno Auctorum numero refutantur, & ex quibus pars una Catholicam, pars altera Theologorum infert abſurdiſſimam illationem; & nihilominus evitare non poſſet notam obtrectatoris, quiſquis propter iſtiuſmodi aſſertiones affirmaret Doctores Scholaſticos iiſdem opinionibus adhærentes illatis inde, proſcriptiſque propoſitionibus conſentire. Atque ne a doctrina morum ſtatim recedamus; permultæ quidem illarum propoſitionum, quæ ab Apoſtolica Sede fuerunt confixæ, continebantur in Catholicorum Scriptorum lucubrationibus; & proculdubio auctores ex innoxiis moralis Theologiæ præceptionibus eaſdem propoſitiones fallaci atque obtorta conſecutione deduxerunt. Eamobrem qui calumniandi prurigine titillantur, atque ex unius, alteriuſve lapſu in invidiam adducere ſtudent univerſos alicujus. Inſtituti doctores, poſitiones illas in Theologicis ſcriptis labore improbo expiſcari curarunt, quidam in Jeſuitarum Operibus, ut auctor Epiſtolarum Provincialium Paſchalis Blaſius; nonnulli in Thomiſtarum Voluminibus, ut Amadeus Guimenius; alii in libris Auguſtinenſium Theologorum, & in theſibus Lovanienſium, aliorumque Belgarum, ut Editor *Speciminis doctrinæ per Belgium manantis*: a quorum ingenio plurimum ego abhorrens illud tantum recenſeo omnibus exploratiſſimum, inter morum regulas, de quibus agitur controverſia, celebrem eſſe, quæ ſpectat ad conſcientiam, ſeu opinionem *probabilem*: ex qua viri doctiſſimi manare putant quamplurima abſurda, atque illud maxime, quod probabilem ſententiam amplexus imprudenter ſe gerat, exponatque ſe peccandi periculo; alii vero conſectarium iſtud rejiciunt atque explodunt, interim aſſertione, ex qua alii alia depromunt, inter adiaphoras perſiſtente. Verum ad alia progrediamur.

VI. Ex illa univerſali natura, quam Scotus *formalem* appellat, & quam exiſtere in rebus ejuſdem Scoti aſſeclæ pugnaciter aſſerunt, & abſque piaculi nota defendunt, annon Bayle & Budæus exiſtimarunt conſequi *Spinoſiſmum*? Atque ne horum judicia plus æquo facere videamur; annon ex diſtinctione, quam *formalem* itidem dicunt prælaudatus ſubtilis doctor, ejuſque diſcipuli, & quam aptiſſimam eſſe putant ad res divinas explicandas, atque percipiendas, Theologi alii bene multi cenſent quodammodo lædi individuam ſupremi Numinis unitatem? immo annon viſum Dionyſio Petavio tanti nominis viro diſtinctionem illam Scotiſticam *parum, aut nihil a Gilberti hæreſi diſcrepare*? Oro nunc te, acutiſſime *Janſeniſmi & Bajaniſmi Redivivi* commentator, quum abjicias (ſi abjicis tamen) hujuſmodi Scoti *formalitates*, audeteſne adverſus Scotiſtas edere librum ſingulari illa tua eloquentia inſcriptum *Spinoſiſmum*, aut *Gilbertiſmum*? Non ita delirus ſum, inquis; Scotus enim unum Deum eſſe propugnat, Trinitatis myſterium veneratur, ideoque abſque injuria maxima dici nequit *Spinoſiſta*, vel *Gilbertiſta*. Aliqua in re conviciandi vitio non excæcaris, fortaſſe quod Scotus plura de prædeſtinatione & de Gratia, ſcilicet de argumento, in quo te ceteris præfers, & de omnibus Auguſtinenſibus audes proferre judicium, indefinite & in utramque partem tradiderit, aut ſuboſcura divinorum decretorum partitione ita involverit, ut parum a me quidem, a te vero minus, & forte nihil intelligatur. Apage ergo cum tuo *Bajaniſmo*, ac *Janſeniſmo*, moroſe Cenſor. Auguſtinenſes enim Theologi Apoſtolicas Conſtitutiones latas adverſus Janſenium, Bajum, Queſnellium, ceteraſque univerſas excipiunt ac venerantur, & majori, quam tu exhibeas, reverentia; nam contra eaſdem Conſtitutiones tu Janſenianæ hæreſeos inſimulas ſententiam Orthodoxorum, haud ignorantibus ipſis Romanis Pontificibus ubique terrarum hactenus propugnatam; ne addam, (quod fateor me ignorare) te opinione multorum unum ex illis eſſe, qui eorumdem Pontificum auctoritatem imminuunt, negantque horum judicium eſſe irreformabile, priuſquam accedat aliorum Epiſcoporum aſſenſus: qua ſane in re neminem latet a noſtratibus, quos Janſenianis accenſes, jura Apoſtolicæ Cathedræ vindicari. Auguſtiniani inſuper omnes decertant pro libertate *indifferentiæ*, damnantque eo prorſus modo, quo ab Eccleſia damnatæ fuerunt, ſingulas Novatorum propoſitiones: ideoque fas tibi non erat, ob eam duntaxat rationem, quod iſtæ videantur cerebello tuo legitime ex illorum principiis inferri, eoſdem Auguſtinianos tanquam Baji, Janſeniique diſcipulos infamare.

Bayle diſt. V. Scot. & Cæſalp. Franc. Bud. Tract. de Atheiſmo pag. 52. Petav. lib. 1. Theol. dogmat. cap. 8. num. 8. pag. 59. edit. Pariſ.

VII. At quoniam paullo ſupra Scotiſtarum mentionem feci, producam ex illorum opinionibus exemplum aliud præſenti cauſæ magis accommodatum, atque ſimillimum. Nullus enim imbutus eſt eorumdem Scotiſtarum opinionibus, qui non affirmet ineſſe creaturæ rationali *appetitum & inclinationem naturalem ad viſionem beatam*. Contra Vaſqueſius, Suarez, necnon Thomiſtarum permulti hanc Scotiſtarum ſententiam refellunt, atque omnino rejiciendam eſſe pronuntiant, propterea quod inde ſequi arbitrantur, fore Deum in ſe viſum ſpiritualium animorum finem naturalem, itemque virtutem ac facultatem, qua pervenitur ad ſupernam beatitudinem, inter naturæ limites coarctandam, ipſam denique viſionem Dei futuram fore conditioni atque inſtitutioni rationalis naturæ omnimode proportionatam: quæ omnia ſi quis enuntiaret, proculdubio nec latum unguem diſtaret a Bajo. Non ideo tamen, quod præſtantiſſimis Theologis ex aſſerto a Scotiſtis naturali illo appetitu conſequi videatur error Bajanis articulis conſentaneus, eo audaciæ proceſſerunt, ut dixerint a Scotiſtis Bajaniſmum propugnari, ſibique proſcribendi aſſertum illud Scoticum arrogaverint facultatem: quippe non eos latebat Maſtrium Commentatorum Scoti facile principem a ſe, ſuiſque amoviſſe ſuſpicionem omnem erroris, reponendo naturalem quidem eſſe appetitum & inclinationem ad viſionem beatam, non tamen inter naturæ ordinem ſtatuendam eſſe viſionem ipſam, ſeu virtutem ad hanc perveniendi: *Quia illa qualitas dicitur alicui naturaliter debita, quam ita ex ſui intrinſeca conſtitutione poſtulat, ut vel ex intrinſecis ejus principiis emanet, ut ſunt calor in igne, frigus in aqua; vel ſaltem neceſſario illis ab extrinſeco agente reproducuntur, naturali ſua conſtitutione ſic poſtulante, qua ſunt, & qua ſine conſervari naturaliter non poſſunt, ſicut corpora cæleſtia habent ſuas qualitates*

Vide Maſtrium diſp. 6. qu. 2. & Fraſſen diſp. 3. art. 7. q. 3. Vaſq. 1. 2. diſp. 22. n. 10. Suarez ibid. diſp. 16. ſect. 2. num. 7. Gonet. diſp 1. de poſſibil. Viſ. Dei art. 5. nu. 8.

tes perfectioneſque eis poſsibiles, nec ex ſe ipſis effectas, nec ab aliis receptas, ſed a Deo penitus concreatas. Hæc Maſtrius, aliique Scotiſtæ, ut vidimus diſſ. 2. cap. 1. §. 6.

VIII. Intendat nunc animum obtrectator, videatque num jure exemplum iſtud ad ipſius obterendam revincendamque calumniam aptiſſimum appellaverim. Contendit Anonymus defendi a nobis errorem Michaelis Baji aſſerentis gratiam atque immortalitatem primi hominis fuiſſe *naturalem* ipſius conditionem; quoniam noſtratium ſententia homo ad imaginem Dei conditus, & nulla culpa inquinatus exigit gratiæ auxilia, quibus uſque ad viſionem Dei, in quam inclinat, valeat pertingere: id, quod adverſariis noſtris videtur idem eſſe, ac beneficia ſupernaturalium gratiarum deprimere ad naturalem hominis conditionem. Verumtamen negamus nos, & pernegamus gratiam homini & Angelis in priori conditione collatam non ſpectaſſe ad ordinem ſupernaturalium beneficiorum; quoniam ipſamet gratia (audias Fulgentium Bellelli) non ita debita fuit naturæ, *ſicut naturæ ſunt debitæ ejuſdem proprietates, quæ ex ejuſdem viſceribus enaſcuntur*, neque neceſſario concreata fuit, poſtulante eamdem gratiam naturali conditione creaturæ rationalis ut eſſet, atque in propria natura conſervaretur; quod eſt prorſus idem, ac illud, quod ſcripſerat Maſtrius: ideoque ſi Bajaniſmi damnandum non eſt ſyſtema *Maſtrinum*, (hoc enim utar vocabulo, ut elegantiſſimo adverſarii ſtylo accedat rudi huic & impolito aliquid decoris & ornamenti) nec Bajaniſmi inſimulandum erat ſyſtema *Bellellinum* ob ſententiam de creatura rationali ſupernæ gratiæ adjutorio in prima ſui conditione exornanda.

Mens Auguſtini de ſtat. creat. rat. lib. 3. cap. 19 pag. 455 quod ſæpiſſime eo in libro repetitur.

IX. A Scotiſtarum palæſtris ad caſtra eorum, qui ab Angelico Doctore Thomiſtæ dicuntur, procedendum jam eſt. Horum permultos, ac fere omnes propugnare phyſicam prædeterminationem ad *materiale* peccati ſciunt quotquot a limine Theologiam Scholaſticam ſalutarunt. At Deum futurum effectricem peccati cauſam, ſi tali prædeterminatione ad ipſum *materialem* actum concurreret, arbitrantur Mediſtæ omnes, & alii quidam ex claſſe eorum, qui nolunt prædeterminationem ipſam exigi ob dependentiam ſecundarum cauſarum a prima. Immo, ſi fides habenda eſt P. Livino Meyer in *Hiſtoria vindicata Controverſiarum de Auxiliis*, etiam nonnulli ex ipſa præclariſſima PP. Prædicatorum Familia, ac præſertim Joannes Vincentius, Baſilius Verdù, Raymundus Paſqualius, Didacus Janguas, & Joannes Nicolai, illam ad *materiale* peccati prædeterminationem rejecerunt, ne Deum facerent noſtrorum ſcelerum auctorem. Aliter ego de illa Thomiſtarum ſententia cenſeo, quamvis prædeterminationem illam non eſſe neceſſariam alio ex capite arbitror; ideoque adverſus impugnatores ſententiæ Thomiſtarum ita ſcripſi: *Impius Calvinus vult cauſam primam prædeterminare actus malos, & iſtos abſoluta neceſsitate evenire: Thomiſtæ defendunt prædeterminationem actus, ſed non malitiæ, quam in cauſam proximam refundendam eſſe propugnant. Toto igitur cælo diſtant ab hæreſi Calviniana, & qui eos audent inſimulare, ſunt, me judice, iniquiſſimi obtrectatores.* Puto autem tam caſtigatum loquendi modum neque illos in me reprehenſuros, qui mihi iniqua criminatione exprobrant Bajaniſmum. Hos interim commonefaciendos eſſe reor, nefas ſibi eſſe in nos hanc teterrimam criminationem urgere, ex quo ingeniolo ſuo videantur Bajani errores ex principiis noſtris profluere; quemadmodum nefas eſt inſimulare Calvinianæ hæreſeos Thomiſtas, quod aſſerant prædeterminari a Deo *materiale* peccati, unde quibuſdam Theologis videtur inferri Deum fore ejuſdem peccati auctorem: nam ſicut Thomiſtæ conſecutionem iſtam legitimam eſſe negant, & Calvinianam hæreſim damnant & execrantur; ita nos contendimus ratiocinationes adverſariorum noſtrorum contortas & illegitimas eſſe, omneſque errores Baji refellimus & proſcribimus. Nullum vero in hac comparatione invenitur diſcrimen, niſi forte quod objicientibus Scholæ Thomiſticæ conſecutionem illam Calvinianæ blaſphemiæ, ſunt viri Theologi in Litteraria Republica notiſſimi; impingens autem nobis errores Baji adeo obſcurus eſt, & ignarus, ut ſolius audaciæ, ac propriæ exiſtimationis ſingulare ſpecimen præſetulerit.

Livinus Hiſt. de Aux. lib. 2. cap. 16. pag. 181.

De The. diſcipl. tom. 1. pag. 317.

X. Eadem, ac prædeterminationis ad *materialem* actum peccati, ratio eſt prædefinitionis operum ſupernaturalium, quam laudati Thomiſtæ invicte naviterque propugnant. Dixi enim in Præfat. 1. Voluminis num. 2. præcitatum Livinum in Opuſculo *de mente Concilii Tridentini circa gratiam phyſice prædeterminantem*, contendere *Calvini doctrinam de gratia a ſeipſa efficaci, & prædeterminantium opinionem nullo in apice videri diſsimilem*, immo invidioſam provinciam ſubiiſſe demonſtrandi, *quod non alias hinc conſequentias Calvinus deduxerit, quam deducant illi, qui gratiam phyſice prædeterminantem cum ipſo defendit*, teſtimoniis Calvini verbiſque Dominici Bannes invicem collatis: quod antea in celeberrimis Congregationibus de Auxiliis in Scripto exhibito SS. D. N. Paulo V. molitus fuerat P. Baſtida, a Patribus Prædicatoribus ſcripto alio valide refutatus. Et quem, oro, Mediſtarum invenies, qui non ſentiat ex antecedenti prædeterminatione conſequi libertatis interitum, quum idcirco ſcientiam illam *mediam*, adeo celebre, adeo prodigioſum Ludovici Molinæ inventum, totis lacertis viribuſque extremis defendant, quod ſibimet perſuadeant, abſque ejuſdem ſcientiæ præſidio actum iri de libertate? Nihilo tamen minus Mediſtæ ratiocinia talia nectentes, atque prædeterminantem gratiam eo nomine, quod libertatem ſubvertat, toto niſu oppugnantes, fatentur (cordati ſaltem ac temperati) Thomiſtas ejuſdem gratiæ aſſertores diſſidere a Calvino, quoniam illationes illas Calvinianas, quæ ſane Mediſtis videntur legitimæ, abjiciunt & damnant, & liberum arbitrium adverſus Calvinianam hæreſim profitentur. Livinus ipſe, ut Jeſuitam in his controverſiis exercitatiſſimum in teſtem tertio producam, dum elucubraret Reſponſionem ad librum F. Henrici a S. Ignatio, cui titulus, *Gratiæ per ſe efficacis adverſus injuſtam Janſeniſmi accuſationem juſta defenſio*, quamquam ageret cum auctore, cujus Opera cenſuram ſubierant, in fine tamen Præfationis inquit: *Non eos damno, nec Janſenianos appello, qui gratiam per ſe efficacem ſic defendunt, ut deducta ex hac Corollaria hæretica deteſtentur. Quod ſi fecerit F. Henricus a S. Ignatio, tunc famam ſuam, quam læſam queritur, ab omni, quod opto, Bajaniſmi, & Janſeniſmi ſuſpicione liberaverit.* Igitur judice Jeſuita, qui in controverſiis de auxiliis divinæ gratiæ diu ſeſe exercuit, quiſquis corollaria hæretica deteſtatur, immunis eſt *ab omni Bajaniſmi & Janſeniſmi ſuſpicione.*

Mſs. Bibl. Angel. Cod. 8. Arch. pag. 207.

Extat ad Calcem Hiſt. de Auxiliis Vindic.

XI. Priuſquam a Thomiſtis recedam, commemorabo judicium alterius Jeſuitæ, qui ſuppreſſo nomine edidit epiſtolas decem ad Natalem Alexandrum, Gallice primum, deinde Latine editas Auguſtæ Vindelicorum & Dilingæ. Demonſtrare auctor iſte conatur, eadem prorſus conſectaria proficiſci ex Gratia Janſeniana, atque ex prædeterminatione Thomiſtica: *Conſectaria*, ait epiſt. 8., *quæ tuis ex principiis duco, ea ipſa doctrina ſunt, quam profitentur eorum dogmatum artifices; eorum aſſertiones ipſiſsimæ ſunt.* Putaſne ab hujus epiſtolæ auctore tam aſſeveranter doctrinam Thomiſticam comparantem Janſenianæ, Thomiſtas ipſos una cum Janſeniſtis damnari? Id nequaquam audet, tametſi ut ejus oſtendit oratio, non parvo ſit animo, neque abjecto: ſed ad hunc plane modum proſequitur: *Eccleſia quidem, ſcio, dum veritatis hoſtes damnavit, doctrinæ veſtræ non inuſsit notam, quia veſtræ aſſertiones cum novas opiniones fabricantium aſſertionibus pugnant, quia conſecutiones e veſtris principiis derivari ſolitas conſtantiſsime pernegatis.* Ita a Janſenianis Thomiſtas diſſidere fatentur Jeſuitarum doctiſſimi, Joannes Martinus de Ripalda lib. 2. adverſus errores Baji diſput. 14. ſect. 5. Stephanus Dechamps lib. 2. de H. Janſ. diſput. 3. cap. 3. Joannes Martinonus in Anti-Janſenio pag. 708. necnon Franciſcus Annatus, qui edidit librum inſcriptum, *Janſenius a Thomiſtis gratiæ per ſeipſam efficacis defenſoribus condemnatus.* En ergo plurium Mediſtarum teſtimonio Catholicos dicendos eſſe, non autem Janſenianos, Theologos illos, qui negant ipſorum Janſeniſtarum conſectaria, quamvis ſtatuant aſſertiones, ex quibus Mediſtæ eadem conſectaria legitime inferri exiſtimant. Quare perperam Anonymus in *Appendice* ait, ac repetit dogmata Janſenii conſequi ex principiis noſtris, non ex Thomiſticis: neque enim ex illis, neque ex iſtis neceſſaria connexione ſequuntur: ac ſi Anonymo ex noſtris fluere videntur; Theologis quibuſdam Anonymo doctioribus effluere quoque viſa ſunt e Thomiſtarum principiis. Hi vero doctiores ac prudentiores negant Thomiſtas accenſendos Janſenianis. Negaſſet ergo hoc idem, non audacter affirmaſſet Anonymus, ſi Livino, Dechampſio, Martinono, Danieli, Annato, aliiſque Mediſtis morem geſſiſſet, ac ſi fuiſſet aliquantulum doctior, atque prudentior.

Ep. 8. pag. 241.

XII. Quum nuper Mediſtarum occurrerit mentio, puto Anonymum non latere, quot graves doctique Theologi illorum ſententiam rejiciant, illam non tantum falſam exiſtimantes, verumetiam affinem Semipelagianorum erroribus, pravarumque conſecutionum altricem. Neque enim id aſſeruit ſolus Janſenius in Opuſculo, quod addidit libro perperam *Auguſtinus* inſcripto, ideſt in *Parallelo, ſeu ſtatera erroris Maſſilienſium, & opinionis quorundam recentiorum*; ſed ulterius idem affirmarunt in ſuis *cenſuris* Sacræ Facultates Lovanienſis & Duacenſis, Thomiſtæ fere omnes, ac præſertim Thomas Lemos, Didacus Alvarez, Joannes Gonzales, Antoninus Reginaldus, Salmanticenſes, & alii. Autographa apud nos extant,

Livinus de mente Conc. Trid. ad Calcem Hiſt Vindic. cap. 5. pag. 13. Ibidem cap. 6. pag. 15.

Compa-

Cod. 1. pag. 11. Cod. 3. 256. Cod. 4. 164. Cod. 6. pag. 243. Cod. 9. pag. 441.

Comparatio doctrinæ Molinæ cum doctrina Caſsiani, Fauſti & aliorum Semipelagianorum, auctore Hieronymo Pallanterio, conſimile *Ludovici de Creil* acerrimumque Judicium, aliud *Lelii Landi Epiſcopi Neritonenſis* prio ipſius charactere firmatum, *Collatio* altera *opinionum Caſsiani & Molinæ* Gregorii Nunni Coronel Auguſtinenſis, itidem autographa, *Propoſitiones* item complures *Ludovici Molinæ* propria ſubſcriptione octo Conſultorum Sacræ Congregationis *de Auxiliis* diſpunctæ tanquam affines Semipelagianorum erroribus, aliaque id genus monumenta quamplurima, & quidem indubiæ fidei; unde conſtat præſtantiſſimos Theologos in ea fuiſſe ſententia, quod intruſo Moliniano ſyſtemate Semipelagiana hæreſis fuerit inſtaurata. Sufficere arbitror ad hoc dijudicandum *Inſtructionem*, ſeu decretum *pro Facultate Theologica Remenſi* Caroli Mauritii Le Tellier an. 1697. ubi Cl. Præſul ſententiam Molinianam appellat *rejetté de tout temps dans l' Egliſe*, necnon jam ab Anno 1347. cenſura inuſtam ab Univerſitate Pariſienſi in propoſitionibus Joannis *de Mercuria*. Nunc vero, obſecro te, Anonyme, ſi ego tot doctiſſimorum virorum inſiſtens veſtigiis *collationes* illas doctrinæ Semipelagianorum ac Mediſtarum typis ederem, atque audacter propter conſecutiones, quæ viris doctiſſimis videntur legitimæ, aſſererem Mediſtas eſſe puros putos Semipelagianos; quot in me non excitarentur clamores, quis me omnium mortalium audaciſſimum non appellaret, quis in ſcripta mea cenſoriis notis, in perſonam animadverſione pœnarum, atque in faciem unguibus inſiliendum eſſe non diceret? id quidem agerent, & jure meritoque univerſi: primum quia Religioſiſſimi ſcientiæ *mediæ* aſſertores Pelagiana omnia conſectaria negant ac repellunt: deinde quia importunum eſt antiqua Scholarum diſſidia criminationibus non ſemel diſcuſſis iterum excitare ac fovere; ac tandem quia decretis Pauli V. & Urbani VIII. cautum eſt, ne Theologi de auxiliis divinæ gratiæ diſputantes ſeſe invicem cenſuræ nota perſtringant. Vide, quæſo, an eadem prorſus in eos quadrent, qui Janſenianas conſecutiones e noſtro ſyſtemate ratiocinatione ſua derivantes, confidentiſſime ajunt nos eſſe puros putos Janſenianos, dum nos conſecutiones illas rejicimus ac retundimus: iſtiuſmodi inſimulationes non ſemel fuerunt diſcuſſæ; & Romanorum quoque Pontificum Innoc. XII. Clem. XI. & XII. vetitum eſt, ne *invidioſo Janſeniſmi nomine* traducantur qui palam Majorum ſuorum doctrinam propugnant, nec legitime de eis conſtat aliquam ex quinque damnatis propoſitionibus tradidiſſe.

Ordonnance etc. Pariſ. an. 1697. pag. 53. & 168.

Vide Præf. to. 1. nu. 8.

XIII. Quod attinet ad Scholam noſtram; arbitror eos quoque, qui de Baji, & Janſenii erroribus accuſarunt Henricum S. R. E. Card. Noriſium, aut clanculum, aut ementito nomine Risbrochii, & Neuſſerii, de quibus dictum eſt alibi, non adeo fuiſſe ſtupidos, ut in celeberrimum virum molirentur acerbiſſimas criminationes, niſi eis viſum foret ex Noriſianis ſcriptis proſcripta dogmata inferri, quod & de Chriſtiano Lupo, & de aliis in Præfat. 1. commemoratis eſt aſſerendum. Adde Lambertum Le-Drou, ceteroſque omnes cum illo adſtruentes neceſſitatem amoris initialis ad juſtificationem in Sacramento obtinendam: quibus Auguſtinus Michel in diſcuſſione Theologica n. 15. Procœmii objicit Bajaniſmum, addens tamen *Bajanos non eſſe, cum profiteantur ſe a Bajo alieniſsimos, quamvis ipſorum doctrina a Bajaniſmo diſcerni nequeat*. Quod ſane temperamentum imitari debebat Anonymus, quamquam ipſe noſtram a Bajana ſententia diſcernere non valeret. At neceſſum non eſt uberiora exempla proferre, quum lucidiora ſint omnibus, quæ de ipſis Auguſtini libris, atque de doctrina in illis tradita, huic Apologetico Operi fuerunt præmiſſa. Illinc enim Adrumetini quidam Monachi, quos eorum Abbas Valentinus epiſt. 216. inter Auguſtinianas n. 2. appellat *imperitos fratres*, putabant conſequi exitium liberi arbitrii, neque corrigendos eſſe, qui peccant. Horrebant idem conſectarium Maſſilienſes, qui tamen erant *ingenia bona, & meritis atque honoribus clari*; atque ea de cauſa Auguſtinianam doctrinam repudiabant; quibus adde quotquot ad initia uſque currentis ſæculi propugnatoribus illius doctrinæ Prædeſtinatianam hæreſim objecerunt. Ex Auguſtiniana item ſententia *de animarum traduce*, quam S. Pater aliquando hæſitanter docuit, complures conſequi exiſtimarunt, rationalem animam futuram eſſe corpoream, nec defuerunt, qui opinionem illam Auguſtini damnatam fuiſſe ſcripſerint: quos egregie refutarunt Alypius Royloſ. lib. 6. de Anima, Noriſius in Vindiciis, necnon Eſtius in 2. diſt. 17. §. 14. Oſtendi egomet lib. 12. cap. 4. quam imperite nonnulli ex iis, quæ S. Pater differuit de origine animæ, ubi agit de tranſfuſione originalis peccati, conati fuerint ſtatuere animarum propagationem per corporeum ſemen; ut mittam quæ de ipſa propagatione per vehiculum concupiſcentiæ, ac de aliis Auguſtinianæ doctrinæ placitis addi poſſent, quæ alii ſtrenue defendunt, alii ut rejiciendarum conſecutionum fontem atque principium oppugnant.

Le Drou Conſut. diſcuſ. pag. 28.

S. Auguſt. De Præd. SS. cap. 21. num. 43.

XIV. Poſtremo loco illos calumnioſe traducendos non eſſe, qui damnant conſectaria reprobanda & damnanda, nec inſimulandos ab iis, qui putant eadem conſectaria manare ex illorum principiis, apparet ex ipſa perditiſſimorum hæreticorum confeſſione. Calviniani ſiquidem putant tam ex Catholicorum, quam ex Lutheranorum circa Euchariſtiam doctrina inferri neceſſaria & apertiſſima conſecutione Dominici Corporis, & humanæ naturæ a Verbo aſſumptæ deſtructionem; & nihilominus ajunt id non poſſe Lutheranis abſque calumnia imputari, quoniam iidem Lutherani conſecutionem ipſam expreſſe abjiciunt: idcirco in Synodo Carentonii anno 1631. ipſimet Lutherani a Calviniſtis in communionem recepti fuerunt; & Joannes Dallæus in quadam Epiſtola ad Monglatium inquit: *Etſi opinio Lutheranorum circa Euchariſtiam non minus, ac opinio Romanorum deſtruat humanam Jeſu Chriſti naturam, nequit tamen hæc conſequentia iiſdem Lutheranis adtribui abſque calumnia, quoniam conſequentiam illam expreſſe reprobant*. Hinc Cl. Boſſuetius *in Expoſitione doctrinæ Eccleſ. Cathol.* recitatis Dallæi verbis inquit cap. 2. *Eſt itaque regula firmiſsime inter ipſos heterodoxos ſtatuta, attendendas non eſſe conſecutiones, quæ ex alicujus doctrina deduci poſſent, ſed id tantummodo ſpectandum eſſe, quod concedit, & quod conſtituit ejuſdem doctrinæ auctor. Ita dum vi conſequentiæ, quam ex doctrina noſtra inferri contendunt, affirmant deprimi a nobis Dei gloriam, officium Salvatoris ac Mediatoris Chriſti Jeſu, ſacrificii, quod pro nobis in cruce obtulit, ac meritorum ejus maximam dignitatem; facillimum erit hujuſmodi conſecutiones refellere adhibendo reſponſionem, qua utitur ipſe Dallæus, affirmando ſcilicet, conſequentias ipſas non poſſe abſque calumnia imputari Eccleſiæ Catholicæ, expreſſe eas reprobanti*. Abjicientibus ergo nobis ac reprobantibus Baji, Janſenii, & Queſnelli proſcriptas ab Apoſtolica Sede propoſitiones, Anonymus non poterat *abſque calumnia* opponere Janſeniſmum, tametſi ei viderentur ex ſcriptis noſtris eædem propoſitiones inferri: quod diſcurrendo per Philoſophorum ſectas, per hæreſum portenta, per Scotiſtarum, Thomiſtarum, ac Mediſtarum placita, per ipſam Auguſtinianam doctrinam, atque per regulas ab omnibus etiam heterodoxis receptas, hactenus demonſtravi.

Boſſuet pag. 85. Ven. edit. an. 1713.

CAPUT II.

Anonymi conſequutiones illegitimas eſſe convincitur, & prior Appendix *breviter refutatur.*

I. VErum in deducendis pravis conſecutionibus Anonymus decipi conſtat, cum ex præcedentibus diſſertationibus, tum ex utraque *appendice*; in qua diſcutienda, quoniam nil continet, quod refutatum non ſit, breviſſimus ero, ne κατὰ πόδας lepidiſſimum criminatorem ſectando bonum tempus male conteram, & nauci facienda videar plurimi, quam opus ſit, æſtimare. Ait itaque pagina prima App. 2. *Quamplurimos, etiam non inferioris notæ Theologos, varia Novatorum effugia non ſat habentes perſpecta, vix ſuſpicari poſſe Fratrem Bellelli ex Familia Auguſtiniana Doctorem Theologum, errores a Summis Pontificibus in Bajo & Janſenio damnatos renovaſſe*. Hinc primum conſtat propoſitiones in Bajo, & Janſenio proſcriptas non inferri ex libris Auguſtiniani ſcriptoris aperta, & manifeſta conſecutione; quandoquidem *conſecutionem* iſtam non percipiunt Theologi *quamplurimi, etiam non inferioris notæ*. Conſtat ſecundo falſum eſſe, quod Anonymus ſcribit in fine hujus Appendicis, Opera P. Bellelli *per totam Galliam atque Italiam* de Bajaniſmo, & Janſeniſmo *ſuſpecta* eſſe; quum in hanc ſuſpicionem trahi nequaquam potuerint Theologi *plurimi*, & quidem conſpicui, nec *inferioris* ſubſelii. Conſtat tertio exiſtimare Anonymum, ſenſum in Bajo, & in Janſenio damnatum adeo eſſe reconditum, adeo obſcurum, ut nec illud aſſequantur Theologi præſtantiſſimi, ſi omnia Dogmatiſtarum ſubterfugia non calleant. Conſtat quarto eumdem Anonymum ſeſe compluribus, nec vulgaribus Theologis præferre, eoſque adeo parvipendere, ut aſſerat eos nec deprehendere legitimum ſenſum damnatarum ab Apoſtolica Sede propoſitionum.

Verum enimvero perſpicuum eſt Theologos, qui Fulgentii Bellelli libros ab omni cenſura immunes pronuntiarunt, præ ceteris in his controverſiis verſatiſſimos eſſe. Hi enim Theologi ſunt, qui ante annos triginta ſedente Clemente XI. Pontifice Optimo Maximo, Opus inſcriptum *Mens Auguſtini de ſtatu creat. ration. ante peccatum*, delatum Supremo S. Inquiſitionis Tribunali, nulla nota cenſoria expunxerunt, cum tamen iidem Theologi circa eadem tempora ſcripta Queſnelliana diſcuſſiſſent ac reprobaſſent. Iidem Theologi ſunt, qui Romæ ad munus dijudicandi res ad fidem ſpectantes ab Apoſtolica Sede ob ſingulare do-

re doctrinæ meritum selecti, Auctoris nostri Opera sedulo pervolutarunt, plenisque probata calculis ad evertendam Quesnellianam hæresim summopere idonea atque aptissima existimarunt. Sunt hi Theologi, qui cura ac sollicitudine Pontificis omnium sapientissimi, & qui ipsa Patris Bellelli Opera pervolutare, ac in eruditissimis lucubrationibus suis commendare dignatus est, illis id muneris demandante, post has Anonymi recoctas insulsasque criminationes, censuerunt libros Augustinensis Scriptoris tam distare a damnatis erroribus, quantum a recti accusatoris ingenio, atque a boni Scriptoris temperamento distat veterum conviciorum conflator. Vide ergo, quam male sibi consulat adversarius prologo illo turgido, ineptoque Appendicis. Insuper certum est non tantum ab eo affici injuria Theologos summos, quibus rerum, quas scire tenentur, turpissimam exprobrat ignorantiam, (electi enim a Superioribus censores illud dignoscere, & investigare tenentur, cujus discretio, judiciumque eis committitur); verum etiam alios, quos idem Anonymus ait bene sapienterque Jansenianam hæresim delineare. Talis est Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson, cujus verbis Anonymus pag. 97. *Jans. Rediv.* num. 6. explicat reprobatque duarum delectationum principium. At Gravesonus in Hist. Eccles. recenset Patrem Bellelium inter eos, qui Augustinianam de Gratia doctrinam egregie illustrarunt, & Cardinali Norisio adhæserunt, Opere, quod criminator incusat, commemorato. Facta enim Christiani Lupi mentione, *Alter vero* (inquit Graveson) *qui in doctrina S. Augustini Cardinalis Norisii vestigia pressit, est doctissimus P. Fulgentius Bellelli, nunc Ordinis S. Augustini Procurator Generalis, qui anno 1711. librum edidit ad explicandam mentem S. Augustini circa statum creaturæ rationalis ante peccatum.*

Graves. Hist. Eccl. p. 3. pag. 200. edit. Venet. an. 1726.

II. Contendit Anonymus Patrem Bellelli in Opere adversus propositiones Quesnellianas, quibusdam ipsarum propositionum *legitimum sensum* adscribere, sed eumdem sensum simulate duntaxat, effugiisque dolosis rejicere: quibusdam aliis affigere *sensum extraneum*, & omnino a Quesnelli mente alienum, ut Quesnellianus error sartus tectus persistat, sive in illis propositionibus reprobare sensum Calvinianum ac Lutheranum, nunquam vero rejicere, ac refellere sensum Baji, & Jansenii, in pluribus articulis perspicue & aperte enunciatum. Ac primo Anonymus agit de propositionibus Quesnelli denegantibus gratiam *sufficientem*, a prima scilicet usque ad vicesimam primam. Ne tibi in mentem veniat aliquid novi ab adversario proferri. Ait se demonstrasse p. 2. *Jans. Red. art.* 1. Fratrem Bellelli amplexum esse noxium principium duarum delectationum, quarum gradibus inferior vincere nequit oppositam, superiori autem voluntas non potest resistere; unde sane infertur nullam dari gratiam *sufficientem*, quoniam delectatio superior gradibus est efficax, inferior autem non sufficit: ideoque P. Bellelli gratiam gradibus inferiorem cupiditate appellat *parvam & invalidam*; atque ait cum ea hominem *non magis posse* bonum agere, quam videre ille possit, *cui ob aliquam infirmitatem clausæ sunt genæ oculorum*. Repetitis autem, quæ dixerat art. 2. Jans. Red. ait de Quesnellianis propositionibus sufficientes gratias negantibus: *Has juremerito refellit propositiones Frater Bellelli, quia gratiam omnem sufficientem excludunt; sed cum gratias vere sufficientes ipse non admittat, easque sufficientes vocare non possit, nisi subsidio æquivocationum a Jansenistis confictarum, ex his colligere est hunc Theologum, etsi genuinum ac legitimum assignet sensum, illas tamen non sincere, sed ficte rejicere.*

App. pag. 4.

At viro magnorum præcordiorum, animique alieni prodigioso inspectori, hoc potius modo ratiocinandum erat: Quisquis assignat damnatarum propositionum *legitimum ac genuinum sensum*, easque refellit ac reprobat, non dolo & tergiversatione, sed obvium propriumque sensum reprobando, illas proscribit: Fulgentius Bellelli assignat damnatarum propositionum sensum *legitimum ac genuinum*, easque refellit ac reprobat. Igitur Fulgentius Bellelli non tergiversatione, aut dolo, sed proprium obviumque sensum reprobando, illas proscribit. Istud vero ratiocinium & caritati, & veritati maxime congruebat. Enimvero a Fulgentio Bellelli non admittitur principium duarum delectationum *invincibilium* ad libram Jansenianam; sed duarum delectationum, quarum gradibus superior consistit cum libera potestate ad oppositum, atque ad mentem Franciſci Macedi, Ant. Massouliè, Joannis Gonzalez, ac totius Scholæ Augustinianæ, ut vidimus præced. diss. cap. 3. §. 1. & 6. Agnoscit quoque Bellellius *sufficientem* gratiam inefficacem, quæ *veram* tribuit agendi *potestatem*, ut constat ex eodem cap. §. 2. eamdemque gratiam appellando *parvam & invalidam*, atque illam explicando comparatione oculorum & luminis, utitur verbis Augustini, Africanorum Patrum, atque clarissimorum Theologorum, Jansenianas technas offugiasque devitans, ac docens victricem delectationem requiri duntaxat *ad actum secundum*, & non ut liberum arbitrium revera possit operari bonum, sed ut applicetur ad opus: ut cit. cap. 3. §. 7. num. 3. atque alibi sæpe evidentissime ostendimus. Corruit ergo prima *Appendicis* argumentatio, seu potius verborum lusio, ejusdemque veteris & vulgatæ cantilenæ repetitio.

III. Haud melioris notæ sunt, quæ Anonymus repetit §. 2. pertractans de Gratia efficaci. Inquit 1. definitum a Concilio Tridentino voluntatem humanam dissentire posse interiori gratiæ *sive sufficienti, sive efficaci*; huic autem definitioni refragari Jansenium, & Quesnellum proposit. 10. *Gratia est operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire potest aut retardare*. At *Frater Bellelli*, inquit humanissimus adversarius, *multo audacior* Jansenianis *dicere non est veritus Concilium duntaxat definisse posse resisti gratiæ sufficienti*. Huic *adulterinæ Expositioni* adhæret denuo F. Bellelli, dum refellens propositionem illam 10. illud solummodo in ea reprehendit, quod *gratiæ sufficienti, non efficaci, resisti non posse asserat*. Ait quidem eo loci, quod gratiæ efficaci resisti possit in *sensu diviso*; sed idem asserit Jansenius, quibusdam fretus cavillationibus, quas necessum hic non est confutare, cum F. Bellelli solummodo rejiciat propositionem Quesnellianam, eo quod enuntiet non posse resisti *gratiæ sufficienti*. Id sane a mente Quesnelli alienum esse constat ex sua Protestat. adv. Constit. *Unigenitus*, ubi num. 2. queritur sibi falso imputari, quod rejecerit *gratias inefficaces, quibus resistitur*. Extraneum ergo sensum illi propositioni Frater Bellelli tribuit, ut gratiam suam *irresistibilem* censuræ subtrahat. Revera nisi non retractet Jansenianum principium duarum delectationum pro graduum superioritate invincibilium, loqui debet in sensu Jansenii, erroribus penitus consentaneo. Sunt aliæ propositiones Quesnelli, idest, 19. 22. 23. 24. & 25. in quarum refutatione valde F. Bellelli culpandus est, quia nullibi redarguit novum Quesnelli dogma de Gratia *irresistibili*, adeo ut *affectatum* hujus Theologi silentium nullatenus in talibus circumstantiis sit excusandum. Hæc Anonymus.

App. pag. 5.

Quum autem demonstratum sit cap. 3. dissert. præced. Patrem Bellelli data opera contra Jansenianos propugnare tum gratiam *sufficientem* ab efficaci distinctam, tum *libertatem indifferentiæ* sub gratia efficaci, nescio quo tendat tædiosa harum cavillularum, fabularumque refutatio, nisi forte ad conviciatoris pervicaciam iterum obtundendam. Obtundatur, quandoquidem id ipsi lubet. Non alia ratione P. Bellelli scripsit *de modo Rep.* lib. 2. cap. 16. pag. 94. liberum arbitrium non posse dissentire gratiæ efficaci, nisi *sensu composito Thomistarum*, eadem omnino verba adhibens quibus usi sunt Lemos, Gonzales, Alvaresius, ac Thomistæ alii doctissimi; & insuper criminator Theologi nostri verba mutila fraudulenter produxit; prout ostendimus differt. præced. §. 3. 7. num. 6. In sensu quoque Thomistarum, non Jansenii usurpasse Theologum nostrum distinctionem *sensus compositi & divisi* eodem cap. 3. luculentissime demonstravimus. Prior itaque conjectura non *audaciam* P. Bellelli, sed Anonymi vafritiem, & in calumniando pervicaciam confirmat. Quesnelli protestatio „ On m' impute de ne pas admettre des graces inefficaces, aux quelles on resiste effectivement, & qui par la resistence de la volonté n' ont pas tout l' effet qu' elle devroient avoir, &c. „ facta est adversus Episcopos Galliarum, eorumque Pastoralem Institutionem centum Præsulum suffragio firmatam, in qua revera *Reflexiones* Morales Quesnellii dicuntur *contraires à toutes les Ecoles & à la foi Catholique*, quoniam Scholæ omnes *se reunissent ensemble pour reconnoitre, qu' il y a une grace à la quelle on resiste, qu' elles nomment suffisant; & qu' il y en a une autre, à la quelle on peut resister, quoiqu' on n' y resiste jamais, &c.* Adversus hanc *Instruct.* loqui præcitato in loco Quesnellum manifestum est, cum illam, & paginam, in qua hæc leguntur, ibidem indigitet hoc pacto, *Instruct. Pastor. pag.* 34. Mendax itaque est, judicio centum Episcoporum, Quesnellus, dum ait præter gratiam efficacem se agnoscere *gratiam inefficacem, cui resistitur*: præterquamquod hanc inefficacem gratiam renuit ibidem appellare *sufficientem*, uti revera appellat Fulgentius Bellelli sæpe sæpius. Qui autem scire vult quanti facienda sit *Protestatio* illa Quesnelli adeat eruditum Propugnatorem Constitutionis *Unigenitus* ad prop. 2. cap. 10. ad propos. 30. cap. 15. ad 33. cap. 5. atque in toto illo Opere locupletissimo. Profecto Quesnellum solam *efficacem* gratiam agnovisse convincitur ex ipsa propositione 10. quam Anonymus memorat, in qua gratiam in communi, adeoque *omnem*, appellat *operationem manus omnipotentis*, idque cum Episcopis Galliarum testantur Antijansseniani omnes, ac præsertim Auctor prælaudatus tom. 1. pag. 162. Igitur Pater Bellelli docendo Quesnellum loquutum esse de Gratia *indefinite*, quasi omnis gratia sit conjuncta

Plainte & Protest. du Pere Quesnel p. 43.

P. Fontana to. 1. col. 19. 613. 713.

cum

cum actu, profligavit legitimum Quesnelli sensum. Fateor & in hoc dogmatistam errasse, quod eadem propositione decima, & sequentibus usque ad vigesimam quintam, negaverit sub gratia *libertatem indifferentiæ*, & gratiam *necessitantem* invexerit, cui nequeat resisti: id enim constat ex ipsa prop. 10. necnon ex aliis, in quibus *gratiæ operationem* comparat ei, qua Deus perfecit incarnationem & resurrectionem Filii sui, & qua creaturas produxit ex nihilo, mortuis vitam reddidit, atque solo nutu suæ voluntatis corporis languores sanavit: in quibus operationibus nullam invenies in subjecto veram propriamque libertatem, sed vel solam non reluctantiam, vel etiam nullum voluntatis motum; ideoque certissimum est Quesnellum induxisse gratiam *necessitantem*, & sub ea voluntatem hoc tantum nomine liberam, quod sponte, & non coacte operetur. At calumniose imputatur Patri Bellelli, quod ad talem gratiam intrudendam utatur *affectato*, & minime excusando *silentio*. Nam præterquamquod p. 1. libro tertio totus est in propugnanda sub efficaci auxilio *libertate indifferentiæ*, & libro quarto versatur in refutandis Jansenistarum argumentis, falsissimum quoque est non reprehendere in præcitatis propositionibus sensum gratiæ *irresistibilis*. Legat Anonymus *ad prop.* 14. pag. 45. ubi hæc occurrunt: *Quia de gratia indefinite prolata est, eum sensum obvium habet, quod unicuique Jesu Christi gratiæ* oportet *ut peccator se dedat, accurrat, seque humiliet, ac proinde quæcunque Christi gratia sit efficax. Addendum, quod verbum* oportet *in ore Jansenistæ est de necessitante gratia suspectum. Qui quidem sensus hæreticus est, quoniam juxta Orthodoxam doctrinam gratia efficax non est necessitans.* Legat *ad prop.* 19. pag. 48. ubi hæc habentur: *Est etiam propositio de gratia necessitante suspecta, cum eam* omnipotentem *vocat; quæ fuit Calvini, & Jansenii hæresis jam damnata.* Legat *ad prop.* 21. pag. 59. ubi scriptum est *captiosam* esse thesim Quesnellianam, *Etenim lector intelligere potest incautus, quod sicut Christi humanitas mere passive se habendo, ad hypostaticam unionem evecta, & a morte resuscitata fuit; ita arbitrium mere passive se habendo, per gratiam fortem, potentem, supremam, & invincibilem ad salutare opus agatur;* ibique contra Jansenium, & Quesnellum asserit Bellellius nunquam excludendam esse *arbitrii humani cooperationem*, de qua p. 1. lib. 3. cap. 2. & 3. docuerat non esse absque *potestate ad oppositum*, *& sine libertate indifferentiæ*. Legat *ad propos.* 25. pag. 55. ubi hæc extant: *Anima, quæ a Deo in hac providentia fanatur, non æque ac inanime corpus, nihil omnino agit, mereque passive se habet; sed Deo moventi & excitanti libere cooperatur, eique potest, si velit, dissentire.* Qua ergo fide, quo jure, qua fronte potuit viro doctissimo imponere, quod refellens Quesnellianas de gratia efficaci propositiones, non excusando silentio prætermiserit sensum gratiæ necessitantem inferentis, sive, ut impostor inquit, *irresistibilis*? Verum oportebat, ut in *Appendice* idem ingenium, eumdem stylum, eamdemque consuetudinem suam exhiberet.

De modo Rep. p. 1. pag. 111. & 127. ad quæ loca remittitur lector p. 2. pag. 50.

IV. Tertium paragraphum omitto; in eo quippe Anonymus agit de morte Christi pro omnibus hominibus, ac fatetur Theologum nostrum propositionis 12. necnon 30. & consequentium trium Quesnelli *sensum legitimum* assignare, ac temere pronuntiat: *Dogma harum censura propositionum definitum fraudulenter, non autem sincero animo admittit.* Non alia ratione id affirmat delator, nisi quia supponit Patrem Bellelli non admittere gratiam sufficientem, idque a se demonstratum Jans. Redivivi p. 2. art. 2. & art. 5. At cum revera Augustinianus Theologus sufficientem gratiam propugnet, & quod citatis in locis protulit criminator, superiori dissertatione dispunctum sit & elisum, apparet non in Fulgentio Bellelli dolosam fraudem, sed in Anonymo culpandam esse in suis scriptis dijudicandis extremam philautiam, in carpendis vero alienis inverecundam procacitatem. Ejusdem generis est, nisi procacius ac stolidius sit appellandum, quod complectitur §. quarto *de fide prima gratia*. Postquam enim ait Quesnellium prop. 26. asseruisse primam gratiam & fontem omnium aliarum esse fidem, ideoque extra Ecclesiam nullam agnovisse gratiam, quod & expressit prop. 29. ait Fratrem Bellelli huic errori omnino adhærescere, quoniam in prop. 28. Quesnelli §. 2. inquit *Fidem inchoatam esse primam gratiam*; ex quibus verbis infert semirecto angulo acutior: *Si Fides inchoata sit prima gratia, ergo nullæ dantur gratiæ ante fidem inchoatam, ergo nullæ dantur gratiæ, quibus resistat infidelis excitatus ad fidem amplectendam.* At oportebat animadvertere, quid Theologus noster nomine fidei inchoatæ significaverit. Ergo in propos. 27. pag. 57. ait: *Est enim* inchoata fides *in sancta atque indeliberata illustratione, seu pia quadam cogitatione credendi, quæ a Deo tanquam fidei semen in cor hominis præmittitur.* Porro Anonymus pag. 9. fatetur non esse in propositionibus Quesnelli damnatam sententiam Theologorum, *qui docent nullam aliam dari gratiam supernaturalem ante eas, quibus infideles disponuntur, vel excitantur ad fidem.* Si ergo Pater Bellelli nomine *fidei inchoatæ* non fidei habitum vel actum, sed supernam illustrationem, ac piam cogitationem credendi intellexit, id nempe, quo infideles excitantur ad fidem; judice Anonymo alieniissimus est ab errore damnato in propositionibus Quesnelli. Et revera ead. pag. 58. P. Bellelli docet, quod prima gratia non est fides actualis, *sed præveniens illuminatio Spiritus Sancti*. Pag. 59. ait, quod fides *a gratia adjuvante atque excitante prævenitur*. Pag. 60. inquit, *Infideles antequam credant gratiam excitantem accipere*. Pag. 62. repetit *primam excitantem atque prævenientem cuncta salutis opera gratiam esse sanctam illuminationem, delectationemque a Deo inspiratam auxiliatricem*. Pagina 63. exponens verba Augustini tract. 3. in Joan. n. 8. *Quam gratiam primo accepimus? Fidem*, ita scribit: *De fide inchoata, seu de sancta illustratione præveniente loquitur*. Poterat ne expressius asserere vir præstantissimus ante fidem gratiam Christi ad ipsam fidem disponentem atque excitantem? At Quesnellus prop. 27. *Fidem* nequaquam accepit pro initio quodam & semine fidei, seu pro affectu piæ credulitatis, neque pro aggregatu quodam ex credendi actu, & necessariis ad fidem dispositionibus, quæ tamen *Fidei* acceptio non est peregrina, sed uniformis Tridentino sess. 6. cap. 8. ut fatetur Jacobus Fontana cap. 4. n. 2. Sed Quesnellus contendit primam gratiam esse *Fidem*, quæ est actus virtutis Theologicæ, imo talis, quæ justificet, itaut prima gratia *sit remissio peccatorum*, ut inquit proposit. 28. extra Ecclesiam vero, & ubicunque deest fides, *nulla concedatur gratia*, prout autumat prop. 29. innovans errorem Baji art. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata*, ac 31. inter proscriptos ab Alex. VIII. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti*. Ita de Quesnello præcitatus Pater Le-Fontaine; ita P. Bellelli ad prop. 28. & 29.

App. pag. 7.

Font. tom. 1. pag. 433. 447. 529. Bellelli de modo Rep. tom. 2. p. 22. & 66.

Audiendus propterea non est Quesnellus, qui in sua protestatione num. 9. inquit: „ Il n' est pas vrai, comme on m' impute que j' aïe enseigné que *la foi claire & distincte en Jesus-Christ* soit toûjours la premiére grace, c' est du premier rayon de la lumiere surnaturelle de la foi que je l' ai dit, comme étant la racine & la source de toutes les autres graces surnaturelles. „ His enim Quesnellus carpit Institutionem Episcoporum Galliæ, in qua pag. 39. legitur: „ L' auteur en parlant de la Foi, ce qui dans un livre de morale & à l' usage du peuple, ne s' entend que de la Foi claire & distincte en Jesus-Christ, assure que la Foi est la premiere grace & la source de toutes les autres; ainsi il ne distingue, ni celles qui preparent à un si gran don, ni celles qui le produisent dans le cœur d' avec les graces qui sont accordées, on qui peuvent être accordées aux infideles, avant que l' Evangile leur soit preché. „ Quare Anonymus pag. 8. Quesnelli *protestationem* producens, ut investigetur *sensus* illius systemati *congruentior*, plus Novatori, quam centum doctissimis Præsulibus fidem præstat. Verum id novum non est: idem enim servavit paullo supra agens *de gratia efficaci*; ac affirmans Bajum & Quesnellum in propositionibus, de quibus differt. 1., damnatos non esse in sensu *charitatis habitualis*, quod prælaudati Episcopi tam expresse docuerunt. Mirum itaque non erit in nos hominem debacchari, qui ampliissimo tot Episcoporum honori nequaquam consuluit.

Plainte & Protestat. pag. 49.

Vide tom. 1. pag. 37.

V. Pertractat Anonymus §. 5. de Gratia primi hominis, & ait Fratrem Bellelli propositionibus Quesnellianis 34. & 35. affingere sensum a mente Quesnelli alienum, imo *absurdum* & *ridiculum*, dum Augustinianus Theologus docet Quesnellum asseruisse gratiam Adami naturalem, & ingenitam naturæ proprietatem, ab eaque inseparabilem: quod, inquit, falsum esse constat ex Protestatione Quesnelli num. 8. „ C' est fausſement, qu' on m' accuse de n' avoir admis dans Adam qu' une grace naturelle inseparable de sa nature, & que ses merites n' eussent pour principe, qu' une grace de l' ordre naturel. „

Satis, opinor, vindicavi sententiam Patris Bellelli præced. Volum. differt. 2. Quod enim Theologus noster de præcitatis propositionibus docuit, traditum ab aliis compluribus eo loci demonstravi. Adde Cl. Thomistam Pium Vanden-Dyck Theologum Casanatensem, qui in *Clementina* Unigenitus *Vindicata* cap. 3. §. 2. *Quesnellus*, inquit, *in Adamo nonnisi humana merita fuisse asserit, quod humanæ duntaxat naturæ viribus parta essent, absque ullius gratiæ supernaturalis adjutorio. Quippe supernaturale adjutorium in Adamo fuisse negat, solam admittens gratiam, qualem nec Pelagius negavit, quæ sequela creationis, & debita naturæ fuerit, quo sensu intellectus, voluntas, libertas, memoria, & ceteræ animæ humanæ vires dici queunt gratia, quatenus gratis, nullis meritis præcedentibus dantur.* Quod attinet ad Quesnellianam *Protestationem*, repetimus Anonymum

Vanden-Dyck edit. Rom. ann. 1738. pag. 68.

nymum eam producendo injuria maxima afficere Galliarum Antiſtites, contra quos fuit edita; maxime quod in ipſa *Proteſtat.* num. 8. pag. 48. citatur *Inſtructio Paſtoralis pag.* 38. ac revera in ea Inſtitutione aſſeritur Queſnellium in homine primo non admiſiſſe, *qu'une grace naturelle, inſeparable de ſa condition*. Vide tom. 1. pag. 159. & 191. Itaque non tantum confratris, quantum omnium Galliarum Præſulum vindicantes aſſertionem, dicimus Queſnellium mentiri, & inanes querelas fundere. Nam cum ſcripſerit gratiam Adami fuiſſe ſequelam creationis, & naturæ proportionatam, aperte negavit fuiſſe ſupernaturalem; unde Propugnator conſtitutionis *Unigenitus* ad propoſit. 37. illam Queſnelli Proteſtationem tamquam offuciis, & evictionibus plenam refellit. Animadvertit quoque in Proteſtatione Queſnelliana gratiam Adami dici ſuperadditam naturæ *ſenſu ridiculo*, ut ſcilicet *ſanitas, ſeu recta corporis, humorumque diſpoſitio etiam in homine lapſo eſt aliquid naturæ hominum ſuperadditum, ab eaque ſeparabile, & frequentiſſime ſeparatur; nemo tamen eam propterea dixerit ſupernaturalem*. Ita vir doctus eo loci cap. 8. num. 10. col. 823. Idem nos de Bajo prænotavimus diſſert. 11. cap. 1. §. 3. & de ipſo Queſnello §. 4. *Ridicule* ergo Anonymus ſenſum, quem P. Bellelli tribuit Queſnellianis propoſitionibus, appellat *ſenſum ridiculum*, & *ridicule* fidem præbet, non centum Epiſcopis, ſed Novatori adverſus eos proteſtanti, & gratiam primi hominis *ſuperadditam naturæ* aſſerenti *ſenſu ridiculo*. At mittamus dicacitatem hominis natura exequentis, quod arte docuit Quintilianus lib. 6. cap. 3. ſcilicet, indicando *ridicula*, dicendo *ſubabſurda*, ſimulando *venuſta*.

P. Fontana tom. 1. col. 818. & ſeq.

VI. Arguit Patrem Bellelli Anonymus num. 6. quod induxerit *peccandi neceſſitatem* exponendo propoſitionem 28. Baji, & 38. Queſnelli de gratia *ſanctificante*, ac docendo in propoſit. Queſnel. 40. num. 2. nihil inculpabiliter amari *abſque charitate*, ideſt, nihil eſſe innoxium, quod non referatur *in Deum charitate amatum*. In propoſitione etiam 43. de induſtria ſenſum de gratia, cui nequit reſiſti, Queſnelliano ſyſtemati conſentaneum diſſimulaverit, eumque ſenſum tantummodo expunxerit, quem Queſnellus ipſe rejecerit, ut patet ex ſua Proteſt. num. 6.

App. pag. 13.

Verum, etſi exponere propoſitiones priori loco commemoratas de gratia *ſanctificante* erroneum non eſt, ut diximus, & oſtendimus diſſ. 3. pag. 304. & 330. tamen P. Bellelli in propoſit. Queſn. 38. pag. 108. docet peccatorem *ſine gratia ſanctificante non poſſe facere opera bona de condigno meritoria ſalutis, vel regni æterni; nec ſine gratiæ actualis adjutorio meritoria de congruo, ſed nihilominus quædam officia moraliter bona, quæ non ſunt perfectæ virtutis, quæque ad ſalutem non proſunt, ſine gratia Liberatoris facere poteſt*. Ibidem negat hæc opera facta ſine gratia actuali eſſe *peccata*, refutans Queſnellium ex damnatione Bajani articuli 28. Imponit ergo, & inique criminatur Anonymus, dum inquit Auguſtinenſem Theologum ex induſtria omittere ſenſum Queſnellianum, quod ſcilicet *peccata* ſint opera, quæ non referuntur in Deum, nec fiunt ex gratia actuali. Appellamus, ut impoſtura hæc innoteſcat, legentium oculos. Eadem calumnioſa impoſtura dignoſcitur ex iis, quæ præclarus Theologus affert adverſus propoſit. 40. ibi enim docet mentem eſſe Auguſtini, quod aliquando inveniatur etiam in peſſimis *morale aliquod opus, quod ſuis viribus agere poſſit homo; tale autem bonum, quamquam ad ſalutem minime ducat, non tamen ducit ad condemnationem*. Ita §. 1. pag. 120. Proximo autem §. exponens verba Auguſtini in Pſ. 72. *Quidquid enim bene amas, caritate amas*; primo inquit S. Doctorem loqui *de amore ad juſtificationem conducente*. Deinde ait poſſe Auguſtinum accipi *de caritate virtuali, quæ præceſſit, quæque moraliter in ſubſequentibus bonis durat operibus*. Tandem concludit pag. 122. *At vero ſine gratia, Deo tamquam auctore naturæ cooperante nobiſcum aliquod etiam amare poſſumus bonum, non pium quidem, non ſalutare, non meritorium, ſed minime tamen ad noſtram condemnationem conducens*. Id vero eſt nihil *innoxium*, nihil *ad noſtram condemnationem* non perducens, nihil quod non ſit *peccatum* admittere abſque gratia actuali, Proh ſtellione fraudulentiorem, omniumque ſycophantarum fallaciſſimum ac verſutiſſimum! De Queſnelli *Proteſtatione* dictum ſupra: ſed hoc etiam loco, quem innuit accuſator, carpit Dogmatiſta Inſtruct. Epiſcoporum; e veſtigio his verbis appoſitis, *Inſtruct. pag.* 36. Et quidem in *Proteſtatione* Queſnelliana num. 6. legitur: „ On m' accuſe d' avancer, que ſans la grace qui a toujours ſon effet, on eſt dans une vraie impuiſance de faire le bien. C' eſt une fauſſe accuſation. „ In *Inſtructione* autem Epiſcoporum citata pag. 36. „ Il y en a d' autres (propoſitions) qui établiſſent encore, que ſans la grace qui a toujours ſon effet, on eſt dans une vraie impuiſance de faire le bien. „ Igitur aut Queſnelliana Proteſtatio mendax eſt, aut Epiſcopi Galliarum Queſnellio falſum errorem imputaverunt: quod poſtremum dici nequit abſque maxima temeritate, ideoque perperam Anonymus, & cum injuria ipſorum Epiſcoporum ad *Planctum* Queſnelli nos rurſus provocat.

App. pag. 17.

VII. Sequitur Anonymus garrire clamitando Fratrem Bellelli inverecunde tribuiſſe propoſitioni 44. Queſnelli, & 38. ſenſus *fictitios*, atque *contortos*, nullibi docens proſcriptas fuiſſe in eo ſenſu, *quod omnia opera & omnes volitiones, quæ non fiunt ex motivo caritatis, ſint peccata*, ac præteriens ſilentio Queſnelli ſenſum, ſcilicet actiones, quæ bonæ ſunt ex objecto, & fine proximo, eſſe flagitioſas *defectu debitæ ordinationis in finem ultimum*: quod ab Auguſtiniano Theologo data opera factum pronuntiat, *ne & ipſe eadem cenſura irretitus deprehendatur*. A ſe autem hoc demonſtratum jactitat p. 1. Bajaniſ. Rediv. art. 3. §. 1.

At nos demonſtravimus tom. 1. pag. 131. Fulgentium Bellelli pluribus in locis, in propoſitionem quoque præcitatam 44. atque in duas proximas, affirmaſſe actiones permultas adinveniri, quæ non fiunt ex caritate, nec tamen a cupiditate vitiantur, neque ob defectum debitæ ordinationis in Deum redduntur peccata, refutatis etiam ſingulis impoſtoris hujus cavillationibus pag. 139. & ſeq. Falſiſſimum eſt ergo, calumnioſiſſimum, iniquiſſimumque a Theologo noſtro deſcriptum ab Anonymo ſenſum Queſnellianum prætermiſſum fuiſſe ſilentio ad evitandam cenſuram. Ad obterendam vaferrimi hominis pervicaciam præſtat quædam exſcribere ex eodem loco, ubi Fulgentius, hoc nomine ob perſpicuitatem, qua accuſatorum ſuorum convicia retundit, dignißimus agit de citata propoſitione 44. *Peccatores*, (inquit pag. 113.) *quorum habitualis amor in ſemetipſis & mundo ultimum finem habet, uti jam diximus, pleraſque actiones faciunt pias, ſalutares, Deoque acceptas, quæ ex pravo mundi amore, vel ordine non naſcuntur, quemadmodum de Cornelii orationibus, & eleemoſynis ſcripſit Auguſtinus de Prædeſt. SS. cap.* 7. Vides agnoſci ab eximio Theologo pias & ſalutares actiones abſque gratia ſanctificante? Sequitur immediate: *Sed inſuper bonum aliquod officium, non tamen veræ virtutis, poſſe eos naturaliter facere, quod ex prædominante amore ſui non procedat, ſed ex objecto, & fine proximo bonum ſit, res certa eſt. Tametſi vero ad ſalutem illud non proſit, veramque pietatem; non tamen abſolute malum eſſe, & peccatum ad condemnationem ducens cenſendum eſt, ſi per charitatem in Deum non ordinetur*. Vides abſque gratia actuali, & abſque ordinatione in finem ultimum agnoſci ab eodem Theologo bona quædam officia, non tantum ex objecto & fine proximo, ſed etiam non procedentia ex prædominante cupiditate, nec abſolute mala, nec ad condemnationem trahentia? Ergo, atque impoſtoribus fidem adhibe. Ceterum, ut ad criminationem revertar, ſi Theologus noſter expoſuit Queſnellianam propoſitionem de Gratia *ſanctificante*, id jure fecit, ac præeuntibus viris doctiſſimis, inter quos centum Galliarum Epiſcopi, ut vidimus diſſert. 1. §. 4. Adde recentiorem Thomiſtam, de quo præcedenti num. 5. demonſtrantem Bajum & Queſnellum in propoſitionibus, de quibus agitur, *manifeſte de caritate ſtricte dicta, ſeu Theologica virtute fuiſſe locutos, atque omnia opera ex illa non profecta, peccati poſtulaſſe*, de ſententia autem, quam propugnant Noſtrates, hæc ſubjicientem: *Sunt, fateor, aliqui Theologi Catholici, qui hominem peccare ſaltem venialiter doceant, quoties actiones ſuas deliberatas non in Deum ex aliqua imperfecta caritate referat: ſed nullus eorum dicit, actiones ipſas ex objecto & officio bonas propterea inquinari, & eſſe veri nominis peccata*. At de his plura diſſert. 3. cap. 1. §. 6. & 7.

Tom. 1. pag. 48. Vanden. Dyck pag. 326. & 337.

VIII. Repetit Anonymus §. 8. rancidula illa objectamenta, quæ balda ex nare in *Bajaniſ. Red. art.* 6. part. 2. produxerat: eaque tendunt ad virum præſtantiſſimum infamandum, quoniam ad propoſitionem 60. & ſeptem ſequentes Queſnellianas, nunquam Queſnelli ſenſum proſcripſerit, ſed *fictitios*, ab hujus Novatoris mente prorſus *alienos* attulerit, cenſuram *doloſa ſimulatione* vitans, nec docens timorem penitus a caritate ſejunctum non proficiſci a cupiditate, non eſſe malum, non eſſe peccatum; quod Orthodoxi omnes fateri debent. Quod enim P. Bellelli ait timorem abſque caritate eſſe bonum *ſecundum ſe, & ſpectata ſubſtantia ſua*; quod inquit timoris officium eſſe interni mali fugam incutere, præſcribere ac monere vitandum eſſe peccatum, aliaque id genus, quæ repetit *ad nauſeam uſque*; quod aſſerit vitium in eo, qui ſerviliter timet, *non timoris eſſe, ſed timentis*; hæc omnia a Queſnello ipſo docentur. Timorem vero ſine caritate conceptum, atque actus ex eodem timore manantes, qui non referuntur in Deum amore benevolo, non eſſe immunes a culpa, nec fluere a noxia cupiditate, (qui eſt Bajanus, ſeu Janſenianus ſenſus legitimus) nuſpiam Frater Bellelli affirmavit. Ita Anonymus.

App. pag. 28.

At non poteſt quis Ulyſſis hujus irato mare nauſeantis craſſam madidamque coercere pituitam, ingeſta particula

cula aliqua amari ſibi acidique voluminis, in quo ſi nauſeoſo credimus, *fallacia etiam rapidiſſime legenti innoteſcit?* Profecto in 8. illo §. aut delirat, aut mentitur, aut imponit; quod etſi conſtat ex prima ac tertia diſſertatione, brevi iterum oſtendam. Falſiſſimum quippe eſt, Fulgentium Bellelli diſſerentem adverſus Queſnellum non rejicere dogmatiſtæ hujus damnatum ſenſum, ſcilicet quod timor in Deum per caritatem non ordinatus procedat *a carnali cupiditate*, & noxius ſit, nec immunis a culpa. Poſtquam enim in propoſitionem 45. §. 1. demonſtravit ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. fidem, ac timorem, & quidem a Dei amore ſegregatum, diſponere ad juſtificationem: *Si autem*, inquit, *hiſce operibus peccator ad juſtificationem ſe præparat, quis niſi hæretico ductus ſpiritu, eamet dicat eſſe prava, & carnali cupiditate corrupta?* Ac in propoſitionem 60. Queſnelli §. 1. docuit eumdem timorem eſſe *impulſum Spiritus Sancti moventis, & parare viam ad juſtitiam:* & prop. 65. inquit: *Supernaturalis timor ex gratia præveniente profluit*, idque ſæpiſſime repetit. Qua ergo æquitate homo ſui compos pronuntiare potuit in ſyſtemate P. Bellelli timorem, qui formidine pœnæ incutit peccati fugam, & a caritate, ſeu amore Dei benevolo ſegregatur, oriri *ex noxia cupiditate*, quando Auguſtinianus Theologus oppoſitum expreſſe docet, demonſtratque eſſe effectum gratiæ prævenientis, atque Spiritus Sancti impulſum? Deinde falſiſſimum eſt ab illuſtri Theologo timorem, de quo agimus, inter peccata cenſeri, nec bonum in ſe exiſtimari. Volumine enim primo pag. 131. 133. & 437. produxi teſtimonia, quæ evincunt oppoſitum; ac ſunt alia permulta ejuſdem generis in præcitatas propoſitiones Queſnellianas: ſit in exemplo, quod legitur in prop. 60. *Bonus eſt & iſte timor, utilis eſt. Bonus eſt ſuppliciorum timor, & quanto fortius animum concutit, tanto utiliorem, plenioremque terroribus ad ſalutem pœnitentiam parat.* In prop. 64. *Ergone & credere, & ſperare ſalutem, & timere futurum judicem, hiſque ſe pietatis operibus ad juſtificationem Deo adjuvante diſponere, peccata cenſentur?* In prop. 66. *Quid ergo? Si peccator orat, ſi contritionem imperfectam habet, illam ſcilicet, quæ* attritio *dicitur, non adhuc charitate perfectam, ſi novam vitam inchoare proponit, ſervareque divina mandata, non accedit ad Deum?* His, aliiſque in locis, ubi Fulgentius Bellelli timorem ſervilem commendat, quomodo fieri potuit, ut criminator timorem damnari crediderit, aut tam bullata ac prodigioſa mendacia confingeret? Præterea falſiſſimum eſt, quod in ſenſu Queſnelli timor dici poſſit *ſecundum ſe, & ſpectata ſubſtantia ſua bonus*, ita ut nullum ſit vitium *timoris*, prout fatente Anonymo docet Auguſtinenſis Theologus. Nam ſi Queſnellus ait propoſit. 60. timorem ducere *ad deſperationem*, propoſit. 61. addicere cor peccato, propoſit. 62. reum coram Deo conſtituere, prop. 64. peccari dum malum ob timorem vitatur, prop. 66. hominem timore duci ad inſtar beſtiarum; quomodo in ſenſu Queſnelli nullum eſt vitium *ex parte timoris*, quomodo timor *ſecundum ſe* juxta Queſnellum bonus eſt? Deinde quidquid oritur *ex cupiditate*, ſecundum ſe malum eſt, actus enim in ſe, & intrinſecus corrumpitur ab eo noxio & vitioſo principio, a quo profluit: ſi ergo in ſenſu Queſnelli timor eſt a noxia & vitioſa cupiditate; quomodo in ſenſu Queſnelli timor eſt bonus *ſecundum ſe*? Vide tom. 1. pag. 387. Falſiſſimum denique eſt, Patrem Bellelli adſcribere timori munus duntaxat incutiendi terrorem, & præſcribendi vitandum eſſe internum externumque malum, non vero timore pœnarum peccata interna cohiberi, quod negat Queſnellus: ſiquidem ille in propoſitionem 61. ſcribit: *Sanctus etiam Auguſtinus a Deo incuſſum æternæ pœnæ timorem non externi tantum operis mali, ſed interni etiam ſuadere fugam, & non ſolam manum, ſed animum quoque cohibere, perſpicue docet.* Et poſt pauca: *Profecto non ſolam manum cohibet, ſed etiam animum.* Ac rurſus in prop. 66. *Internam quoque voluntatem malam corripit.* Quare non ſatis mirari poſſum animoſitatem in calumnias inflando refertas tot criminationibus & impoſturis, ſupra quam dici poſſit ineptis, ſubrancidis, commentitiis. Sed tria ingenii ſui octavo etiam §. indicia præbet: quorum primum eſt iterum lectorem amandare ad *Proteſtationem* Queſnelli n. 13. ubi Novator queritur Epiſcopos Galliarum ſibi per calumniam impoſuiſſe, quod dogmatizaverit, *Que tous qui étoient avant ou ſous l'ancienne loi, fuſſent dans l'impuiſance de l'accomplir:* quod legitur in *Inſtitutione Paſtorali* XLII. Epiſcoporum, ibi etiam a Queſnello citata hoc pacto, *Inſtruit. pag.* 45. ideoque Anonymus ſcribens pag. 25. Ap. Queſnellum ipſum damnaſſe propoſitionem 65. *in eodem ſenſu*, quo refutatur a P. Bellelli, & citans præmonſtratum n. 13. *Proteſtationis*, temere & audacter, ut fecit ſupra n. 4. & 6. in *Inſtructionem* illam tacite invehitur, eique præfert mendaciſſimam *Proteſtationem* ejuſdem Queſnelli. Idem facit ſcribendo, Novatorem prop. 63. non adhibuiſſe comparationem inter Judæum, & Baptizatum adimplentem legem ex ſolo timore, quaſi Judæus per omnia ſimilis ſit baptizato, iterum lectorem amandans ad *Proteſtationem* Queſnelli n. 12. ubi idem Queſnellus vellicat, ſibique imputari conqueritur, quod legitur in *Inſtructione* doctiſſimorum Præſulum pag. 43. Quis ergo talem hominem patiatur, qui contra Orthodoxum Scriptorem profert damnati hominis teſtimonium, ac teſtimonium repugnans, & calumniam inferens quadraginta, immo centum Epiſcopis pietate, & doctrina conſpicuis? Alterum ingenii ejus indicium eſt, quod ait Theologi noſtri lucubrationes in theſes Queſnellianas eadem non *abſque nauſea* repetere, cum interim in Appendice iſta nil ſit non inſulſum, non recoctum, non inſipidum, atque in omni fere *Bajaniſmi ſui* pagina repetitum, ut res portento ſimilis cenſenda ſit, hominem continuo eadem ructantem, & nauſeantem, nec piperato aceto, quo undique perfunditur, comprimere diuturnam concitationem atque moleſtiam. Habes & indicium ejus animi tertium, nam inquit *rapidiſſime legenti* ſtatim innoteſcere Theologi noſtri *fallacias*; quas viri doctiſſimi, ac Romani Cenſores matura diſcuſſione, ſedulo examine, & exquiſita ponderatione deprehendere non valuerunt: ideoque ipſe, cui ſtatim innotuerunt, Opus *de modo reparationis* rapidiſſimo & concitato motu, cuncta permiſcens, nil diſcernens, ſubvertens omnia pervolutavit: quod revera commonſtrant fluctuoſæ ipſius, ac turbulentæ excurſiones.

IX. agit tandem Anonymus de propoſitionibus Queſnelli 68. 69. 70. Ait Fratrem Bellelli merito quidem damnare priores duas propoſitiones, quatenus excludunt neceſſitatem bonorum operum, horumque merita: ſed quia ipſe Queſnellus *Proteſtat.* num. 7. *fatetur in bonis operibus meritum*, & conqueritur ſibi imputari, quod oppugnaverit *la verité du merite des bonnes œuvres de l'homme juſte*; F. Bellelli agnoſcendo *meritum bonorum operum* a doctrina Queſnelli non recedit. Ut enim ab hac doctrina recedat, fateri debet humanam voluntatem divinæ gratiæ *poſſe reſiſtere*: alioqui nil aliud in bonis operibus agnoſcet, quam voluntatis humanæ cooperationem inevitabilem & neceſſariam, cumque pravum *gratiæ inreſiſtibilis* dogma ſtatuerit, ut conſtat ex præcedenti §. 2. atque ex parte 2. *Janſeniſmi Rediv.* conſequens eſt F. Bellelli nullibi rejicere errorem Queſnellianum. Propoſitioni autem 70. affingit F. Bellelli extortos abſurdoſque ſenſus: de quibus p. 2. *Bajan. Rediv.* art. 3. §. 5. Ita adverſarius.

Verum hæc quoque eodem vitio laborant. Supponunt enim percelebrem Auguſtinenſem Theologum gratiam propugnaſſe, cui nequeat reſiſti, atque bullata inſignique impoſtura cenſor repetit nullibi ab eo rejectam *gratiam neceſſitantem*. Id quidem falſum eſſe cum ſuperior diſſertatio, tum quæ attigimus præcedenti nu. 3. ſatis ſuperque demonſtrant. Abſurdiſſimæ itaque impoſturæ innituntur univerſa criminantis Anonymi conſectaria. De propoſitione 70. Queſnelliana, quam adverſarius produxerat pertractans *de ſtatu puræ naturæ*, egimus 2. diſſert. cap. 1. & 3. ac ſi ulterius conferantur, quæ in refutatione ejuſdem propoſitionis 70. docuit P. Bellelli, & quæ congeſſit Propugnator Clementinæ Conſtitutionis; evidens erit nil dictum ab Auguſtiniano Scriptore, quod fuſiori diſputatione demonſtratum non ſit a Jeſuita Clariſſimo. Eadem quippe Scripturæ loca, eædem Eccleſiaſticæ definitiones, eademque exempla ab utroque Scriptore adverſus Queſnellum adduci perſpectum eſt. Duabus vero propoſitionibus præcedentibus Queſnellum commendare ſolam fidem, Lutheranam hæreſim renovare, meritaque bonorum operum excludere, uti P. Bellelli, ita alii, qui de hoc argumento ſcripſerunt, pari ratione obſervarunt. Nec verum eſt, quod effutiit Anonymus, Auguſtinianum Theologum, dum meritum agnoſcit, excludere libertatem, & adſtruere gratiam, cui non poſſumus reſiſtere, quin etiam in propoſitionem 69. inquit: *Orthodoxe enim fatendum eſt, una ſimul* (fidem, ejuſque augmentum) *eſſe donum Dei, & meritum noſtrum; donum Dei, quia fecit, ut credamus; meritum autem noſtrum, quoniam libere credimus.* Et infra docet in actione ſalutari eſſe *mixturam quamdam meriti & doni, Bonitatis Dei & cooperationis noſtræ*: paullo infra, *mixtum quoddam ex gratia & libertate*. Ac *libertatis* nomine Theologum noſtrum intelligere *libertatem indifferentiæ* conſtat ex toto libro tertio primæ partis. Quamobrem ita *meritum* deprædicat, ut *libertatem* ſimul defendat, in iis quoque locis, ubi cenſet obtrectator cubare fallaciam. Rurſus autem Anonymus *Proteſtationem* commemoravit, ubi Queſnellus conqueritur ſibi imputari, quod merita excluſerit. Eo loci, ideſt, n. 7. agit Novator adverſus *Inſtructionem Paſtoralem* doctiſſimorum Galliæ Præſulum, & ait: *L'auteur des Reflexions, dit enſuite l'Inſtruction Paſtorale, combat encore dans le juſte le merite des bonnes œuvres*: quæ utique verba in *Inſtructione* leguntur pag. 37. Queſnellus ex adverſo excludi

De modo Rep. tom. 2. pa. 137. 209. 231.

Ibidem p. 210. 211. 229. 249.

Eodem vol. pag. 213. 214. 238.

App. pag. 27.

Bellelli de modo Rep. tom. 2. p. 267. P. Fonn. tom. 3. pag. 353.

Bellel. ibid. pag. 262. & 264. 266.

excludi a se meritum negat; nec veretur id appellare *calomnie rougisse*, ipsam Præsulum Clarissimorum *Instructionem* temerario ausu vocans *Enorme Instruction Pastorale*. Ergo P. Bellelli scribens a Quesnello denegari merita bonorum operum, loquitur mente & ore doctissimorum illorum Præsulum: Anonymus contra affirmans Quesnellium meritum fateri, mendaci dogmatistæ fidem præstat. Quisnam *Pastorali instructioni* magis adhæreat, Bellellius ne, vel Anonymus, Lector dijudicet. Id ego tantum pronuntio, Quesnellium mendaciter asserere, se agnoscere meritum; nam si totum est *puræ*, idest, solius *liberalitatis Dei*, si non datur *libertas ad merendum necessaria*; si operatio gratiæ similis est operationi Dei *incarnantis & suscitantis Filium suum*, excludens scilicet liberrimam voluntatis cooperationem, atque reluctandi potestatem, ut dogmatizat Novator iste; profecto in sensu Quesnelliano non datur meritum, & recte sapienterque Galliarum Antistites in sua *Instructione* dixerunt: *L'auteur des Reflexions combat encore dans le juste le merite des bonnes œuvres* „ La foi, *dit il*, l'usage, l'accroissement, & la recompense de la foi, tout est un don de la pure liberalité de Dieu. „ Recte item sapienterque P. Bellelli eumdem sensum in Quesnello perstringit; Anonymus vero inepte garrit, ac temere fallaciam in Augustinianæ doctrinæ vindice, pio, orthodoxo, ac doctissimo suspicatur.

Vide supra n. 3.

X. Postremo Anonymus Appendici *epilogum* addit, & quædam ex dictis *Corollaria* deducit. Epilogus nil aliud est, quam prædictarum rerum lepida repetitio, & consueta gestiens, ac se efferens insolentius jactatio, quod evidenter pateat, Fratrem Bellelli simulate Quesnellianas propositiones refellere, & nullatenus recedere ab earum doctrina. In hac tamen castiganda reprimendaque jactantia non moror, nec mea quidquam interest, si glorioſus homo propriæ existimationis aura tumescat, si prædominante, quam passim commemorat, cupiditate quaquaversum abripiatur, si festucam in oculo fratris perquirat, trabem non videns oculis hærentem suis. Veniamus igitur ad *Corollaria*. Primo inquit consequens futurum esse, ut si Fratris Bellelli scripta a censura judicentur immunia, Novatores freti illius exemplo confugiant ad sensus extraneos atque fictitios, & *Bellellinæ* confutationi etiam Jansenistæ acquiescant. Secundo ait, quod iidem Jansenistæ non immutata priori sententia, ac Patris Bellelli ambagibus & diverticulis studiose collectis, non detrectarunt subscribere Constitutioni *Unigenitus*, erroresque suos disseminabunt impune. Tertio addit, admissa interpretatione ac doctrina Fratris Bellelli ingenue fatendum esse, Bajanismum, Jansenismum, & Quesnellismum mera esse *phantasmata*, atque Ecclesiam a duobus ferme seculis adversum umbratilem larvam acerrime dimicasse. Quarto concludit, adstringi Ecclesiæ Præpositos, qui tenentur Catholicam fidem servare omnino illibatam, ad proscribenda F. Bellelli Opera, in quibus Bajani & Jansenistæ renovantur errores, & de quorum prava, ac suspecta doctrina per totam Galliam, totamque Italiam fama percrebuit; quoniam in iis circumstantiis, ut habetur cap. *Error*, dist. 83. *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum non defensatur, opprimitur*. Hæc pulcherrimæ Appendicis corona.

Contra ego arbitror ex dictis manifestissima consecutione inferri, Anonymum ad conflandam, urgendamque calumniam nil præter evulsas cavillulas, & ingeminata convicia produxisse: ex præconcepto semel errore, quod Theologus noster gratiam *irresistibilem* statuerit, easdem nugas ubique eructasse: Augustiniani systematis ignorare penitus elementa: Nostratium libros nunquam legisse: Opera, in quæ insiliit, pervolutasse lividis oculis, averso animo, præoccupata mente, judicioque præpostero; ac demum ad trahendam sententiam nostram in vituperium atque offensionem, majorem Quesnello, quam hujus oppugnatoribus dedisse fidem. Num vero hujusmodi consecutiones sint legitimæ, ipsius *Appendicis*, quam paullulum exagitavimus, evincit lectio. Quatuor autem Anonymi *Corollaria* disjectis fundamentis labuntur. Ad singula tamen respondeo: atque ad primum dico, si doctrinæ nostræ Jansenistæ subscribent, ejusque temperamento debitam Constitutioni *Unigenitus* exhibebunt obedientiam, proculdubio eamdem sententiam nostram ad revocandos ab hæresi Novatores censendam esse percommodam; eosdem autem Novatores Ecclesia materno affectu plenisque ulnis excipiet, cuicunque Catholicorum Scholæ adhæresçant, modo proscriptos errores sincera fide detestentur: quod si persistant in hæresi, percipient se ab omni Orthodoxorum Schola refelli, ac primum a nostra, cujus præsidio immerito & perperam gloriantur. Ad *Corollarium* alterum repono, Jansenianos, si Patris Bellelli amplectantur doctrinam, hæresim suam damnaturos, ad quam ejurandam necessum non est accedere ad castra illorum Theologorum, qui solo *victricis delectationis* audito vocabulo Jansenismi notam adversariis inurunt; sed sufficit a constitutis ab Ecclesia terminis non deflectere, atque ita gratiam prævenientem adstruere, ut non tollatur libertas indifferentiæ, neque pravum aliquod dogma adoptetur. Ad *Corollarium* tertium hæc sit responsio. Autumant novi dogmatistæ Bajanismum & Jansenismum esse *phantasma*, asserentes omnia, quæ ipsi tradunt, communia esse dogmata omnium Augustinensium, multorumque ex Thomistis. Jam vero constat doctrinam Fulgentii Bellelli inter Augustinenses communem esse, pluribusque Thomistis probatam; id enim superior dissertatio evidentissime ostendit. Tunc ergo Jansenianis præberetur ansa rursus affirmandi hæresim suam esse quoddam *phantasma*, quando cum Operibus Fulgentii Bellelli damnaretur doctrina Catholica, atque inter Augustinianos communis; & contra evidens est hæresim Jansenianam non esse *phantasma* aliquod, sed perniciosissimum dogma, quod a Baji ætate ad hæc usque tempora Pastores Ecclesiæ studuerunt evertere; quum etiam Augustiniani, quorum nomine Jansenistæ temere gloriantur, hæresim illam existere, omni jure proscriptam, atque ab Augustino prædamnatam esse demonstrent. Ad *Corollarium* ultimum hoc habeto responsum. Quantumvis impenderit operis atque artificii Anonymus, ut Patris Bellelli scripta adduceret in Jansenismi suspicionem; teste ipso Anonymo istiusmodi suspicio non subiit animum *quamplurimorum Theologorum, etiam non inferioris notæ*, ita enim legitur initio Appendicis: non subiit animum alicujus nostrarum partium Theologi; non subiit animum doctissimorum virorum, qui has vindicias, antequam in lucem prodirent, accurate lustrarunt, inter quos & Itali & Galli, iique viri summi connumerantur: non subiit animum clarissimorum Antistitum, qui Fulgentium Bellelli, ejusque scripta summopere commendaverunt. Intentata est itaque suspicio illa, & falsis criminationibus injecta, sed expugnata quoque ac repressa. Quod si adhuc quorumdam, qui opinionum suarum præjudiciis abripiuntur, eadem suspicio adhæreat animo; facile illam excutient lectione hujus Apologetici, aut doctiorum consultatione. At sibimet persuadere debet Anonymus majorem de seipso, quam de nobis exortam esse suspicionem, si non de Jansenismo, de erroribus Juliani, mortem, concupiscentiam, & virtutes steriles, quæ Deo virtutum non serviunt, laudantis, viresque liberi arbitrii gratia Salvatoris destituti extollentis: quos tamen errores ei nos nequaquam objicimus, memores officii nostri, caritatis & communionis Christianæ. De Anonymi autem præcipiti judicio, ignorantia, loquacitate, & in Orthodoxos Scriptores stylo illiberali ac furioso, non suspicionem, aut conjecturam, sed firmissimam certissimamque persuasionem ingerit universa librorum ejus complexio. Itaque meliori nos ratione confidimus servaturos Ecclesiæ Præpositos monitum illud cap. *Error*, dist. 83. nec unquam passuros, dum nos errori resistimus, *opprimi veritatem*, haud ignorantes ea verba primum fuisse prolata adversus Galliarum nonnullos, qui Augustino obsequebantur, eique eadem omnino, quæ nobis opponit Anonymus, objiciebant. Prænotatum id est præmissa dissertatione IV. cap. 2. §. 10. Verum & nos Refutationi 1. *Appendicis* finem statuimus sententia ex decreto Gratiani deprompta, & a Doctore Angelico laudata; ac sit quæ habetur cap. *Si quem pœnituerit*, 11. q. 3. *Accusatorum temeritas tribus modis detegitur: aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur*.

S. Thom. 2. 2. q. 68. art. 3. tom. XI. p. 165.

CAPUT III.

Appendix altera Anonymi expenditur, atque discutitur.

SUbjicit Anonymus Appendicem alteram, in qua ad examen revocat, *An Jansenianum de duabus delectationibus principium tueri liceat illi, qui hæreticas ejus consecutiones, nempe quinque ab Innoc. X. damnatas propositiones se rejicere profitetur*. Arbitramur ipsum Anonymum certiorem factum adinveniri Theologos, *qui existiment defendi posse innoxie Jansenianum illud principium, donec de illo Sedes Apostolica suum protulerit judicium, modo consequentias, quæ ex eo eruuntur, non admittant;* quemadmodum Thomistæ propugnant physicam prædeterminationem, ex qua nonnulli alii Theologi putant interimi libertatem, quoniam Thomistæ consequentiam hanc aperte rejiciunt. Dixi de hac re Anonymum *certiorem factum*; nam priusquam Appendix ista prodiret, sapientissimi cujusdam Galliarum Antistitis epistolas legi, unde quidquid narramus evidenter eruitur: ipsaque Anonymi verba, quæ diverso characteris genere nuper exscripsi, eamdem opinionem meam confirmant. Ut ut sit; aliud est principium duarum delectationum, ut defenditur ab Augustinianis Theologis; aliud vero principium duarum delectationum, ut statuitur a Jansenistis.

ſtis. Principium duarum delectationum, ut a Janſeniatis conſtituitur, ita deſcribitur ab ipſo Anonymo n. 4. hujus Appendicis. *Illud principium in eo conſiſtit, quod contendat Janſenius voluntatem humanam ſemper determinari ad agendum delectatione quadam prævia & indeliberata, vel cæleſti, nempe gratia, vel terrena, quæ eſt cupiditas; itaut in conflictu duarum illarum delectationum voluntas ſemper obſequatur, immo non poſſit non obſequi, non poſſit diſſentire delectationi illi, quæ fortior eſt altera, ſeu quæ gradibus alteram ſuperet; ideoque illud a Theologis dici conſuevit principium duarum delectationum indeliberatarum, & pro graduum ſuperioritate invincibilium.*

II. Ex principio duarum delectationum ad hunc modum conſtituto probat Anonymus conſequi damnatas propoſitiones illatione quadam legitima ac neceſſaria, præmiſſis quibuſdam præceptionibus nulli tyronum ignotis circa concluſiones, quæ ex præmiſſis inconcuſſis, certis ac definitis deducuntur, ac deinde demonſtrans quinque propoſitionum cum eodem principio arctiſſimam connexionem. Hæc autem omnia jure prætermittam. Nam quantum ad regulas, ſeu propoſitiones ab Anonymo præmiſſas attinet, eis lubenter ſubſcribo; ſunt enim eædem, ac traditæ in veſtibulo Theologiæ, & in Prolegomenis quoque noſtris capite quinto. Do etiam, ex eo Janſeniano principio, quinque proſcriptas theſes manare; & ne contentioſus videar, apologiam illam ſecundam, & illatam inde Thomiſtarum, ac Janſeniſtarum diſcrepantiam probo maxime. Immo ulterius pronuntio, Janſenianum duarum delectationum principium ut ſupra explicatum, non conſecutione tantum, ſed expreſſe in damnatis propoſitionibus contineri, atque Eccleſiam una cum eiſdem propoſitionibus illud damnaſſe, adverſario, ubi ab æquitate non diſcedat, plus, quam contendit, libentiſſime conceſſurus. Et quidem, ut ajebat Romanus Cenſor clariſſimus *, inveriſimile eſt Romanam Eccleſiam damnando hæreſim Janſenianam, hujus radicem non præciſam evulſamque, ſed affixam adhuc, & ad eadem germina emittenda idoneam reliquiſſe. Quid vero aliud eſt ſub vividiori delectatione voluntatem neceſſario agere, ſub infirmiori neceſſario ſuccumbere, quam ſub inferiori gradu negare poteſtatem agendi, ſub gradu autem ſuperiori poteſtatem indifferentiæ? Sive ergo dixeris: *Abſque victrici delectatione nequit voluntas obtemperare mandatis; delectationi, qua obtemperare poteſt, numquam reſiſtit, ſub illa delectatione ſpontanee quidem & lubenter, ſed neceſſario, & abſque poteſtate ad oppoſitum agit*: ſive dixerit, *Præcepta etiam juſtis ſunt aliquando impoſſibilia; Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur; non datur in hoc ſtatu libertas indifferentiæ, neque neceſſaria eſt ad merendum;* idem profecto affirmabis, variata licet paullulumque immutata complexione verborum. In propoſitionibus ergo Janſenianis principium duarum delectationum, ut ſtatuitur in Janſenio, cum libertatis interitu, ſeu cum neceſſitate *phyſica & antecedente*, perſpicue, & expreſſe damnatum eſt: Eccleſia radicitus dogma Janſenianum evulſit atque extirpavit; ac neſcimus plane, quinam ſint illi Theologi, quos initio Appendicis cenſor commemorat, aſſerentes *Summum Pontificem non damnaſſe Janſenianum de duabus delectationibus principium, & etiamnum illud poſſe innoxie defendi*. Damnatum eſt, & abſque piaculo defendi nequit.

Vide diſſert. 4. cap. 2. §. 6. n. 2.

III. At principium *duarum delectationum*, prout in Schola noſtra defenditur, in hoc ſitum eſt, quod amor ac delectatio eſt pondus animi, quo fertur, ſive proſequendo bonum, ſive fugiendo malum, quod ipſi bono adverſatur, adeo ut ſemper voluntas bono aliquo ſibi propoſito alliciatur, præcedatque actionem liberam inſpiratio quædam delectationis, aut carnalis dum peccat, aut cæleſtis dum recte agit, aut naturalis dum officia exercet humana; ſed hac inſpiratione præmiſſa operetur libera delectatione, ac poteſtate ad utrumlibet indifferente: quoniam etſi amplectitur quod magis delectat, fugitque malum quod bono delectanti adverſatur, dummodo tamen bonum iſtud non ſit ſummum, incommutabile, & propoſitum abſque indifferentia judicii, utitur eligendo jure liberrimæ poteſtatis; neque ſuccumbit neceſſitate ſub majori delectatione, nec indita poteſtate privatur ſub delectatione minori. Hoc autem ſyſtema duarum delectationum eſt illud, quod innoxie defendi poteſt, & quod Anonymus, ut nobis Janſeniſmum imputaret, cum Janſeniano ubique confudit. Hujuſmodi enim ſyſtema cum damnatis propoſitionibus nulla ratione connectitur, ſed undique Orthodoxum eſt, & quoad omnes partes a Theologis quamplurimis propugnatum, prout antecedens diſſertatio luculentiſſime evincit.

Vide diſſert. 4. cap. 1. §. 3.

IV. Qua vero ratione illud cum ſententia Thomiſtarum conveniat, ſatis ſuperque in præcedentibus declaravimus, demonſtrantes *victricem delectationem* idem præſtare, quod præſtat *phyſica prædeterminatio*, applicare ſcilicet *ad actum ſecundum* liberi arbitrii facultatem, ſalva *in actu primo* poteſtate ad oppoſitum; docentes pendere a Dei beneplacito, ſi unus tantum, alter non tantum moveatur, atque ſi huic detur gratia victrix, quæ a nullo duro corde reſpuitur, alteri inſpiretur parva voluntas, nondum ſuperans carnis concupiſcentiam. Quare hoc pacto ſyſtema noſtrum defendimus comparatione Thomiſtici: Si adverſus Thomiſtas objiciat aliquis, *Calviniani ſtatuunt decreta abſoluta, prædeterminationem cauſarum ſecundarum, & gratiæ auxilium ſuapte natura efficax, atque hinc infetunt periiſſe libertatem humanam, & Deum eſſe cauſſam effectricem peccati; igitur Thomiſtæ ea decreta, illam prædeterminationem, eamdemque efficacem gratiam propugnantes aſſentiuntur iiſdem conſecutionibus*: ridebunt quidem doctiſſimi Thomiſtæ objectionem hanc inſulſiſſimam, ac reponent decreta divina, prædeterminationem, & gratiam victricem requiri duntaxat ut libera poteſtas prodeat in actum, & perficere, non evertere libertatem, contra ac faciat prædeterminatio Calviniſtarum afficiens actum primum, atque inducens antecedentem & phyſicam neceſſitatem. Atque ita adverſus nos objicienti, *Janſeniſtæ propugnant principium duarum delectationum, atque hinc manant famoſæ quinque propoſitiones; igitur Auguſtinenſes amplectendo duarum delectationum principium, ſubſcribunt damnatis propoſitionibus*, reſpondemus quinque propoſitiones oriri ex principio delectationum, quæ in ſenſu Janſenii libertatem interimunt; non vero ex principio delectationum, quibus voluntas trahatur abſque neceſſitate; ac proinde objectionem illam inſulſam eſſe, atque riſu explodendam. Quapropter principium duarum delectationum rejiciendum eſt in ſenſu Janſenii, non in ſenſu Theologorum Auguſtinenſium; quemadmodum prædeterminatio phyſica rejicienda eſt in ſenſu Calvini, non in ſenſu Thomiſtarum. At vide diſſertationem præcedentem cap. 2. §. 6. n. 2.

Eodem cap. 1. §. 5. & cap. 9. §. 7. 8. & 9.

V. Hæc cum ita ſint, ut Anonymus Fulgentium Bellelli, aut Auguſtinianum alium quempiam Janſeniani erroris innovatorem eſſe convinceret, demonſtrare debebat damnatas propoſitiones fluere ex principio duplicis delectationis, ut in Schola noſtra defenditur, nullam neceſſitatem inferente; non autem in illud incumbere, ut evinceret eaſdem propoſitiones conſequi ex principio duarum delectationum pro graduum ſuperioritate *invincibilium*, quod a Fulgentio Bellelli, & a nobis refelli evidens eſt ex priori §. ſecundi, ac tertii capitis quartæ diſſertationis. Dedit itaque operam adverſarius in ſuo *Janſeniſmo* reviviſcente, ut in ſcriptis noſtris principium illud damnatum & Janſenianum latere imperitis hominibus ſuaderet: ſed præterquam quod oſtendimus quam decipiatur, & quantis viris Orthodoxis inferat injuriam, ad omnem ipſius calumniam explodendam, & contundendam hoc unum ſufficit, a nobis defendi libertatem indifferentiæ ſub quacunque vel terrena vel cæleſti delectatione, quod plane Janſenianum principium ſubvertit. Quod ſi adhuc ei videatur libertatem illam obſcure, non librato exactoque criterio a nobis explicari, patiatur ingenioli noſtri imbecillitatem, non culpet fidem, non inſectetur Scholam, non arroget ſibi auctoritatem temere calumniandi ſententiam, quam propugnarunt viri inconcuſſæ fidei, quam non ſemel Cenſores ſumma æquitate & doctrina præditi tutam atque indemnem eſſe pronuntiarunt, quam etiam ad concilianda diſſidia, & Refractarios ad Eccleſiæ gremium revocandos commodiorem atque utiliorem Auctores quidam doctiſſimi exiſtimant.

Rolland. tom. 1. pag. 135. & tom. 2. pag. 596.

VI. Itaque hæc ſunt, quæ in defenſionem doctrinæ noſtræ duximus exaranda, ad illam pro modulo ingeniolo noſtro propugnanda parati, ſi eam rurſus impetendi libido adverſarium exſtimulet, atque ſi id faciat veritatem amando, loca integra producendo, perlectis Theologorum, quos citavimus, lucubrationibus, habita Scholæ noſtræ ratione, objectis non ſubrancidis, ſed novis, & nondum a noſtratium aliquo ſolutis difficultatibus, & quod caput eſt, caritate Chriſtiana non læſa. Nam ſi veteres tantum nugas, infectationes, convicia, & procaci impudentique ſtilo repetitas criminationes objecerit; non faciam reſpondendo jacturam temporis: ac ſilentium meum, non mihi utiliora ſtudia & animi tranquillitatem amanti, ſed calumniatori operam ludenti, & rixarum amantiſſimo erit ſolummodo tribuendum. Immo ſi alia ad umbilicum ductis vindiciis ſuperadderem; jure pertimeſcerem, ne litterarii hujus certaminis ſpectatores comparent illud pugnæ nimis acri duorum gallorum: in quibus, ut lib. 1. *de Ordine* cap. 8. n. 25. narrat ſapientiſſimus Auguſtinus, videmus *intenta projectius capita, inflatas comas, vehementes ictus*; nec illam in victore intuemur legem, quam *ſuperbum cantum, & membra in unum quaſi orbem collecta, velut in faſtum dominationis: ſignum autem victi elatas a cervice pennulas, & in voce atque motu deforme totum*. Sileat interim lacertoſus Anonymus, nec leviori plumula nobis evulſa.

Auguſt. tom. 1. pag. 325.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

QUÆ

DAMNATARUM PROPOSITIONUM,

Et Auguſtinianæ doctrinæ illis oppoſitæ proſpectum exhibet, ac eſt quædam præcedentium Velitationum epitome.

Sciendum, quod pleraque capitula ex cauſa, ex perſona, ex loco, ex tempore conſideranda ſunt: quorum modi quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur; cum ante judicant, quam intelligant; ante inculpant, quam iterando lecta perquirant.

Diſt. 29. cap. 1.

PRÆFATIO.

QUam *Refutationi* Librorum, qui *Bajaniſmus* & *Janſeniſmus Redivivi* inſcripti ſunt, poſtremam addo diſſertationem, ſpero honeſtis probiſque Lectoribus nec injucundam, nec prorſus inutilem futuram fore. Primum enim expers eſt contentionis & jurgii, frænoſque habet ſuos, quibus revocatur ad æquitatis menſuram: quod ſi ubique ſervatum non eſt, & qui nos gladio petiit, repulſus eſt ſtilo, ſinat me repetere cum Hieronymo, epiſtola inter Auguſtinianas lxxxi. *Si culpa eſt reſpondiſſe, quæſo ut patienter audias, multo major eſt provocaſſe: ſed faceſſant iſtiuſmodi querimoniæ; ſit inter nos pura germanitas, & deinceps non quæſtionum, ſed caritatis inter nos ſcripta mittamus.* Caret deinde hæc diſſertatio acrimonia illa, atque inurbanitate, quam in ſuperioribus aliquando adhibere coacti fuimus, propterea quod non tantum noſtra, quam communis cauſa ageretur, atque id, quod noſtra toleraret humilitas, pati nequaquam deberet inſtituti dignitas atque amplitudo; ac præterea repellentibus nobis veterrimas, inſulſiſſimaſque criminationes, nil novi præter mendacia ac dicteria præſeferentes, occurrerit præceptio illa Tertulliani adverſus Valentinum: *Materiis ipſis ſatisfiat; multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur.* Non unum inſuper hæc lucubratiuncula, ſed multiplex refert commodum; nam comprehendit ſingulas Baji, Janſenii, & Queſnelli propoſitiones, non illas tantummodo, de quibus pugnavimus cum adverſario. Tum eas revocat ad certa doctrinæ capita, unde facilius percipitur Novatorum ſyſtema, hujuſque pravitas. Laudat ulterius præſtantiſſimos clariſſimoſque viros, qui de iiſdem propoſitionibus pertractarunt, commonſtratis non abſque libramento & delectu locis plurimis, in quibus validiſſime refelluntur; ac deinde demonſtrat quomodo in noſtro *Theologicarum Diſciplinarum* Opere contineantur argumenta permulta, quibus Novaturientium aſſerta oppugnantur, & dogmata ipſis oppoſita fulciuntur. Habet ergo u-

nuſquiſque in hoc breviſſimo Opuſculo quidquid tres illi dogmatiſtæ in damnatis articulis enuntiarunt, horum ſenſus a Catholicis omnibus reprobandos, celebriores cenſuras, exquiſitaſque refutationes, atque Auguſtiniani ſyſtematis Orthodoxiam, ita, ut neſciam quid brevius, quid utilius, quid expreſſius in veritatis præſidium, in confutationem erroris, atque in fidei noſtræ argumentum proferri poſſit.

CAPUT

CAPUT PRIMUM,

In quo recenſentur Bajani errores, atque ex principiis Auguſtinianæ Theologiæ refutantur.

BAjanos errores ad certa quædam capita revocari affirmant, qui de illis data opera pertractarunt. Quænam ea capita ſint, dignoſci poteſt ex Ripalda, Suareſio, Turriano, atque ex ipſa *Explicatione* Joannis Lenſæi Operibus Baji inſerta: ipſe Anonymus partitionem quamdam, ac diſtributionem præmittit. Sequimur tamen ordinem ceterorum, qui agunt priori loco de propoſitionibus pertinentibus ad primam rationalis creaturæ conditionem; congruum eſt enim, ut primo de natura integra, quam Bajus nimium extulit, ac deinde de natura lapſa, quam nimium depreſſit, dicere inſtituamus.

Ripalda tom. 5. pag. 30. Suarez. Proleg. 6. pag. 178. Turrianus pag. 612. Lenſæus pag. 162. Anonym. pag. 22.

§. I.

Errores Baji circa gratiam Angelorum, ac primi hominis.

I. TAque circa primi hominis, atque Angelorum gratiam Bajus undecim propoſitiones enuntiavit. Sunt autem. I. in qua negant Angeli ac primi hominis adhuc integri *merita* recte vocari *gratiam*. III. qua aſſerit felicitatem, quam boni Angeli conſecuti ſunt, *mercedem*, non *gratiam* fuiſſe, ac mercedem pariter futuram fuiſſe in Adam, ſi in accepta juſtitia perſeveraſſet. VII. in qua repetit errorem enuntiatum in prima, ſcilicet *merita* primi hominis fuiſſe *munera creationis*, nec recte vocari *gratiam*. IX. in qua fatetur eadem creationis *munera* poſſe dici *gratiam* ampliori ſenſu, & *non improbanda ratione*: quamvis revera *gratia* non ſint, quoniam in ſacris libris ea tantum munera *gratia* dicuntur, quæ conferuntur per Chriſtum *male merentibus & indignis*. XXI. in qua dogmatizat *exaltationem* humanæ naturæ in conſortium divinæ, id eſt, juſtitiam & ſanctificationem, ſive adoptionem Dei, *naturalem* dicendam eſſe, non autem ſupra naturæ ordinem, cum debita fuerit primæ conditionis integritati. XXIII. quæ præcedentem errorem confirmat, & manifeſtius promit, aſſerendo in homine primo non fuiſſe donum aliquod *ſupernaturale* & gratuitum, quod excederet conditionem naturæ; neque hominem integrum donis naturalibus conditionem ſuam excedentibus indiguiſſe, ut fide, ſpe, & caritate *ſupernaturaliter* Deum coleret. XXIV. in qua non tantum repetit errorem præcedentis articuli, verum etiam traducit tanquam vanam, abſurdam, & Pelagiano errore ſcatentem ſententiam Catholicorum, qui in primo homine admittunt *dona ſupernaturalia*, veram gratiam, atque exaltationem ſupra conditionem naturæ ſuæ; eamdem ſententiam idcirco damnat Pelagianiſmi, quoniam Pelagiana hæreſis eſt, muneribus creationis tribuere veræ gratiæ proprietatem. XXVII. in qua Bajus hærens eodem in luto appellat integritatem primæ creationis *naturalem hominis conditionem*, & rurſus negat fuiſſe *exaltationem* quamdam indebitam, atque excedentem naturæ fines. LXXV. in qua idem de immortalitate, quod de integritate, enuntiatur, nimirum ipſam immortalitatem fuiſſe *conditionem* ac proprietatem naturæ, non autem *beneficium* gratiæ, ac donum excedens naturalem ordinem. LIII. quæ enuntiat Deum non potuiſſe ab initio creare hominem, *qualis nunc naſcitur*, nempe abſque integritate, aliiſque primæ conditionis muneribus, quibus in ſenſu Baji homo exſpoliari ab initio non poterat, quia non erant juxta Bajum beneficia gratiæ, ſed ipſa conditio, ac naturalis perfectio a natura integra inſeparabilis. LXVI. quæ ob eamdem rationem, & parvæ doctrinæ cohærentiam rejicit tamquam falſam ſententiam illorum Theologorum, qui docent juſtitiam, & integritatem primi hominis non fuiſſe *conditionem naturæ*, ideoque nec talem, ſine qua primus homo a Deo creari non potuiſſet.

Propoſitiones Baji, quæ exſtant in fine hujus diſſert. 1. 3. 7. 9. 21. 23. 24. 27. 53. 75. 76.

II. Ex earum propoſitionum complexu conſtat earumdem ſenſum eſſe illum, quem viri doctiſſimi prænotarunt. I. Bajus negavit integritatem, juſtitiam, immortalitatem, & cetera dona Angelis, & primo homini ab initio collata, fuiſſe *beneficia gratiæ*, & *dona naturæ ſuperaddita*, ut obſervarunt in ſuis cenſuris Theologicæ Facultates Salmanticenſis, & Complutenſis. II. Aſſeritur integritatem illam, juſtitiam, immortalitatem, aliaque primæ conditionis munera fuiſſe *proprietates naturæ integræ*, atque ex hujus principiis, non ex gratia Creatoris derivaſſe, ut recte ſcripſerunt Bellarminus de Grat. primi hominis, & Jacobus Fontana in prop. 35. Queſnelli. III. Propter eamdem rationem Bajus affirmavit primum hominem non fuiſſe exornatum *gratia aliqua ſupernaturali*, idem de natura integra dogmatizans, quod effutiunt de natura lapſa hæretici Pelagiani: prout obſervarunt Bail de Benef. Crucis, Suarez Prolegom. 6. de Grat., Ripalda diſput. 3. ſect. 1. Vaſquez 1. 2. diſput. 195. Turrianus de erroribus Baji cap. 1. aliique permulti. IV. Ex quo Bajus exiſtimaret creaturam rationalem adhuc integram potuiſſe *naturæ viribus* promereri vitam æternam, & originalem juſtitiam fuiſſe *conditionem naturæ* bene inſtitutæ, non vero hujus *exaltationem* in conſortium naturæ divinæ per dona gratiarum naturali conditioni ſuperaddita; progreſſus eſt ad aſſerendum non potuiſſe hominem condi abſque integritate & juſtitia, cum hæc integritas & juſtitia *ſit ipſa conditio*, ac proprietas naturæ integræ, ideoque hominem in ſenſu Baji non potuiſſe a Deo creari abſque gratia, & ſanctitate, quoniam creati non potuit ſine iis, quæ ad ipſam naturæ conditionem ſpectant, modo creandus eſſet hujus conditionis, hujuſque naturæ: atque id etiam obſervarunt Eſtius 2. ſent. diſt. 25. Gonet de ſtatu puræ naturæ art. 1. Macedus Collat. in 2. ſent. collat. 8. Noris cap. 3. Vindiciar. §. 2. aliique præſantiſſimi viri, quorum teſtimonia producta fuerunt cap. 1. ſecundæ diſſertationis.

Senſus earumdem propoſitionum. Theologorum, qui laudantur, teſtimonia occurrunt præcedenti volumine pag. 166. & ſequentibus.

III. Prænuntiatos errores nos, & qui nobiſcum propugnant Auguſtinianam doctrinam, aperte rejicimus. I. Principio enim, etſi inter gratiam neceſſariam Angelis, & primo homini ad perſeverandum, & gratiam, quam implorant in hoc agone certantes, arbitramur magnum intereſſe diſcrimen; negamus tamen integritatem *primæ conditionis*, juſtitiam, immortalitatem, aliaque dona ſupernaturalia fuiſſe *creationis munera*, nec fuiſſe beneficia gratiarum naturalem ordinem excedentia, edocti ab Auguſtino lib. XII. de Civit. Dei cap. 9. Deum creaſſe Angelos *cum bona voluntate, & amore caſto*, quo illi adhærerent, & condendo *naturam* ſimul largitum fuiſſe *gratiam*; atque de Corrept. & Grat. cap. XI. homini pariter dediſſe *bonam voluntatem*, eumque feciſſe *rectum*, ac præterea ei dediſſe *adjutorium, ſine quo non poſſet permanere ſi vellet*. Fatemur itaque in prima conditione gratiam, tam *habitualem*, quam actualem, & negamus utramque gratiam, una cum originali juſtitia, atque immortalitate, non fuiſſe dona ſuperaddita naturæ. II. Hanc gratiam, atque hæc dona ſuperaddita, *non improbanda* tan-

Quomodo præcitatæ propoſitiones doctrina Auguſtinenſium refutentur.

tantum *ratione*, ſecundum quam appellantur *gratia* natura quoque rationalis hujuſque proprietates, ſed recte, ac proprie *gratiam* fuiſſe defendimus, aſſerentes Angelos, ac primum hominem per ſolas liberi arbitrii vires non potuiſſe perſeverare, ſive, ut inquit S. Pater cap. 106. Enchiridii, *Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium*; & ulterius affirmantes cum eodem S. Patre de Corrept. & Grat. cap. 11. quod ſi angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet ſupernaturalis gratiæ adjutorium, *non utique ſua culpa cecidiſſent*. III. Admittentes propterea in prima conditione *gratiam* proprie dictam, prout diſtinguitur a muneribus, quæ naturaliter conſequuntur naturam & *creationem*, non agnoſcimus in ſtatu primæ integritatis gratiam tantummodo Pelagianam, ſed veram gratiam ſupernaturalem, exaltationem indebitam, atque immortalitatem, quæ erant beneficia Conditoris, non autem *conditio corporis animalis*; quemadmodum lib. 6. de Geneſi ad lit. cap. 20. lib. 13. de Civit. Dei cap. item 20. & lib. 4. contra Julianum cap. 14. docuit ſapientiſſimus Auguſtinus. IV. Sententia utique noſtra fertur creatura rationalis naturali inſtinctu in Deum, & donec in illo requieſcat, *inquietum eſt cor noſtrum*, ut Auguſtinus ait 1. Conf. cap. 7. tenemur etiam in quolibet ſtatu Deum ſuper omnia diligere, *quod prorſus donum Dei eſt*, neque ſine gratia poteſt adimpleri: ideoque innocens imago Dei, ne abſque culpa a fine, in quem naturaliter tendit, & quem ob hujus præſtantiam non poteſt naturaliter aſſequi, divelleretur, ac poſſet implere præceptum dilectionis, cui repromiſſa eſt ejuſdem finis poſſeſſio, exornanda erat ſupernaturalis gratiæ adjutorio. Poterat tamen condi abſque originali integritate, gratiam quoque habitualem, pluraque alia ſupernaturalia dona complectente; quæ dona nec erant conditio naturæ, neque naturæ proprietas, ſed erant beneficia indebita, ac totius naturalis conſtitutionis ordinem excedebant. Hæc autem omnia directe contraria præmiſſis Baji propoſitionibus traduntur a nobis lib. x. & xii. Theologicarum Diſciplinarum, ſive tom. 2. pag. 277. 484. 491. 556. &c.

§. II.

Baji errores, qui comprehenduntur in propoſitionibus de libero arbitrio lapſorum hominum enuntiatis.

Vide propoſitiones in fine 28. 29. 30. 34. 37. 36. 22. 62. 38. 25. 26. 35. 50.

I. UT Bajus naturam *integram* nimis extulit, ita nimis depreſſit naturam *lapſam*, a cujus libero arbitrio omnia prorſus boni principia evulſa eſſe autumavit, tredecim propoſitionibus ab Apoſtolica Sede proſcriptis inſerens pravam, erroneamque doctrinam. Propoſitiones autem illæ ſunt, quæ ſequuntur. XXVIII. in qua ait liberum arbitrium *abſque gratia* Reparatoris, ſuiſque viribus relictum nihil poſſe agere, quod non ſit peccato inquinatum, & noxium. XXXIX. XXXVIII. quibus audet Pelagianam hæreſim illis adſcribere, qui agnoſcunt *bonum aliquod naturale*, quod peccatum non ſit, & cupiditatis labe corruptum ſi a ſolis *naturæ viribus* oriatur. LXXII. hæreſim itidem Pelagianam attribuens Theologis admittentibus abſque gratia Chriſti *uſum aliquem bonum liberi arbitrii*. XXII. quæ inter Pelagianos rurſus detrudit Orthodoxos Scriptores, qui docent abſque gratia fidei Gentes *naturalem legem* ſervare, & qui de Gentibus a fide alienis verba Apoſtoli ad Rom. 2. 14. interpretantur. XXX. XXXIV. & XXXVI. quibus Bajus pariter damnat, tribuitque inani philoſophiæ, innixæ hominum præſumptioni, & afficienti injuria paſſionem Chriſti, *amorem naturalem* immunem a culpa, atque *ex viribus naturæ* exortum; appellatque fures, latrones, & Chriſti inimicos, quicunque putant ſine gratiæ ipſius adjutorio poſſe agi aliquid boni, aut tentationem aliquam ſuperari. XXXVIII. quæ dividit omnem amorem creaturæ rationalis *in vitioſam cupiditatem, & in caritatem laudabilem* a Spiritu Sancto diffuſam, adeo, ut amor, qui non ſit laudabilis illa caritas, cenſeri debeat cupiditas vitioſa, ac prohibita, ſcilicet amor peccato obnoxius, & in ſe malus. XXV. & XXVI. propoſitiones, quæ a pleriſque ſolent in unam conjungi, inter peccata, & vitioſæ cupiditatis effectus connumerant quælibet *infidelium opera*, necnon *virtutes Gentilium* philoſophorum, fide, & caritate per Spiritum Sanctum diffuſa carentium. XXXV. inter peccata recenſet *quidquid agit peccator* deſtitutus caritate illa, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur, & quidquid agit *ſervus peccati*, is nempe, in quo vitioſa cupiditas dominatur, & regnat. XL. propoſitio enuntiat peccatorem ſervire *dominanti cupiditati* in omnibus ſuis actibus, ideoque in ſingulis peccare, antequam per caritatem a Spiritu Sancto diffuſam juſtificetur, & a regno cupiditatis ad regnum dominantis caritatis pertranſeat.

Senſus earumdem propoſitionum. Vide Theologorum teſtimonia diſſ. 3. ſive tom. 1. pag. 310. & ſeq.

II. Præmiſſis enuntiationibus Bajus enormiter a veritate, a fide, atque a debita erga Catholicorum ſententias moderatione exorbitavit. I. Affirmavit liberum lapſorum hominum arbitrium non extenuatum & inclinatum duntaxat, ſed etiam adeo oppreſſum, & a cupiditate gravatum eſſe, ut niſi gratia Salvatoris liberetur a vitioſa cupiditate, quod fit per caritatem prædominantem, in peccatum neceſſitate trahatur, atque nonniſi ad peccandum valeat; quoadusque careat ſuperno lumine fidei, & nondum gratia per Chriſtum, & Spiritus Sancti munere juſtificetur. Ita de erroribus Baji pronuntiarunt præſtantiſſimi Theologorum, Vaſqueſius, Turrianus, Suarez, Eſtius, Macedus, Noriſius, centum Galliarum Epiſcopi, aliique præcitati initio primæ ac tertiæ Vindiciarum iſtarum diſſertationis. II. Quoniam infidelibus, & peccatoribus, in quibus juxta Bajanum ſyſtema nondum laudabilis caritas exerceat imperium, exiſtimavit Novator nullum prorſus adinveniri opus, quod ex venefico vitioſæ cupiditatis fonte non oriatur; idcirco aſſeruit quidquid infideles, aut impii operantur, intrinſecus inquinari a noxia cupiditate: atque id non tantum laudati Theologi prænotarunt, ſed etiam cenſor noſter Anonymus pag. 37. *Bajaniſmi Rediv.* affirmans in ſenſu Baji omnia, quæ ex caritate non fiunt, oriri ex cupiditate vitioſa, eaque labefieri & corrumpi. III. Omnia proinde, quæ ex caritate non fiunt, ex noxio, cunctaque inficiente principio Bajus derivans, nil in ſua productione bonum agnovit ex ſolius naturæ facultate proveniens, amorem quoque naturalem, quo parentes, neceſſarios, & amicos diligimus, omniaque vitæ humanas officia inter damnabiles turpeſque cupiditatis fœtus detrudens; quod præcedentium errorum, ut obſervarunt prælaudati Theologi, apertum eſt conſectarium. IV. Severo quoque judicio, impudentique cenſura, auctoribus naturalem amorem, atque opera plura peracta abſque gratiæ adjutorio probantibus in ſuo genere, & a peccati labe, atque a vitio cupiditatis omnino ſecernentibus, ſtudium in philoſophiam Chriſtianæ humilitati adverſantem, & Pelagianæ hæreſeos tumorem objecit inique, temere & audacter, Vaſquio, Macedo, Noriſio id aſſerentibus; quod etiam ex 22. 29. 30. 37. & 62. enuntiationibus Bajanis compertum ſatis eſt, ac perſpicuum.

Quomodo Auguſtiniani errores iſtos declinent.

III. Nos vero negamus liberum arbitrium, etſi careat prævenientis gratiæ adjutorio, in omnibus actibus ſuis inquinari; ac inter bona naturæ connumeramus, præter indeliberatum beatitudinis amorem, quem rationalis creatura in tot tantiſque miſeriis nunquam potuit amittere, deliberatos quoque actus, *quos ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito rectèque laudamus*, ut lib. de Spiritu & lit. cap. 27. docet Auguſtinus: quamquam impiorum, & infidelium opera vix laudem promereantur, ſi diſcutiatur quo fine fiant; ac ſententia quidem noſtra, niſi fiant propter Deum, atque in hunc dirigantur auxiliante gratia, ſine qua nemo bene utitur creaturis, ſint quidem bona ſecundum ſubſtantiam, officiumque, neque erumpant a cupiditate, qua labefiant: at non ſint bona ſpectatis omnibus circumſtantiis, & ratione ultimi finis. II. Abſque caritate autem prædominante, & abſque gratia, qua impius juſtificatur, plura bona opera, etiam ad juſtificationem diſponentia, fieri a libero arbitrio profitemur cum Auguſtino, qui de Prædeſt. SS. cap. 7. commendat eleemoſynas Centurionis, *antequam in Chriſtum crederet*, de Sp. & lit. cap. 28. aſſerit ſine aliquibus operibus bonis difficillime vitam cujuslibet *peſſimi hominis inveniri*; ac ſæpenumero laudat fidem, timorem, ſpem, alioſque actus, quibus ad juſtificationem adulti diſponuntur: ideoque execramur, tanquam perniciosiſſimam hæreſim, opinionem Bajaniſtarum, eique affinem Lutheranorum, dogmatizantium ante fidem dominantem, oriri actiones omnes a noxia cupiditate, ac inter ſordes & iniquinamenta eſſe rejiciendas. III. Sunt utique juxta Auguſtinum contra Pelagianos diſputantem virtutes a vitiis *non officiis*, *ſed finibus* diſcernendæ, & quidquid non fit propter Deum, cui veræ virtutes deſerviunt, caret rectitudine finis; ac proinde negamus eſſe *veras virtutes*, quæ ſerviunt aut carnalibus delectationibus, aut quibuſdam commodis & emolumentis temporalibus: ulterius probare non poſſumus virtutes illas ſteriles, quæ nulli deſerviunt, arbitrantes jocari, vel delirare qui *ſterilium fructus arborum laudant*, ut adverſus Julianum ſcribit lib. iv. cap. 3. ſanctiſſimus ac ſapientiſſimus Inſtitutor. Verum non adeo decipimur, ut quæ ex naturali principio, & humanæ conſuetudinis, honeſtatiſque præceptionibus oriuntur, atque in ſui productione innoxia ſunt, producta ex vitioſa cupiditate, ac intrin-

trinsecus corrupta esse dicamus. IV. Opiniones autem Scholarum, quamquam imperiti quidam nos conviciis proscindant, in sua probabilitate relinquimus, & juxta Apostoli monitum sinimus unumquemque *in suo sensu abundare*, scripta nostra subjicientes judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, hujus Constitutionibus obtemperantes, & magnopere execrantes temeritatem Baji, aliorumque Novantium. Hanc esse veram, sibique constantem nostram, omniumque Augustinensium sententiam demonstrant prima ac tertia hujus Apologetici dissertatio; & quidquid modo innuimus, extremisque labiis attingimus, prolixius, & accuratius explicavimus lib. 18. & 23. de Theolog. Discip. ideſt tom. 3. pag. 354. 382. 398. 421. tom. 4. pag. 489. &c.

§. III.

Propositiones Bajanæ pertinentes ad libertatem, legisque transgressionem.

Prop. 39. 41. 52. 63. 64. 65. 48. 49. 71. 72.

I. NEque in extenuandis tantum liberi arbitrii viribus Bajus procul recessit a veritate, sed in percipienda quoque ac delineanda libertatis essentia turpiter lapsus est, hæresim, quæ postea Jansseniana dicta est, præformans, ut constat ex subjectis decem articulis. XXXIX. expresse libertatem indifferentiæ subvertens ait libere fieri *quidquid fit voluntarie*, ideſt, sponte, lubentique animo, non autem invito, contranitenti, & coacto; tametsi fiat antecedenti necessitate, & sine potestate ad oppositum. XLI. statuit hac duntaxat ratione *libertatis naturam* esse explicandam; eos autem, qui exigunt ad veram propriamque libertatem, ut *a necessitate* immunis sit, asserere libertatis modum, qui non reperitur in Scripturis, in quibus tantummodo occurrit nomen libertatis a peccato. LII. affirmat peccari in iis, quæ vitari non possunt, ac proinde Deum præcipere homini aliquid impossibile, assertumque illud, *Deus impossibilia non jubet*, esse definitivam sententiam Pelagii. LXIII. LXIV. & LXV. repetit prænuntiatos errores, solam scilicet violentiam & coactionem adversari naturæ libertatis humanæ, & hominem peccare, *etiam damnabiliter*, in iis, quæ facit adactus necessitate, & evitare non potest; unde peccatis adnumerat *infidelitatem negativam*, ideſt eorum, quibus prædicatum non est evangelium, & nondum possunt excutere errorem, ac fidem, quam prorsus ignorant, amplecti. XLVIII. XLIX. LXXI. & LXXII. appellat *peccatum*, *transgressionem* atque *inobedientiam legis*, & noxium opus prohibitum præcepto, *Non concupisces*, motum quemlibet indeliberatum concupiscentiæ, quamvis illi homo non assentiatur, immo & illum patiatur invitus; etsi dicat hanc transgressionem præcepti sitam in pravis concupiscentiæ motibus homine invito exsurgentibus in peccatum non deputari: immo ipsam concupiscentiam permanentem in renatis, qui in peccatum mortale labuntur, censet esse verum peccatum, ejusdemque generis esse pravos illos habitus, qui repetitis ac voluntariis transgressionibus contrahuntur.

Sensus in his propositionibus damnatus.

II. Arbitror satis apertum esse, quid Bajus absurdis hisce assertionibus significaverit. I. Evidentissime, & absque ulla verborum ambiguitate docuit liberum hominis lapsi arbitrium consistere cum necessitate operandi, atque ad merendum, & ad libere transgrediendum quodcunque præceptum sufficere si homo velit, agatque lubenter ac sponte, nec patiatur violentiam & coactionem, ut advertit pagina 39. *auctor Bajanismi Redivivi*, atque longe antea Ripalda disput. 2. num. 13. Bail, ac Turrianus in 39. articulum, aliique omnes, sive de Baji, sive de Jansenii erroribus pertractantes. II. Quod hæretici hujus asserti consectarium est, affirmavit Bajus peccare hominem lapsum, tametsi non possit a peccato abstinere, ideoque inevitabili necessitate reprobos trahi ad interitum ac perditionem, a Manichæis, Prædestinatianis, ceterisque libertatis everſoribus parum, aut nihil distans. III. Prava quælibet desideria, & inseminatæ concupiscentiæ motus, in quibus velle quoddam adinvenitur, licet deliberationem optionemque præveniens, accensuit iis peccatorum generibus, quibus impii evadunt iniquiores, atque divina præcepta transgrediuntur, prout observarunt Suaresius, Lensæus, Macedus, Norisius, aliique dissertatione 1. cap. 1. §. 7. num. 3. a nobis producti. IV. Concupiscentiam, & pravam ad malum inclinationem, quæ post peccatum remanet in renatis, omnesque vitiorum habitus ex pluribus malis actibus acquisitos esse peccata proprie dicta putavit, ita ut non solum ad malum alliciant, sed etiam sint prævaricationes & scelera, etsi non ducant ad actum elicitum libero voluntatis consensu: atque post Ludovicum Bail ad propositionem 73. pag. 205. & Joannem Lensæum in Expositione doctrinæ contrariæ damnatis articulis cap. 12. pag. 177. id quoque fatetur insimulator pag. 40. num. 5. *Bajanismi* revivisscentis.

Augustiniensium Theologorum doctrina.

III. Procul a prænuntiatis erroribus recedit Augustiniana sententia. I. Hæc enim periisse quidem peccatum censet *libertatem*, *quæ in paradiso fuit*, *habendi plenam cum immortalitate justitiam*, ideoque nunc potentiore gratia adjuvandam esse infirmitatem humani arbitrii: *Quis autem nostrum*, ut loquamur ore magni Protoparentis refutantis duas Epistolas Pelagianorum, *dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Nec illud esse *liberum* arbitramur, quod est duntaxat voluntarium atque spontaneum: sed ad hoc, ut opus revera sit liberum, requirimus voluntatem illam, quæ *huc & huc ferri*, *hinc atque hinc referri potest*, seu in cujus potestate est *cohibere motum*, & cui ab opere *liberum est abstinere*; quemadmodum in 3. de lib. arbitr. cap. 2. de peccat. merit. lib. 2. cap. 18. & lib. 1. Oper. imperf. num. 47. ait Augustinus, vel, ut inquiunt Theologi e Schola, *libertatem indifferentiæ*. II. Eamdem libertatem a *simplici necessitate* immunem necessariam esse ad peccandum constantissime asserimus; haud enim ignoramus peccatum ab eodem Augustino definiri *voluntatem retinendi*, *aut consequendi quod justitia vetat*, *& unde liberum est abstinere*: quam definitionem traditam adversus Manichæos S. Pater disputans adversus Pelagianos non alia exceptione limitavit, nisi asserendo in ea non comprehendi originale peccatum, quod contrahitur *propagatione* naturæ, necnon concupiscentiam, quæ ampliori significatione *peccatum* dicitur, quatenus *ex peccato est*, *& ad peccatum inclinat*. III. Ipsam itaque concupiscentiam, ejusque motus *peccatum* hoc tantum sensu cum Apostolo, Tridentinis Patribus, eodemque Augustino appellantes, firmiter credimus ac profitemur, prava desideria *nonnisi consentientibus nocere*, & moveri quidem nolentibus nobis nonnullos affectus, sed nullum effectum relaxari, *si voluntatis non adhibeatur assensus*, ut fides docet Catholica, atque in Psalmum 118. Enarrat. 3. de peccato originali cap. 40. aliisque in locis tradidit ipsemet Augustinus, Latinorum Patrum, totiusque Ecclesiæ lumen fulgidissimum. IV. Hujus concupiscentiæ *reatum* expiari Sacramento regenerationis, ac *soluto reatu*, *quo vinctos detinebat*, concupiscentiam illam *manere ad agonem*, ex libris ejusdem Doctoris didicimus, præsertim ex 1. de nupt. & concupisc. cap. 23. ex 2. de peccat. merit. cap. 4. atque ex lib. 6. contra Julian. cap. 18. Quare etsi concupiscentia bellatrix, aliique vitiosi habitus contracti peccandi consuetudine augeant infirmitatem animique languorem, & reddant homines proniores in lapsum, *peccata* nihilominus, seu *transgressiones legis* dici nequeunt; quidquid commentus sit Bajus. Atque hæc rursus Augustinianæ doctrinæ capita commonstrant nostrum a Bajanistis discrimen: quod evidentius patebit legenti dissertationes nostras de Concupiscentia, de Peccato originali, & de libero arbitrio, in libris 12. 13. & 16. *Theologicarum disciplinarum*, ideſt tom. 2. pag. 535. ac tom. 3. pag. 44. 270. 277. 294. 297. &c.

§. IV.

Michaelis Baji errores circa merita Operum.

Prop. 2. 4. 5. 6. 8. 11. 12. 13. 14. 15. 17. 19.

I. AD merita operum bonorum nullam *gratiam habitualem*, qua justi in Dei filios adoptantur, Bajus necessariam existimavit, sed *naturali lege* illis operibus vitam æternam deberi commentus est in duodecim proxime subjiciendis propositionibus. II. universim pronuntiat, opus bonum *ex natura sua* esse meritorium vitæ æternæ, quemadmodum opus malum *ex natura sua* promeretur æternam mortem. IV. disserens de meritis hominis adhuc integri, & angelorum, inquit beatitudinem fuisse eis repromissam intuitu bonorum operum, quæ non ex acceptatione, & largitate Dei, sed *ex lege naturæ*, rerumque *constitutione* ad eam consequendam sat erant. V. eamdem doctrinam cudens ait promissionem factam Angelis ac primo homini nil aliud fuisse, quam *naturalis justitiæ* præscriptum, ita ut vita æterna fuerit illis repromissa spectatis in se operibus, & sine alio respectu. VI. repetit primum hominem, si in obedientia perseveraſſet, consecuturum fuisse perennem beatitudinem atque immortalitatem *solius legis naturalis constitutione*. VIII. excludit a redemptis per gratiam Christi *omne meritum*, etiam in iis, qui per gratiam sanctificantem constituti sunt Dei filii adoptivi, & hæredes, omniaque gratis post lapsum Adæ conferri putat *hominibus prorsus indignis*. XI. cohærenter docet justos consequi æternam felicitatem, non per gratiam, qua Dei filij constituantur, immo nec per meritum passionis Christi, *sed ex vi ordinationis naturalis*, atque primæ institutionis humani generis, qua

per

per legem naturæ ſtatutum fuit, ut recto Dei judicio æterna vita redderetur obedientiæ mandatorum. XII. & XIII. negat propterea opera bona non eſſe meritoria regni cæleſtis, ſi fiant citra gratiam adoptionis; negatque ab ipſa gratia adoptionis, quæ diffunditur in cordibus juſtorum per Spiritum Sanctum habitantem, non autem *ex naturali tantum lege*, & ex quo opera *legi conformia* ſint, proficiſci rationem meriti, acri cenſura, & nota Pelagiani erroris ſugillans ſentientes oppoſitum. XIV. & XV. rurſus metitur quantitatem mercedis ex ſola operum conditione, nullo habito gratiæ ſanctificantis reſpectu, iterum docens rationem meriti non eſſe repetendam ex quo bene operantes habeant gratiam, & Spiritum Sanctum inhabitantem; & juſtos in die judicii illam tantum mercedem conſecuturos, quæ ipſis operibus in ſe conſideratis debetur, nil prorſus ad ampliorem mercedem conferente gratia adoptionis. XVII. extollit rurſus merita operum, eoſque damnare audet, qui requirunt ad meritum, ut homo *per gratiam ſanctificantem* adoptetur in Dei filium, & ſublimetur ad participationem divinæ naturæ. XIX. ita Bajus quantitatem meritorum cum natura operum comparavit, ut videatur inſinuaſſe meritis Chriſti Domini majorem valorem nequaquam acceſſiſſe ex ſumma atque infinita *dignitate perſonæ*.

Senſus damnatus earumdem propoſitionum.

II. In præmiſſis Baji propoſitionibus graviſſimi quidam Theologi cenſent reprobari ſenſum auctoris, quoniam tribuit rationem meriti bonis operibus ex naturali conſtitutione, ſecluſa promiſſione divina. Ita cenſet Card. Bellarminus lib. 5. de Juſtificat. cap. 14. Licet vero Scholaſticorum nonnulli ad meritum promiſſionem Dei, tanquam *eſſentialem* rationem, non requirant; illam tamen major Theologorum pars exigit, ſaltem ut conditionem aliquam ad meritum neceſſariam. II. Quidquid ſit de promiſſione Dei; omnes, qui de Bajanis egerunt articulis, affirmant denegari in his neceſſitatem gratiæ ſanctificantis ad meritum *de condigno*; ut perſpicue demonſtrant iidem articuli, atque expreſſe docent Vaſqueſius 1. 2. diſput. 214. cap. ultimo, Turrianus de erroribus Baji cap. 2. Ludovicus Bail de Beneficio Crucis pagina 76. & 84. & ne ſingulos commemorem, Lovanienſes in ſua Expoſitione cap. 13. pag. 178. rerum *Bajanarum*. III. Ut ſapienter in eadem expoſitione animadvertitur; noluit Bajus gratiam ſanctificantem, quæ reddit hominem Deo conjunctum, eumque exornat participatione divinæ naturæ, afficere ac perficere bona opera, eaque reddere digna æternæ retributionis: quare Theologis ad meritum requirentibus gratiam, & adoptionem Dei, objecit Pelagianum errorem; quia Pelagius, etiamſi tollens originale peccatum promitteret æternam vitam naturali parvulorum innocentiæ, abſque regenerationis lavacro; iſtud tamen neceſſarium eſſe docebat, ut per baptiſmum ad regni cæleſtis jus & poſſeſſionem adoptarentur. IV. Adverſus certiſſimam firmiſſimamque Catholicorum omnium ſententiam affirmans Bajus merita Chriſti non traxiſſe ampliorem valorem *ex dignitate perſonæ*, ne fateretur opera juſtorum per gratiam adoptionis reddi digniora, quemadmodum opera Chriſti maximum habuere pretium, proptereaquod fuerint opera filii Dei naturalis; aperte derogavit merito redemptionis, & ſatisfactionis Chriſti, ſummopere æſtimandæ, quoniam exhibita fuit a Deo homine.

Sententia noſtra prædictis erroribus contraria.

III. Diſtat toto, ut ajunt, cælo a prænuntiatis Baji erroribus Auguſtiniana ſententia. I. Enimvero defendimus bonis operibus reddendam eſſe æternæ vitæ mercedem, non ex naturali lege, atque ſpectata ipſorum operum conditione, ſed ex liberali promiſſione ſupremi Domini, qui tantum ex conventione ac promiſſo poteſt fieri debitor creaturarum ſuarum, *non aliquid a nobis accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit promittendo;* prout in Pſalmum 109. & Sermone 158. alias 16. de verbis Apoſtoli docuit Sapientiſſimus Auguſtinus. II. Inter alias meriti, quod Schola appellat *de condigno*, libro 19. cap. 6. a nobis traditas conditiones, hanc præſertim adverſus Bajum neceſſariam eſſe putamus, ut bonum opus proficiſcatur *a caritate habituali*, quæ in ſententia noſtra, aliorumque plurimorum non diſtinguitur a gratia ſanctificante, & juxta Theologos univerſos nequit ab eadem gratia ſejungi. Quamobrem cum Auguſtino epiſt. 94. ad Sixtum, de ſp. & lit. cap. 14. lib. 4. contra Jul. cap. 3. ſcripſimus & docuimus *remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur: Deum coronare in miſericordia & miſerationibus, quia ejus miſeratione bona opera operamur: coronam operibus bonis dari: per legem adduci hominem ad fidem, per fidem impetrare ſpiritum largiorem, per ſpiritum diffundi caritatem, per caritatem impleri legem*; atque ita bene operantibus uſque in finem reddi tanquam mercedem vitam æternam bonis ipſorum meritis, quæ *ad caritatem*, & ad gratiam ſanctificantem potiſſimum referenda eſſe docet quoque S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 4. cui Orthodoxi omnes ſubſcribunt. III. Illam vero caritatem, quæ ut definiunt ſeſs. 6. cap. 7. Tridentini Patres, *diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret*, non tantum neceſſariam arbitramur, ut filii Dei nominemur & ſimus, verum etiam ut ſignemur *Spiritu promiſſionis Sancto*, ut habeamus *pignus hæreditatis*, atque ut fiat in nobis *fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam*, firmiſſime credentes fore hæredes regni, qui per gratiam adoptionis ſunt filii Dei, & perſeverant uſque in finem; regnum vero nunquam conſecuturos, qui per gratiam ſanctificantem non adoptantur in filios, nec habent arrham & pignus hæreditatis: atque id etiam cum Auguſtino ſcripſimus ac demonſtravimus in 1. 6. & 7. capite libri XIX. quem hoc titulo inſignivimus, *De juſtificatione, bonorumque operum meritis*. IV. Redemptionis quoque pretium, & meritorum Chriſti valorem repeti oportere ex incarnati Verbi perſona, ex cujus dignitate factum eſt, ut Deo exhibita fuerit condigna & ad omnes juris apices ſatisfactio, oſtendimus libro viceſimo octavo aſſerentes cum Auguſtino in Pſalmum 129. & ſerm. 27. alias 71. de diverſis, *illum potuiſſe nos redimere, qui ſe non potuit vendere*, atque ad humani generis reparationem, ut decebat Dei juſtitiam ac majeſtatem, neceſſum fuiſſe *creari creatorem, ſervire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi ſuſcitatorem*. Aſſerta hæc noſtra tom. 3. Theol. diſcipl. pag. 472. 517. 518. 521. 529. ac tom. 5. pag. 419. & 426. noſtram a Bajo diſſenſionem facile obtrectatoribus patefacient.

§. V.

Recenſetur errores Baji circa juſtificationem.

Baji propoſitiones 16. 66. 18. 42. 43. 44. 58. 59. 60. 61. 31. 32. 33. 67. 55.

I. PRoxime conſequuntur errores Baji ad juſtificationem ſpectantes: neque enim negavit tantummodo neceſſitatem gratiæ Spiritus Sancti inhabitantis, ut homo promereatur *de condigno* vitam æternam; verum etiam ſingulis operibus bonis, patratis quoque ante remiſſionem peccatorum cum ſola gratia actuali, eamdem vim ac perfectionem adtribuit, ac ſi facta eſſent cum gratia adoptionis ac ſanctitatis, nullum bonum opus admittens, quod non juſtificet, habeatque meritum æternæ vitæ: prout erui poteſt ex quindecim hujus dogmatiſtæ propoſitionibus. XVI. effutiit Bajus nullam inveniri *veram legis obedientiam abſque caritate*, quæ utique per Spiritum Sanctum diffuſa ſit, atque operantem juſtificet: quod expreſſius aſſeruit propoſitione LXVI. in qua conſtituit juſtificationem impii *in ſola legis obedientia*, negatque hominem juſtificari *per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ*, per quam juſtificatus legem adimpleat, æternamque vitam promereatur. XVIII. affirmat idcirco opera catechumenorum, facta priuſquam adoptentur in Dei filios, obtineantque peccatorum remiſſionem, eſſe vera opera, quæ juſtificant, & promerentur vitam æternam; quam tamen iidem catechumeni non conſequuntur, niſi per Sacramentum regenerationis *præcedentium delictorum impedimenta tollantur*. XLII. XLIII. & XLIV. inſiſtens Bajus iiſdem veſtigiis repetit impium *formaliter* juſtificari per *obedientiam mandatorum*, non vero per gratiam animæ infuſam, per quam homo adoptetur in filium Dei, ac *divinæ naturæ conſors* efficiatur; ac rurſus dogmatizat in catechumenis ac pœnitentibus, dum credunt, & pœnitentiam agunt, veram reperiri *juſtificationem*, omnibus bonis operibus conjunctam, etiamſi nondum obtinuerint *remiſſionem peccatorum*: eademque ratione aſſerit fideles ſemper *juſtificari*, dum mandatis obtemperant, puta dum obediunt parentibus, dum reddunt depoſitum, dum ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinent, proptereaquod in ſenſu Baji obedientia legis a vera juſtitia minime ſeparatur. LVIII. & LIX. commentitiam explodendamque cenſet diſtinctionem bonorum operum, quorum aliqua recta ſint *quoad ſubſtantiam*, & *ex omnibus circumſtantiis*, nec tamen ſint meritoria regni æterni, aliqua vero poſſint operantem perducere ad vitam æternam, eo quod fiant a vivo Chriſti membro per ſpiritum caritatis: quibus aperte indicat nil eſſe undique bonum, quod non ſit meritorium regni cæleſtis, nec præſtet munera caritatis, & gratiæ ſanctificantis, qua vivificamur in Chriſto. LX. & LXI. explodit ſimiliter tanquam *commentitiam*, & Scripturis minime congruentem, diſtinctionem *duplicis juſtitiæ*, & *duplicis vivificationis*, quarum una ſit ex Spiritu Sancto movente, & excitante cor hominis ad pœnitentiam, altera fiat per Spiritum Sanctum inhabitantem, ideoque cenſet impium, dum auxiliante gratia ad pœnitentiam excitatur, juſtificari, & effici vivum in Chriſto palmitem, eo prorſus modo, quo in ſen-

tentia

tentia Catholicorum vivificatur per gratiam Spiritus Sancti cor inhabitantis, & in eo juſtificationem, & caritatem diffundentis. XXXI. XXXII. XXXIII., & LXVII. admittit in pœnitentibus & in catechumenis ante remiſſionem peccatorum, quam per Sacramentum recipiunt, *charitatem perfectam*, *& ſinceram*, quæ eſt ex corde puro & conſcientia bona, quæ eſt *plenitudo legis*, & qua juſte, recte, & ſancte vivunt: quod effutire coactus eſt, ex quo in iiſdem catechumenis ac pœnitentibus admiſerit vivificationem, & juſtificationem, quæ fit per Spiritum Sanctum inhabitantem, comparatam bono quocunque actu, quo ad ſuſcipiendum Sacramentum diſponuntur, ac præparantur. XLIII. & LV. eadem omnino repetens veram adſtruit *juſtificationem* in pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in catechumenis ante baptiſmum, affirmans peccatorem a ſolo Deo *juſtificari*, *& reſuſcitari*, dum ei pœnitentiam ſuggerit atque inſpirat. Quia vero pœnitens nondum ſolutus eſt miniſterio Sacerdotum, & catechumenus nondum regeneratus baptiſmate, ait Bajus juſtificationem illam, etſi veram, & indiſtinctam ab ea, quæ fit per Spiritum Sanctum inhabitantem, ſeparatam tamen eſſe a remiſſione peccatorum.

Senſus præcedentium propoſitionum.

II. Revocantur enuntiationes præcedentes ad quatuor ſequentia capita. I. Bajus putans hominem juſtificari, dum mandatis obtemperat, & quando per varios actus fidei, ſpei, timoris, & contritionis ad juſtificationem diſponitur, negat juſtitiam inhærentem *& gratiam infuſam*, eamdem habens rationem operum, quæ fiunt per Spiritum Sanctum moventem, & illorum, quæ fiunt per Spiritum Sanctum inhabitantem. Ita de Bajo ſentiunt Ludovicus Bail pag. 184. Lovanienſes in ſua Expoſitione cap. 10. inter *Bajana* pagina 174. Turrianus cap. 2. §. 3. pag. 620. aliique paſſim, quibus ſubſcribit Anonymus affirmans pag. 25. Bajan. Redivivi, hominem in ſenſu Baji juſtificari *abſque gratia infuſa*, ſive, ut inquit pag. 27. *quando incipit obtemperare mandatis*. II. Ante juſtificationem, & vivificationem, quam Theologi tribuunt caritati in cordibus juſtorum diffuſæ, non admittit Bajus *inchoationes* juſtitiæ, ſive opera, quæ ad veram juſtificationem diſponant, & ab ea ſegregentur: quas tamen inchoationes admittendas eſſe docet Catholica fides; ut adverſus Bajum tradunt Lovanienſes citato cap. 10. pagina 175. Bail de Benef. Crucis pag. 182. omneſque Theologi, qui de Bajanis articulis pertractarunt. III. Ex quo autem in ſenſu Baji omne opus bonum juſtificet, ideoque omnis gratia præveniens bona opera ſit gratia ſanctificans, nullum in Bajaniſmo datur opus bonum, quod non ſit meritorium vitæ æternæ; ita ut hanc revera promereantur quocunque actu, quo ad gratiam diſponuntur, pœnitentes & catechumeni; quemadmodum docent omnes Theologi laudati diſſert. 1. cap. 1. Vaſquez, Suarez, Ripalda, Turrianus, Eſtius, Macedo, Noriſius, & centum Epiſcopi Galliarum: quorum omnium concordiſſima ſententia eſt, Bajum ſtatuiſſe cujuslibet boni operis principium caritatem diffuſam per Spiritum Sanctum, ſive gratiam ſanctificantem. IV. Quoniam vero catechumeni, & pœnitentes, antequam Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ſuſcipiant, ut plurimum ſunt adhuc obnoxii peccato (tametſi aliquando per contritionem *caritate perfectam* juſtificentur ante ſuſceptionem Sacramenti) Bajus in illis veram juſtificationem agnoſcens, portentoſa, ſed neceſſaria illatione ſegregavit ipſam juſtificationem a remiſſione peccatorum, affirmans eoſdem catechumenos & pœnitentes eſſe ſimul juſtificatos, & nondum ſolutos a reatu peccati; ut obſervarunt memorati Theologi, a quibus non diſſentitur noſter Anonymus pag. 26. & 27. *Bajaniſmi Redivivi*.

Enuntiati errores ab Auguſtinianis Theologis refelluntur.

III. In his quoque capitibus Auguſtinenſes Theologi diſtant immenſo intervallo a Bajanis. I. Nam aſſerimus pœnitentes, & catechumenos variis fidei, timoris, ſpei, amoriſque initialis actibus diſponi ad obtinendam in Sacramento juſtificationem, minime vero iiſdem actibus juſtificari; quandoquidem juſtitia non conſiſtit, ut inquit Schola; *formaliter* in obedientia mandatorum, & in quolibet bono actu, ſed in juſtitia inhærente, atque in caritate per Spiritum Sanctum diffuſa, ſive *in occulta communicatione*, *& inſpiratione gratiæ ſpiritalis*, *qua quiſquis hæret Domino*, *unus ſpiritus eſt*, ut lib. 1. de peccat. meritis cap. 10. ait Auguſtinus; cujus verba produximus lib. 19. cap. 2. demonſtrantes impios juſtificari per gratiam inhærentem, ſeu per caritatem *habitualem*. II. Itaque eodem lib. cap. 4. necnon lib. 34. cap. 6. demonſtravimus actus prædictos catechumenorum & pœnitentium eſſe utique diſpoſitiones ad gratiam, ut definit Sacroſancta Synodus Tridentina, atque ut q. 2. ad Simplic. loquitur ſanctus Pater, inchoationes quædam juſtificationis & vitæ *conceptionibus ſimiles*: at negamus appellandos eſſe veram propriamque *juſtificationem*, hominesque ad illos actus excitatos per Spiritum Sanctum moventem, ſancte recteque vivere, nec indigere præſtantiori illa gratia, quæ per Spiritum Sanctum inhabitantem diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur; atque cum eodem Auguſtino Tract. 13. & 96. in Joannem firmiſſime profitemur, catechumenos priuſquam Sacramento regenerationis abluantur, nondum illuminatos eſſe, nondum juſtos, ſed portare adhuc *farcinam iniquitatis ſuæ*. III. Quum vero ad merita neceſſaria ſit *caritas habitualis*, & vera juſtificatio, prout diximus §. 4. præcedenti; nullum meritum *de condigno* ineſſe arbitramur operibus illis, quibus adulti ad juſtificationem diſponuntur, ac nondum juſtificantur; quod fuſius explicavimus lib. 19. cap. 6. & 7. ubi ea quoque Auguſtini verba produximus ex Epiſtola ad Sixtum: *Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores?* IV. Tantum abeſt, ut cum Bajo arbitremur poſſe *juſtificationem* conſiſtere ſimul cum *remiſſione peccatorum*, ut nec etiam ſubſcribendum eſſe putemus quibuſdam e Schola Theologis, qui ſentiunt poſſe, ſpectata abſoluta Dei potentia, gratiam ſanctificantem ſimul conſiſtere cum peccato mortali, ea ducti ratione, quod in peccato præter reatum pœnæ ſit etiam macula turpitudo, quam Bajus, ut paullo infra videbimus, denegavit; atque percipere non poſſumus quomodo ſimul exiſtant forma & privatio, vita & mors, lux & tenebræ; de qua re legenda quæ ſcripſimus capite 3. præcitati libri XIX. Qui ergo lucubratiunculas noſtras in locis nuper commemoratis, ideſt Volum. 3. Theol. diſcipl. pag. 392. 416. 479. 488. 491. 516. 520. necnon Volum. 7. pag. 581. & 584. aliquantulum expendere non dedignabitur, optime percipiet non potuiſſe a nobis expreſſius rejici & damnari dogmata omnia Baji, quæ hactenus recenſuimus.

§. VI.

Aſſerta Baji de peccatis, jure a Romanis Pontificibus proſcripta.

Baji propoſitiones 20. 73. 46. 47. 50. 51. 69. 70.

QUemadmodum Bajus cuilibet bono operi vim tribuit juſtificandi, ita cuicunque operi malo attribuit æternæ pœnæ reatum, æque de malis ac de bonis meritis tradens erroneam pravamque doctrinam, quæ octo proximis articulis comprehenditur. XX. propoſitio Baji enuntiat omne peccatum promereri *pœnam æternam*, ac nullum eſſe peccatum *ex natura ſua veniale*. LXXIII. exprimit, veraciter non impleri præceptum caritatis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quandiu in diligente eſt aliquid concupiſcentiæ carnalis, ideoque in hac vita nunquam ſervari primum mandatum decalogi. XLVI. inquit ad rationem peccati non pertinere *ut ſit voluntarium*, ideoque peccatum originale habere veram rationem peccati abſque ullo reſpectu *ad voluntatem Adami*, a qua originem habuit. XLVII. affirmat peccatum originis eſſe in parvulis voluntarium *voluntate habituali*, & in eis *habitualiter* dominari, quia non gerunt contrarium voluntatis arbitrium: atque ex illa *habituali* voluntate, quæ dominatur in parvulis, infert eos abſque baptiſmo, & ante uſum rationis decedentes, actualiter Deum odio habere, Deum blaſphemare, & Dei legi adverſari. LI. & LII. aſſerunt omne ſcelus eſſe *ejuſdem conditionis*, & ſuum auctorem, ejuſque poſteros poſſe eo modo inficere, quo infecit *prima tranſgreſſio*: ex vi autem tranſgreſſionis tantum meritorum malorum contrahi a generante qui naſcuntur cum minoribus vitiis, quam qui cum majoribus. LXIX. ait omnes juſtorum afflictiones eſſe *ultiones peccatorum* ipſorum; ideoque quidquid Job, ac Martyres paſſi ſunt, propter peccata, quæ contraxerunt, fuiſſe perpeſſos. LXX. Deiparæ quoque afflictiones peccati ipſius, *vel originalis*, *vel actualis*, ultiones fuiſſe autumat; eamque propter peccatum contractum ex Adam, a quo neminem præter Chriſtum eximit, mortuam eſſe pronuntiat.

Prædicatarum propoſitionum ſenſus pravus.

II. Quid in præmiſſis propoſitionibus ſenſus erronei meritoque reprobati comprehendatur, ſatis perſpicuum eſt. I. Primo Bajus negat dari peccatum veniale, & peccatis omnibus reatum æternæ damnationis adſcribit. Jure hac in re Bajum reprehendunt Lovanienſes in ſua Expoſitione cap. 8. Bellarminus lib. 1. de amiſſ. Gratiæ cap. 10. Gregorius de Valentia 1. 2. diſp. 6. quæſt. 18. puncto 1. Turrianus in Tractatu de erroribus Baji cap. 3. §. 1. Ipſemet Bajus in ſua Apologia fatetur a ſe quæſtionem illam, *An dentur peccata ex natura ſua venialia*, recenſeri inter eas, quæ *ſalva pace Catholica*, varie diſputantur, *licet Staphilus eam hæreticis erroribus annumeraverit*. Addens vero Bajus non impleri præceptum diligendi Dei, ſi aliquid concupiſcentiæ inveniatur in diligente, præter hæreſim, quæ cuilibet motui concupiſcen-

piſcentiæ tribuit rationem peccati, ac tranſgreſſionis, etſi homo eidem motui diſſentiat, de qua hæreſi dictum ſupra §. 3. videtur exiſtimaſſe nunquam in hac vita poſſe diligi Deum *ex toto corde*, non tantum eo ſenſu, quod concupiſcentiæ motus impediant, ne cor toto impetu feratur in Deum; verum etiam quod lex non impleatur per caritatem, quæ conſiſtit cum taliqua carnis rebellione, tametſi violenta. II. De peccato originali graviſſima effutiit, ac principio commentus eſt non poſſe illud appellare *voluntarium*, nec etiam comparate ad primi hominis tranſgreſſionem, qui voluntarie peccando communem naturam infecit, hoc inferens ex erroneo principio, ad peccatum univerſim non requiri, ut ſit voluntate patratum. Tum ſecluſa a peccato originis voluntate primi parentis, cuilibet peccato poſteriori tribuit vim inficiendi totum genus humanum, eo prorſus modo, quo ipſum infecit prima tranſgreſſio, etiamſi peccatum illud eſſet *veniale*, quod in ſyſtemate Bajano minime datur. Hinc licet peccatum originale ſit unum idemque in omnibus, idque Bajus negare non audeat; haud obſcure tamen innuit, unum naſci alio praviorem & nequiorem, atque ob peccata parentum cum majori, aut minori meritorum malorum hæreditate. Nec affirmavit tantum manere in parvulis concupiſcentiam rationi adverſantem, & inſeminatam primo peccato; ſed ulterius concupiſcentiam illam, quæ ex actuali voluntate ad quædam peccata ſingillatim inclinat, adeo ut parvulus diſcedens ante uſum rationis, & abſque lavacro baptiſini propter concupiſcentiam illam debeat actualiter Deum odio habere, ac blaſphemare, atque cum peccatoribus ſceleriſſimis a prava voluntate, ſive a dominante concupiſcentia in omne turpiſſimum ſcelus abripiatur. Legitote Expoſitionem Lovanienſium cap. 7. pag. 171. aſſerta hæc in Bajanis articulis proſcribentium, Turrianum de erroribus Baji cap. 9. §. 1. Ludovicum Bail pag. 150. & 161. alioſque de hoc argumento pertractantes. III. Non ait duntaxat Bajus, mortem, miſerrimamque hujus vitæ conditionem ex originali peccato derivaſſe, quatenus per illud decidit homo a primæ integritatis felicitate, hujuſque vitæ incommodis & calamitatibus ſeſe ſubjecit, quod a nullo Catholicorum negari poteſt; ſed ulterius dogmatizavit mortem, afflictiones, aliaſque vitæ hujus ærumnas, quæcunque, & quomodocunque contingant, eſſe pœnam peccati: quod nequit dici, maxime ſi de juſtis loquamur, & de iis, quibus peccata remiſſa ſunt; his enim multæ afflictiones immittuntur, non in vindictam peccatorum, ſed in probationem virtutis, & in gloriæ augmentum. Videſis prælaudatos Theologos agentes de Baji erroribus, Lovanienſes præſertim citato cap. 7. pag. 172. Turrianum cap. 9. §. 2. num. 12. ac 13. necnon Prolegomeno 6. cap. 2. n. 16. præclarum Suareſium. IV. Injurius demum Bajus in Virginem temere ei originale peccatum attribuit, impie vero etiam actualia: quæ tamen omnia, etiam venialia ac minima, ex ſpeciali gratiæ privilegio ſanctiſſimam Dei Matrem vitaſſe, ut ſeſſ. 6. can. 23. definit Tridentina Synodus, Catholica *tenet Eccleſia*: & quod deterius eſt, inverecunde ait Bajus in eadem Virgine, ſacratiſſimo Verbi habitaculo, & impolluto Spiritus Sancti Templo, tranſfixionem juxta crucem, & corporis mortem fuiſſe punitionem, multamque originalis, actualiſve peccati. Ita Theologi nuperrime laudati.

Auguſtiniana doctrina

III. Profecto Bajana hæc deliramenta in Auguſtinenſium lucubrationibus refelluntur. I. Dari peccata *venialia* demonſtravimus omni argumentorum genere lib. 21. cap. 7. expreſſe rejecto viceſimo Baji articulo. Diximus eo loci doctrinam Tridentinæ Synodi definientis ſeſſ. 6. can. 11. juſtos, *licet in hac mortali vita in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinere eſſe juſtos*, ex Auguſtini libro de Nat. & grat. cap. 35. & 36. deſumptam fuiſſe. Cum ipſis vero quotidianis levibuſque peccatis, in hac etiam vita, in qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, dari veram caritatem, quæ ſit plenitudo legis, reddatque homines Dei amicos; tum citato in loco tradidimus, tum cap. 14. libri tertii ac viceſimi. II. Diſſerentes de originali peccato in libro 13. negavimus transfundi in poſteros peccata proximorum parentum, & pueros naſci cum majoribus, vel minoribus malis meritis, repetentes cum Auguſtino de peccatorum meritis cap. 10. *alia eſſe propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata ſunt, aliud hoc unum, in quo omnes ille unus homo fuerunt*. Addidimus cum eodem S. Patre diſputante adverſus Julianum lib. 6. Op. imperf. nu. 21. primam tranſgreſſionem Adæ habuiſſe *ſuam vim, & ſuum meritum ſingulare, ut potuerit omnium ex viro & muliere naſcentium in deterius mutare naturam*, ideoque non omnia ſcelera tantæ eſſe malitiæ, ut potuerint eadem ratione inficere univerſum humanum genus, ut effutiit delirus Bajus, cujus rurſus damnatos articulos in medium ibidem attulimus, & refutavimus. Eodem in libro cap. 6. ſcripſimus: *Ut peccatum actuale eſt voluntarium voluntate arbitrii illud perpetrantis; ita originale voluntarium eſt ſingulis originaliter voluntate protoparentis, qui legem tranſgreſſus ſtirpem quoque ſuam in ſe tanquam in radice vitiavit*: quibus verbis depromptis ex Auguſtino cap. 26. Enchiridii, ſatis aperte ſignificavimus, quod prolixius evincere ſtuduimus lib. 16. cap. 3. pertinere ad rationem peccati, ut ſit voluntarium, & peccatum originis *voluntarium* dicendum eſſe comparate ad voluntatem Adami, ut didiceramus ab ipſomet Auguſtino ajente lib. 1. Op. Imp. contra Julianum num. 47. *Origo etiam hujus peccati deſcendit a voluntate peccatoris*. Nono item, ac poſtremo capite prælaudati libri XIII. dilucide & abſque fuco proſcripſimus Bajanos articulos, quibus aſſeritur parvulos nondum regeneratos ideo peccato originis eſſe obnoxios, quia contrariam non gerunt voluntatem, atque ob dominantem voluntatis nequitiam, ſi nondum expiati diſcedant, in Dei odium, in blaſphemias, aliaque horribiliora peccata prorumpere. III. Mortem hujuſque vitæ miſerias eſſe pœnam peccati, quatenus inductæ ſunt primi hominis tranſgreſſione, nos quidem tradidimus, & luculenter demonſtravimus lib. XII. cap. 13. & lib. XIII. cap. 3. at nullibi diximus iis, quibus peccata remiſſa ſunt, mortem hujuſque vitæ incommoda ſemper immitti in peccatorum pœnam atque vindictam: quin lib. 6. cap. 8. oſtendimus in renatis *nil remanere damnationis*, nil pœnæ, quæ cum reatu culpæ conjuncta ſit: quamvis etiam dimiſſa culpa manere pœnam aliquam temporalem eluendam doceat fides Catholica, prout demonſtravimus contra hæreticos p. 2. libri 34. cap. 10. admonentes cum Auguſtino lib. 2. de peccatorum meritis cap. 34. ea, quæ *ante remiſſionem erant ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem eſſe certamina, exercitationeſque juſtorum*. IV. De Virgine autem Maria lib. 13. cap. 3. aſſeruimus pie credi a peccato originali præſervatam, mortuam vero, quoniam genita fuit ex ea carne, ex qua mors corporalis conſequitur, *quanquam anima ex hujus carnis conſortio non fuerit ſingulari privilegio inquinata*. Idem ſcripſimus cap. 6. ejuſdem libri. Tandem lib. 18. capite item 6. poſteaquam cum Auguſtino libro XI. de Civit. Dei cap. 31. affirmaveram juſtos in venialia peccata quotidie labi, ſtatim animadverti, *non comprehendi in hac generali aſſertione puriſſimam Dei Matrem*, producto etiam canone 23. ſeſſ. 6. Œcumenicæ Synodi Tridentinæ. Itaque manifeſta res eſt, a nobis refelli & damnari articulos Baji, de quibus hucuſque egimus: quod evidentius dignoſcet quiſquis legerit libros de Theologicis diſciplinis tom. 1. pag. 516. tom. 2. pag. 524. tom. 3. pag. 31. 56. 67. 93. 266. 425. tom. 4. pag. 226. 229. & 514. atque tom. 8. pag. 179. 184. &c. quibus in locis fuſius producitur, & comprobatur quidquid breviter & contracte ſignificatum eſt modo.

§. VII.

Articuli Baji verſantes circa virtutem Sacramentorum, & circa ſolutionem temporalium pœnarum.

I. EX quo Bajus juſtificationem ſtatuerit *in obedientia mandatorum* nulla habita ratione vivificationis & adoptionis per Spiritum Sanctum inhabitantem, eodemque pacto ratiocinatus fuerit de peccatis, horum ſingulis ineſſe putans *meritum æternæ pœnæ*, & præter *actum* tranſeuntem, ſolum *reatum*, ſeu meritum punitionis agnoverit, ut vidimus duobus paragraphis præcedentibus, factum hinc eſt, ut non ſolum *remiſſionem peccatorum*, & ſolutionem a reatu pœnæ ſejunxerit a *juſtificatione*, aſſerens hanc ſine illa perſiſtere; verum etiam extenuaverit efficacitatem, Sacramentorum, Baptiſmi præſertim, ac Pœnitentiæ: quoniam in ſenſu Baji non alia ratione peccata per hæc Sacramenta remittuntur, niſi quia a reatu & obligatione pœnæ ſolvunt ſuſcipientes, non autem producendo gratiam ſanctificationis, quam in Bajano Syſtemate catechumeni & pœnitentes obtinuerant, dum a Spiritu Sancto movente excitarentur, & ſe per varios fidei, ſpei, timoris, & caritatis initialis actus ad ipſam gratiam recipiendam diſponerent. Quamquam id ex dictis evidens ſit, magis tamen proximis damnatis aſſertionibus comprobatur. LIV. enuntiat in peccato inveniri *actum*, & *reatum*, quorum primo tranſeunte, nil maneat *præter reatum*, ſive obligationem ad pœnam. Quare in Sacramento Baptiſmi, aut abſolutione Sacerdotis tollitur duntaxat *reatus peccati*, ſcilicet ad hæc Sacramenta accedentes ſolummodo liberantur a pœna ſubeunda. LXVIII. ait non remitti peccatum, ſcilicet non ſolvi prædictum *reatum pœnæ*, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti extra caſum

Propoſitiones Baji 54. 68. 45. 10. 56. & 57. 74.

casum necessitatis, aut martyrii, etiam homo habeat caritatem perfectam (quæ nempe justificat) cum voto suscipiendi Sacramenti conjunctam. XLV. negat sacrificium Missæ esse sacrificium, nisi *sacrificium* accipiatur in ampliori illo sensu, quo sacrificium dicitur *quodlibet bonum opus*, quod fit, ut Deo Sancta societate adhæreamus. Extenuata vero Sacramentorum, & sacrificii dignitate ac virtute, consequens erat, ut pœnitentiæ quoque opera Bajus deprimeret: quod præstitit reliquis quatuor articulis. X. inquit *solutionem pœnæ temporalis*, quæ remanet etiam peccato dimisso, sicuti & corporis resurrectionem, proprie nonnisi meritis Christi adscribi oportere. LVI. & LVII. asserit per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera, necnon per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, nequaquam offerri Deo *pretium dignum pro peccatis nostris*, nec proprie *redimi nostra delicta*, sed aliquid fieri, cujus intuitu satisfactio Christi, & sanguinis ejus pretium nobis communicatur & applicatur. LXX. affirmat per satisfactiones laboriosas justificatorum non posse *de condigno* expiari pœnam temporalem, quæ post culpam condonatam luenda supereſt.

Istarum assertionum sensus refellendus.

II. Prædictorum vero dogmatum perversitas ex se patet. I. Bajus etenim principio aperte in his articulis negat inhærentem peccati maculam, per quam peccator actu flagitioso pertranseunte manet aversus a Deo, & gratia sanctificante exspoliatus, non vero cum solo reatu, seu obligatione ad subeundam pœnam, ut ait idem Bajus adversus S. Thomam 1. 2. q. 86. art. 1. & 2. communemque sententiam Theologorum. Etsi autem Bajus in sua *apologia* pagina 111. queritur a Collectore articulorum suorum in propositione 54. adjectam particulam *nihil*, ac si dixisset, *contra S. Thomam transeunte actu peccati non permanere malitiam*, immo addit inter Scholasticos Doctores ea, quæ de hærente malitia dicuntur, controverti, nec certo definiri posse: nihilominus vere, ut sonat, peccati maculam tollit Bajanus articulus; & in eo, quod addit solvi per Sacramenti administrationem *duntaxat reatum pœnæ*, quoniam Deus *per semetipsum*, non per ministerium Sacerdotum *purificat* (ut inquit in Opusculo de Orat. pro defunctis cap. 4. unde articulus excerptus est) aperte in Sacramentis denegat vim sanctificandi, & inhærentem gratiam producendi, nec fatetur præter reatus solutionem vere per Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ homines justificari, & *abunde in eos Spiritum Sanctum effundi*: quod recte credendum esse docent Lovanienses in sua Explicatione cap. 10. pagina 175. Bail de Benef. Crucis pagina 167. & 171. Vasquez 1. 2. disput. 179. cap. 2. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 14. num. 20. Turrianus in Tractatu contra errores Baji cap. 10. §. 2. aliique permulti. II. Dum ait Bajus sacrificium Missæ esse *sacrificium* ea tantum ratione, qua sacrificium appellatur quodlibet bonum opus, errat turpissime in fide; atque ex tam nefaria assertione consequi videtur in oblatione Dominici Corporis nullatenus inveniri propriam sacrificii rationem, & nullum speciale Sacerdotium in Evangelica lege relinqui, quod commune non sit omnibus Christifidelibus; prout cap. 14. pagina 181. ratiocinantur prælaudati Lovanienses. III. Ulterius negat Bajus *caritatem perfectam*, etsi conjuncta sit cum voto Sacramenti, extra casum necessitatis, aut martyrii delere peccata: quoniam licet justificet, (per Bajum enim justificatur homo, quando movente Spiritu Sancto excitatur ad pœnitentiam, & incipit obtemperare mandatis) non solvit tamen a reatu, & obligatione pœnæ, quæ in Bajano systemate manet in justificatis, donec impedimenta peccatorum per Sacramenta tollantur, quemadmodum constat ex dictis §. 5. atque animadverterunt Theologi prælaudati. IV. Tandem Bajus ex quo omne meritum a nobis comparetur per gratiam Christi, quod nullus Catholicorum in dubium revocat, imperite progressus est ad negandam veram rationem meriti in iis operibus, quæ in satisfactionem peccatorum suorum exercentur a justis. Hi enim, quum sint viva Christi membra, & per Spiritum Sanctum inhabitantem efficiantur filii & amici Dei, hujusque naturam participent, tantam in se dignitatem habent, ut non solum pro temporalibus pœnis, sed etiam pro æterna vita, & iis, quæ ad beatitudinem spectant, condignum pretium exhibeant. Videsis Bellarminum lib. 4. de Pœnit. cap. 7. cui Orthodoxi omnes subscribunt. Eosdem justos promereri *resurrectionem* quoque, *& gloriam corporis*, communior est Theologorum sententia, ut demonstrat Ægidius noster a Præsentatione tomo 3. de beatitud. lib. 1. q. 5. art. 7. Idem dicendum est de passionibus Martyrum nobis in *Indulgentiis* communicatas; in quibus agnoscere debemus proprietatem satisfactionis, prout adversus Bajanum articulum 57. docent in sua explicatione cap. 14. Lovanienses. Putant alii cum Ludovico Bail pagina 176., in eodem articulo, in quo agens Bajus de *Indulgentiis* commendat *solam communionem caritatis*, negari in Ecclesia jurisdictionem, & auctoritatem ipsas indulgentias largiendi: sed videtur mihi perspicuum, articulum illum ex cohærentia Bajanæ doctrinæ eo collimare, ut a quolibet justificatorum opere vim satisfaciendi Deo, ac proprie redimendi pœnas peccato debitas, impie, temere, & audacter excluserit; quemadmodum cap. 4. §. 1. num. 7. animadvertit Aloysius Turrianus, haud dissentientibus aliis, qui de Bajanis erroribus data opera pertractaverunt.

Augustinensium doctrina.

III. Contra nos Majorum nostrorum, omniumque Orthodoxorum doctrinæ inhærentes, præter communiorem sententiam, quæ defendit peccati maculam permanentem in corde impiorum, & quam sententiam amplexati fuimus lib. 19. cap. 2. & rursus lib. 21. cap. 6. demonstravimus lib. 30. cap. 19. & lib. 31. cap. 1. & 2. baptismate homines renasci, justificari, innovari spiritu, eisque remitti peccatum, quod contraxerunt carnali generatione, pluribus ex Augustino testimoniis productis, ex libris de peccatorum meritis, de spiritu & littera, in Evangelium Joannis, atque ex ejus Epistolis: quæ testimonia repetenda esse non arbitror. Pœnitentiæ item Sacramento, & Sacerdotum absolutione non solvi duntaxat pœnæ reatum, sed ulterius infundi sanctificationem, communicationemque gratiæ spiritalis ostendimus prima parte libri 34. cap. 2. exponentes quomodo Pœnitentia inter Sacramenta novæ legis obtineat locum, necnon in ejusdem libri parte altera cap. 7. prolixe agentes de vi & efficacitate absolutionis Sacramentalis. II. De sacrificio autem Missæ pro modulo ingenioli nostri in libro 33. differentes docuimus, & propugnavimus cap. 19. & 20. in eo adinveniri sacrificii veram propriamque rationem, sitam in oblatione *victimæ sanctæ, qua Chirographum deletum est*, ut magni Parentis Augustini verbis eo loci usurpatis rursus utamur; non vero esse *sacrificium* acceptum in significatione ampliori, qua idemmet Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. sacrificium appellavit omne opus, *quod agitur ut sancta societate inhæreatur Deo*: quibus verbis abusum fuisse Bajum in articulo 45. abunde evincit articuli ejusdem syntaxis. III. Insuper jure meritoque damnatum Bajum, quod commentus fuerit pœnitentem nequaquam *vivificari ministerio Sacerdotis*, & certissime credendum esse, aliquando peccatorem ob caritatem perfectam, contritionemque vehementem obtinere peccatorum remissionem, *priusquam actu Sacramentum suscipiat*, tradidi, ac pro mea virili evincere studui libro 34. Theolog. discipl. cap. 6. Bajanis, qui huc spectant, articulis recitatis, rejectis, atque discussis. IV. Quidquid postremo de operibus justificatorum, & singillatim de *satisfactionibus*, nos cum sodalibus nostris sentiamus, dijudicare quisque poterit tum ex libro 19. cap. 7. & 8. ubi de justorum meritis instituimus disputationem, tum ex libri 32. parte altera cap. 10. propos. 3. ubi expresse quoque adductis proscriptisque Bajanis verbis, demonstravimus justos per *satisfactiones laboriosas* mereri *de condigno*, ne ipsis temporales pœnæ infligantur; ac revera, ut Sanctus Pater docet Sermone 351. *satisfieri Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium*. Hæc fusiori pertractata stylo legi possunt tomo 3. discipl. Theol. pagina 479. 521. 527. tomo 4. pagina 223. tomo 6. pagina 234. 310. tomo 7. pagina 405. 408. 425. 484. 580. tomo 8. pagina 143. 388. 189. &c. Hinc vero non unam, aut alteram tantum Baji propositionem, sed prorsus omnes ac singulas in Theologicis libris a nobis in lucem editis refutatas, rejectas, atque oppugnatas fuisse, brevis hæc synopsis in prospectu exhibet, & dilucide manifestat.

CAPUT II.

De quinque Jansenii propositionibus.

Quid in Jansenianis propositionibus enuntietur.

I. QUid verbis exprimant quinque Jansenii propositiones, adeo perspicuum est, ut nemini id possit latere. I. propositio asserit aliqua præcepta esse justis *impossibilia secundum præsentes, quas habent, vires*, etiamsi iidem justi velint & conentur eadem præcepta adimplere: ipsis ulterius *deesse gratiam*, qua Dei mandata servare possint. II. enuntiat in hoc infirmitatis statu nullam dari supernaturalem *gratiam interiorem*, cui resistatur. III. & IV. negant ad merendum, vel demerendum requiri *aliam libertatem* præter illam, qua voluntas a violentia, & *a coactione* immunis est: neque enim Jansenius agnoscit in hoc statu gratiam aliquam, cui voluntas possit pro nutu resistere, vel obtemperare, gratiam hujus generis, quæ agendi necessitatem non infert, rejiciens inter *Semipelagianorum* hæreticas assertiones. V. tanquam

quam *Semipelagianos* item traducit, qui dicunt Christum mortuum esse, aut sanguinem fudisse *pro omnibus omnino hominibus*.

Sensus damnatus quinque propositionum.

II. De sensu harum propositionum Jansenii pertractarunt Theologorum quamplurimi, missisque Scholasticis opinionibus, quas unusquisque solet scriptis inserere juxta propriæ sententiæ præoccupationes, in quatuor proximis capitibus omnes convenire videntur. I. Jansenius asserit *impossibilia* esse Dei præcepta, & aliquando etiam justificatis, amplexus sententiam, quam *temerariam, & a Patribus sub anathemate prohibitam* appellat Tridentina Synodus sess. 6. cap. 11. & can. 18. proscriptam a Pio V. & Gregorio XIII. cum propositione 52. Bajana, rejectam anno 1519. a sacra Facultate Lovaniensi, & ab Academia Parisiensi anno 1521. contrariam Augustino, cujus verba ex lib. de Nat. & Grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis*, usurpavit consecravitque citato in loco Synodus Tridentina, refutatam a Scholasticis omnibus cum S. Thoma q. 24. de Verit. art. 14. Quodlibeto 2. art. 6. & 1. part. q. 49. art. 2. Asseritur quoque in eadem propositione justis aliquando subtrahi gratiam, qua possint obtemperare mandatis, ita ut justi illi, qui præcepta transgrediuntur, tantummodo habeant in sensu Jansenii potentiam illam, quæ sita est in flexibili arbitrii facultate, & quam adauget fides, & gratia sanctificans, at non potentiam, quam confert sufficiens gratia. Hac enim justos aliquando carere Jansenius contendit, quamquam justi illi velint, & conentur obtemperare præceptis, contra quam definiat Tridentinum Concilium de Justif. sess. 6. cap. 13. doceatque Augustinus de Nat. & Grat. cap. 26., Deum neminem deserere, *si non deseratur*, quod & repetit S. Prosper ad object. 11. Gallorum, confirmantque unanimi sententia Theologi, asserentes sufficientem gratiam abesse justis; quidquid sit de quibusdam excæcatis, & parvulis immaturo fato ante Baptismum denatis, quibus an semper adsit gratia apud Scholasticos controvertitur. Porro Jansenianam hæresim sitam esse in adstruenda divinorum præceptorum *impossibilitate*, & derelictione justorum, priusquam hi præsumentes de suis viribus Deum deserant, tradunt ac demonstrant Stephanus Dechamps lib. 2. de Hæresi Jansen. disput. 6. pagi 284. Gonet in Apologia Thomistarum art. 10. tomo 1. Clypei pagina 361. Antoninus Massoulié tomo 2. differt. 4. art. 3. pagina 356. Philippus Van-Waure in suo *Augustino* lib. 1. cap. 1. pag. 75. & cap. 5. pag. 148. & Henricus Cardinalis Norisius ad *Germanit.* 14. & in *Calumnia sublata* cap. 1. & 2. quos tantum, cum celeberrimi sint, atque in hac re ostendant Augustinensium, Thomistarum, Mediolarumque consensum, postquam e scopulis enavigavimus, sat erit compendiaria hac disquisitione protulisse. II. Præter gratiam efficacem, quæ auctore Augustino de Prædest. Sanctorum cap. 8. *a nullo duro corde respuitur*, nullam Jansenius admisit internam gratiam, cui humana voluntas resistit, ablegans ab hoc statu adjutorium *sine quo non*, dans posse, & relinquens in voluntatis arbitrio velle & operari, seu gratiam sufficientem, quæ non sit efficax; unde Jansenius ait nullam prorsus gratiam *effectu carere*, sed gratiam & opus ita reciprocari, ut ex defectu operis inferri possit gratiam non fuisse collatam. Nefarium hoc dogma repugnat Apostolo nos hortanti 2. ad Corinth. 6. *ne in vacuum gratiam Dei* recipiamus, scilicet, ne illam absque fructu relinquamus, sed ea utamur ad vitanda peccata, & ad vitam æternam consequendam: adversatur etiam Augustino docenti de Grat. & lib. arb. cap. 17. adinveniri sæpenumero in nobis *voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam*; nullibi autem asserenti, *quod gratia semper hominem efficiat bonum, & consequenter semper congrua sit*, ut effutiit Jansenius lib. 2. de Grat. Christi Salvat. cap. 22. pagina 235. contrarium est demum Orthodoxis omnibus, adversus Calvinianos, ceterosque hujus furfuris hæreticos fatentibus non tantum externæ vocationi, verum etiam interiori gratiæ cor tangenti per supernam inspirationem, sæpenumero homines reluctari. At vide Norisium nostrum in *Calumnia sublata* cap. 3. §. 1. necnon ad *Germanitatem* 15. ubi etiam plura ex Collationibus Macedianis: ac præterea lege Gonetum præcit. art. 10. num. 141. Philippum Van-Waure lib. 3. cap. 1. pagina 265. Massoulié laudata differt. 3. art. 5. pag. 368. & Stephanum Dechamps lib. 3. disput. 8. pagina 715. Auctorem vero istum, sicut & reliquos putantes in damnationem Jansenianæ hæreseos probata Scholarum suarum placita, audiendos non esse, ubi tanquam Jansenianam opinionem oppugnare nituntur sententiam eorum, qui contendunt gratiam sufficientem non semper actu conferri infidelibus obduratisque omnibus, probe noverunt qui sciunt hanc esse controversiam in Scholis hinc inde agitatam; nec ignorant eos, qui hanc definitam jactitant, *temeritatis* redargui suffragio centum sapientissimorum Antistitum. Vide proximum cap. 3. §. 1. num. 2. Consulto itaque ea, in quibus omnes consentiunt, seligimus, quæstione, in qua dissident, prætermissa. II. Negat Jansenius in hoc statu *libertatem indifferentiæ* necessariam ad meritum, vel demeritum, admittens solam libertatem *a coactione*: autumat enim libertatem a necessitate periisse in Adamo, & contendit illud esse liberum, quod fit *cum volumus*; additque ad solum peccatum Adæ, quod summa libertate patratum fuit, spectasse Augustinianam illam definitionem, *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*. Ita nos peccare existimat in iis, quæ vitare non possumus; itemque mereri sub gratia, nos ad bonum trahente ea necessitate, qua Deus seipsum diligit, qua Beati adhærent Deo, & qua singuli appetunt beatitudinem, animo quidem non invito aut coacto, sed tamen ex necessitate ineluctabili attracto ad agendum. Immo gratiam, cum qua persistat dissentiendi potestas, Jansenius tanquam Semipelagianum commentum eliminat, ratus nec Massilienses negasse ad fidei quoque initia id genus gratiæ, cui humana voluntas pro libito resistat, vel obsequatur. Est autem hæc Janseniana hæresis in Luthero, & in Calvino damnata a Tridentino Concilio sess. 6. can. 5. nam cum hæreticis moveri quæstionem *de sola libertate a necessitate*, recte monet libro 3. de Grat. & lib. arb. cap. 5. Cl. Bellarminus. Anathemate quoque percussam in Bajanis articulis constat ex præcedenti capite §. 3. nec dubitari potest, quin Patribus universis, & sacris litteris adversetur. Adeas Deschampsium lib. 2. disput. 2. pag. 157. Norisium ad *Germanitatem* 17. prope finem priorís Voluminis, Massoulié prælaudata diss. 4. art. 6. pagina 371. & articulo 7. pagina 374. Gonetum in Apologia num. 142. & 143. & Philippum Van-Waure lib. 4. adversus Jansenium pagina 321. lib. 5. pagina 371. ac sequentibus. IV. Jansenius demum in quinta propositione ausus est affirmare Christum non esse passum & crucifixum pro omnibus, contrariam Catholicam, firmissimaque fide propugnandam sententiam suggillans Semipelagiani erroris criminatione. Nefaria illa assertione haud negat Jansenius pretium Sanguinis Christi, utpote infinitum, fuisse sufficiens ad redemptionem *omnium infidelium, imo etiam dæmonum omniumque damnatorum*, id enim fatetur lib. 3. de Grat. Salvat. cap. 21. pagina 385. sed negat fuisse pro omnibus oblatum *ex intentione redimentis*; ut nempe universis prodesset, cunctique possent redemptionis fructus percipere: impiissime enim dogmatizat ita Christum Dominum non oraſſe, lytrumque solvisse *pro reprobis*, quemadmodum id non fecit *pro diabolo*. Nemo autem ignorat hanc sententiam a Beato Prospero dici impiam, prodigiosam, profanam, atque blasphemam, & refutari in resp. ad 9. object. Gallorum, & ad 1. Vincentianam, rejici ab Augustino demonstrante ex Christi morte contrahi ab omnibus Adæ posteris originale peccatum, omnesque a Domino judicandos esse, quoniam ipse pro omnibus pretium dedit; refelli denique a Theologis universis, qui etsi fateantur non ab omnibus percipi *beneficium mortis Christi*, ejus tamen pretium pro omnibus oblatum, & per Christi merita gratiam necessariam ad consequendam salutem universis hominibus paratam esse propugnant. Dico autem *paratam esse*; nam utrum actu omnibus & singulis conferatur, quæstio est adiaphora; docentque ad universitatem redemptionis necessariam non esse gratiæ receptionem, sed solam hujus præparationem, & exhibitionem sufficere, Augustiniani omnes, Thomistarum quamplurimi, Academiæ Lovaniensis, & Duacensis, aliique a me laudati differt. 4. cap. 1. §. 6. Qui vero hos errare arbitrantur, ac propterea ipsos tanquam Jansenianos traducunt, non effugere notam temeritatis censuerunt tres Purpurati, De Rohan, De Bissy, & De Gesures, cum aliis nonaginta quatuor Galliarum Præsulibus, qui anno 1720. die 13. Martii subscripsere librum, cui titulus, *Explications sur la Bulle UNIGENITUS*, ut diximus paullo supra num. 2. atque ut constat ex eodem libro pagina 23. Parisiensis Regiæque impressionis, §. *Ce seroit une temerité*. Quare iterum monemus, ut Scholarum placita ab Ecclesiasticis dogmatibus secernantur, neque in catholicorum viscera convertantur arma, quibus Janseniani sunt debellandi. Adversus istos firmissime profitemur Christum pro omnibus omnino hominibus subiisse crucem, sanguinisque sui pretium lytrumque obtulisse: in quo Catholici consentiunt omnes, tam ii, qui gratiam universis dari putant, ut constat ex Stephano Dechamps lib. 3. disput. 7. pagina 658. quam illi, qui omnibus paratam censent, sed non omnibus universim & indiscriminatim collatam; quemadmodum tradunt Augustiniani omnes cum Norisio ad *Germanitatem* 18. tom. 1. pagina 1476., & Philip-

Vide pag. 83. & 114.

Philippo Van-Waure lib. 6. contra *Pentadem* Janſenianam pagina 413., necnon Thomiſtarum plerique cum Antonino Maſſouliè diſput. 4. q. 3. art. 8. pagina 376. & Joanne Baptiſta Gonet in Apologia, ſeu Calviniſmi & Janſeniſmi depulſione, art. 10. num. 144. Hæc de ſenſu quinque propoſitionum Cornelii Janſenii.

Auguſtinenſium doctrina oppoſita Janſenianæ.

III. Adverſus hæc Janſeniana dogmata pugnant cum ceteris Theologi Auguſtinenſes. I. Hi namque docent juſtis omnibus, etſi aliquando deſit auxilium *efficax*, quod ſi haberent, nec unquam caderent, neque illud orationibus ſuis petere tenerentur, poteſtatem tamen eſſe omnia præcepta adimplendi, & quavis tentatione pulſentur, aut carnis allieiantur illecebris, poſſe in bono perſeverare, imo & in ſanctitate proficere, faciendo quod poſſunt, & quod non poſſunt humiliter poſtulando. Enimvero nulli mortalium præcepta Dei *impoſſibilia* dicenda ſunt, ſacris litteris atteſtantibus mandata Dei non eſſe *ſupra nos*, & jugum Domini *leve*, onuſque *ſuave*; ac Patribus, Conciliiſque œcumenicis tanquam impios, blaſphemos, hæreticoſque damnantibus aſſerentes Deum præcipere *impoſſibilia*. Etſi autem ſunt aliqui ſupernaturali auxilio, (ſine quo ad non peccandum non valere voluntatis arbitrium, conſtans eſt Auguſtini ſententia) occulto Dei judicio carentes; nihilominus omnes quandiu in hac vita morantur, poſſunt gratiam largiter ſingulis præparatam obtinere; & obtinebunt reipſa, niſi ei ſceleribus plena libertate patratis poſuerint obicem: quod ſufficit, ut ſaltem habere dicantur potentiam illam, quam Scholæ *remotam* appellant. At juſti non tantum habere poſſunt auxilium illud, quo habito nullum aliud ad præceptum faciendum deſideratur, & quod petunt omnes in hac vita certantes; ſed ulterius habent auxilium *ſufficiens*, quod nunquam illis ſubtrahitur, Deo neminem deſerente, *priuſquam deſeratur*; quemadmodum libro de Nat. & Grat. cap. 23. in Pſalm. 145. aliiſque in locis docet Latinorum Patrum nobiliſſimus Auguſtinus. II. Dari in hoc infirmitatis ſtatu auxilium illud *ſufficiens*, quod laudatus Auguſtinus appellat adjutorium *ſine quo non*, eique humanam voluntatem ſæpenumero reſiſtere, & adverſus imbrem gratiæ *congelaſcere* & duram fieri, ſententia noſtra eſt firmiſſima atque expreſſiſſima. Quamquam vero, niſi accedat adjutorium *quo*, liberum arbitrium non vult, aut ita non vult *voluntate ſpiritus*, ut vincat *voluntatem carnis contraria concupiſcentem*; poteſt tamen velle, pugnare, ac vincere: immo voluntas, cui dulceſcit Deus, & quæ incipit quod durum erat amare, tametſi aliquando *parva ſit & invalida*, & nondum *idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam*; eſt nihilo tamen minus proxime ſufficiens ad orandum, ſive ad implorandam voluntatem illam robuſtiorem, quæ ſufficit ad implenda mandata; modo qui vult facere Dei mandatum, & non poteſt, propriam agnoſcens infirmitatem ad gratiam convertatur juvantem, nec de viribus proprii arbitrii præſumens implicetur ſuperbia, & gratiæ repugnet & reluctetur. Gratia enim, quæ ad orandum *proxime ſufficiens* eſt, nil aliud requirens quam applicationem ad actum, in ordine ad converſionem & ad præceptum implendum interdum eſt *ſufficiens tantum remote*. Ita datur gratia, cui reſiſtitur, inſpirans voluntatem *parvam*, & conferens potentiam, aut *proximam*, aut *remotam*. Si autem *potentiam proximam* ita accipias, ut ſit completa, expedita, neque egeat adjutorio applicationis ad actum, ut accipi ſolet ab oppugnatoribus gratiæ *per ſe* efficacis, hujuſmodi potentiam in gratia, quæ non ſit efficax, agnoſcere nequaquam poſſumus. Propugnamus enim cum Auguſtino dari per Jeſum Chriſtum, quibus id Deo dari placuit, *ut non ſolum adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verum etiam* adjutorium *tantum ac tale, ut velimus*. Altera de his lib. 14. cap. 8. ubi egimus de actualis gratiæ diviſionibus, ac libro 17. cap. 3. ubi de Hæreſi Janſeniana. III. Requirentes inſuper ad meritum, vel demeritum *libertatem a neceſſitate* ſcripſimus in 2. Janſenianam, ac prolixius lib. 16. cap. 2. & 3. nulla ratione eſſe culpabilem motum, qui *neceſſitate exiſtit, & cohiberi non poteſt*. Oſtendimus etiam in hoc ſtatu requiri ad peccatum, ut ab eo *liberum ſit abſtinere*; ac demonſtravimus Auguſtinum, ubi adverſus Julianum ait id non requiri ad peccatum, *quod ſimul peccatum eſt, & pœna peccati*, locutum fuiſſe de peccato originali, quod fuit voluntarium in Adam, & de concupiſcentia, quæ peccatum appellatur, quatenus a peccato eſt, & ad peccatum inclinat. At negavimus ipſius concupiſcentiæ motus in culpam imputari, quando his libere, & cum poteſtate ad oppoſitum non aſſentimus. *Indifferentiam* denique liberi arbitrii non inter Pelagiana decreta, ſed inter Eccleſiaſtica dogmata recenſuimus lib. 14. cap. 5. rejecto duntaxat fictitio, atque a recentioribus intruſo *æquilibrio*. IV. Chriſtum Jeſum pro omnibus ſuffixum cruci, fudiſſe ſanguinem, & pretium lytrumque obtuliſſe, non ſola oris confeſſione, ſed magna etiam argumentorum copia Auguſtinenſes teſtantur. Didicerunt enim ex Apoſtolo unum *pro omnibus* mortuum eſſe, & hunc a Deo propoſitum *propitiationem pro peccatis totius mundi*: & a magno Auguſtino præceptore atque Inſtitutore ſuo acceperunt, ſicut omnes mortui ſunt in peccatis, *nemine prorſus excepto*, ita pro omnibus, *nemine prorſus excepto*, vivum mortuum eſſe unum. Duo tantum Auguſtinenſes contendunt, unum, quod etſi Salvator pro omnibus mortuus ſit, *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*: alterum vero, quod licet Chriſtus cumulatiſſime pro omnibus ſatisfecerit, ejuſque meritis omnia gratiarum munera pro univerſis inſtituta ſint, ac parata; nihilominus auxilium ſufficiens ex vi communis ac perfectiſſimæ Redemptionis non omnibus ſinguliſque confertur, *ſed quibus deeſt, pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum*: quorum unum traditur a Tridentino Concilio ſeſs. 6. cap. 3., alterum ab Auguſtino de Corrept. & Grat. cap. 11. At de his plura lib. 17. cap. 3. & 4. Quiſquis ergo noſtram a Janſenio diſcrepantiam agnoſcere velit, adeat Theologicarum diſciplinarum Volumen tertium pagina 132. 148. 149. 270. 294. 297. 327. 336. 338. 347. & 438. ſed caveat, ne inter Eccleſiæ definitiones connumeret placita recentiorum; atque id, quod ſancitum eſt probatumque Orthodoxis omnibus, ab eo, quod relictum eſt diſputantium arbitrio, caute prudenterque ſecernat, propria abſque tumore defendens, & abſque livore ponderans aliena.

CAPUT III.

De erroribus, qui continentur in propoſitionibus Queſnellianis per Conſtitutionem, Unigenitus, *jure meritoque damnatis.*

EXtiterunt complures, qui in propoſitiones Queſnellianas ediderunt doctiſſimos Commentarios, atque ab iniquis Janſeniſtarum expoſtulationibus egregie vindicarunt celeberrimam Clementinam Conſtitutionem UNIGENITUS. Illorum quidam Queſnelli articulos ſingulatim expendere, diſpungere, atque oppugnare curarunt, ordine ipſorum articulorum ſervato; quemadmodum præſtarunt viri percelebres, Jacobus Fontana, Dominicus Viva, Henricus Cardinalis de Biſſy, Gregorius Cardinalis Selleri, Bernardus Deſirant, Fulgentius Bellelli, & auctores plurium Opuſculorum Gallica, Latina, & Italica etiam lingua editorum. Quidam vero Queſnellianos errores in certa capita revocarunt; uti fecerunt in Paſtoralibus Inſtitutionibus præclari Galliarum Antiſtites, & in ſuis Explicationibus nonaginta ſeptem Epiſcopi, Antonius Rolliers, Pius Vanden-Dyck, aliique bene multi. Nobis aliquod tantum ſpecimen prædictorum errorum, proſpectumque Auguſtinianæ doctrinæ iiſdem contrariæ præbentibus, poſterior methodus, utpote expeditior ac planior, ſervanda eſt.

§. I.

Queſnelli propoſitiones, in quibus agitur de Gratiæ neceſſitate, & natura.

Propoſitiones Queſnelli 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

I. PAſchaſii Queſnelli propoſitiones, quibus præſertim ejus de Gratiæ hujus ſtatus natura & neceſſitate ſententia comprehenditur, ſunt numero vigintiquinque: in quibus, ut de Bajanis, & Janſenianis factum eſt hactenus, priori loco ſimplicem enuntiationem, deinde ſenſuum perverſitatem, tertio oppoſitionem, quam habent cum Auguſtiniana doctrina, ſummatim, ſtrictimque exponemus. Itaque propoſitio I. affirmat in peccatore poſt gratiæ amiſſionem nil eſſe *præter peccatum*, *ſuperbam paupertatem*, *atque generalem impotentiam* ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. II. III. & IV. enuntiant ſine gratia, *quæ eſt principium efficax cujuſcunque boni operis*, non ſolum nihil boni fieri, ſed nec fieri poſſe; & abſque ipſa gratia, quæ actu operatur, *& dat quod præcipit*, præcepta non poſſibilia eſſe, ſed in vanum data, ac inutilia. V. aſſerit abſque interiori gratia, quæ cor emolliat, gratias exteriores non inſervire *niſi ad cor magis obdurandum*. VI. VII. VIII. pronuntiant neminem pertinere *ad legem gratiæ*, niſi in eo Deus operetur quod præcipit; cum ſola gratia, *quæ Deus dat quod præcipit, donatque quod petit*, diſtinguat novum fœdus a veteri. IX. X. & ſequentes uſque ad XXI. gratiam univerſim deſcribunt, quod ſit *manus, operatio, & voluntas omnipotentis Dei*, ejuſdemque volun-

Voluntatis effectus *indubitabilis*; quam nihil potest impedire, aut retardare; cui nulla voluntas humana resistit, sed peccator quantumcumque obstinatus sit, oportet ut se dedat & humiliet; quæ operatur obedientiam quam petit, est vox faciens venire ad Christum quos interius docet, est semen semper afferens fructum suum: vult sibi obediri & obeditur, imperat & omnia fiunt, loquitur & omnia sibi submissa sunt. XXI. XXII. XXIII. XXIV. & XXV. operationem gratiæ, quam rursus appellant potentem, fortem & invincibilem effectum voluntatis omnipotentis, comparant *operationi Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum*; eodemque Incarnationis exemplo, velut in archetypo omnium gratiarum, demonstrari ajunt *concordiam ejusdem gratiæ cum libero arbitrio*: ipsam quoque operationem gratiæ æquiparant operationi, qua Deus producit creaturas ex nihilo, & qua mortuos ad vitam revocat, necnon operationi illi, qua omnipotens solo nutu suæ voluntatis utitur in sanandis corporibus.

Sensus prædictarum propositionum Quesnelli.

II. In præmissis Quesnellianis articulis proximæ continentur hæreses. I. Principio Quesnellus in peccatore gratia destituto nullam admittit rectæ agendi potestatem, immo nec opus aliquod non vitiatum a dominante cupiditate, renovatque hæresim Joannis Huss art. 16. inter damnatos a Concilio Constantiensi, Lutheranam proscriptam a Tridentino sess. 6. can. 7. ac Bajanam propos. 35. 40. 44. Ita *Veritas*, & *Æquitas Constit.* Unigenitus, pag. 5. *Les Cent & une Propositions qualifiées en detail* pagina 55. *Venin de 101. propositions* pagina 3. Jacobus Fontana Tomo 1. pagina 22. Instructio Pastoralis XLII. Episcoporum pagina 37. edit. Moguet, & *Explications* centum Episcop. pag. item 37. Impress. Regiæ §. *Les Peres de l' Eglise*. II. Negat Quesnellus gratiam omnem *sufficientem*, & ab efficaci, quæ cum actu conjungitur, distinctam, gratiæ hujus status *necessitatem operationis* attribuens: quod itidem animadvertunt laudati centum Episcopi pagina 22. §. *Ce qu' on doit sçavoir*. Hi tamen Episcopi pagina 23. §. *Ce seroit une temerité*, arguunt temeritatis eos, qui erroneam putant opinionem plurium Theologorum, *qui enseignent que la grace suffisante n' est pas donnée aux aveuglez & aux endurcis, & qui ne croyent pas qu' elle soit accordée a tous les infideles*: ac pagina 25. de sententia Thomistarum, ac nostra, quæ propugnat gratiam *per semetipsam* efficacem, inquiunt, *Et l' on ne doit pas soufrir que l' on rende suspecte une doctrine si autorisée*. Horum ergo centum Episcoporum judicio temeritatis & intolerandæ audaciæ culpantur, qui Theologis gratiam per se efficacem propugnantibus, ac docentibus sufficientem gratiam non semper obcæcatis, singulisque infidelibus conferri, objectant Quesnellianam hæresim, in hoc sitam, quod solam gratiam effectricem, & necessitantem intrudat. Adstrui in Quesnellianis thesibus gratiam dumtaxat victricem animadverterunt etiam Quadraginta Episcopi in sua Pastorali Institutione pagina 35. §. *On ne peut combattre les deux principes sur la grace*, ac P. Fontana pag. 30. ubi ait juxta Quesnellum, *non solum nihil boni fieri reipsa, sed nec fieri posse sine gratia obtinente effectum*, quod repetit pagina 98. 114. 153. &c. Idem auctor Opusculi, *Veritas & Æquitas*, &c. pagina 7. affirmans Quesnellum asserere, *quod sine gratia per se efficaci nulla possit fieri actio bona*, ac renovare hæresim primæ Jansenianæ; ac similia in Opusculo altero, *Les cent & une propositions qualifiées en detail* pagina 20. 63. 64. *Venin de 101. propositions* pagina 4. Vanden-Dyck pagina 162. aliique passim. III. Ulterius negat Quesnellus *libertatem indifferentiæ*, quod constat apertissime exemplis, quibus utitur ad explicandam gratiæ efficacitatem, & concordiam liberi arbitrii, ideest, exemplo Incarnationis, in qua natura humana Christi, (ut verbis utar Episcoporum Galliæ in Pastorali §. *Les Reflexions morales*, pagina 35.) refutare non potuit hypostaticam unionem. Adde exempla alia creationis, & patrationis miraculorum, in quibus homines aut *passive* se habent, aut solum *spontanee*. Hisce exemplis inductam a Quesnello necessitatem, explosamque liberam cooperationem arbitrii, observarunt centum Episcopi ad prop. 21. pagina 26. subinde cum Augustino libro 2. de peccatorum meritis cap. 18. monentes, ne ob difficultatem conciliandi liberum arbitrium cum gratia, *unum sine altero superba impietate asseramus*. De libertate, quam post Jansenium Quesnellus sustulit, fuse Jacobus Fontana ad prop. x. pagina 160. & ad propos. XXII. pag. 351. Cardinalis Selleri ad prop. 10. & undecimam, tomo 2. pagina 118. & sequentibus, Cardinalis de Bissy in suo Tractatu Theologico pagina 244. atque sensu unanimi omnes. IV. Quesnellus insuper facit Deum auctorem peccati, dum majorem cordis obdurationem, cujus causa nulla est præter malitiam, & voluntatem humanam, Dei exhortationibus, exterioribusque gratiis adscribit: quod Deo summopere injuriosum merito dixerunt centum Episcopi pagina 24. §. *Ce seroit une impieté*. Henricus Cardinalis de Bissy Quesnellum revincit pagina 136. demonstrando testimoniis Augustini tribulationes esse medicamenta ad salutem, misericordiam fieri, cui proponitur bonæ imitationis exemplum, & facta servorum Dei in sinum congesta absumere cogitationum torporem. Legi potest & Jacobus Fontana tomo 1. pagina 124. Hic auctor etiam animadvertit Quesnellum, dum ait exteriores gratias absque interiori inservire duntaxat ad cor obdurandum, rejicere, ut pernicioſam, gratiam *sufficientem*, quoniam Quesnello omnis interior gratia est efficax, & operatrix, ideoque in Thesibus Quesnellianis de gratia contineri blasphemiam propositionis sextæ inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam pernicioſa, sic, ut proinde merito posſimus petere, A gratia sufficiente libera nos, Domine*. Idem traditur ab Auctore opusculi, *Veritas, & æquitas*, &c. pagina 13. necnon a Dominico Viva pagina 56. editionis Beneventanæ. Advertit eo loci uterque auctor, in systemate Jansenii omnem gratiam, quæ non sit per se efficax, deservire solummodo *peccatis faciendis*, & *majori damnationi*, atque relegari *ad legem & doctrinam*, ad gratiam scilicet exteriorem & Pelagianam. His confirmantur quæ nos scripsimus dissert. IV. cap. 1. §. 5. num. 4. Constat ergo in Quesnellianis propositionibus paullo supra recensitis enuntiari, absque gratia efficaci nil boni fieri, nec fieri posse: gratiam ab efficaci distinctam non dari in hoc infirmitatis statu, ac si daretur, futuram fore inutilem ac pernicioſam: sub gratia efficaci liberum arbitrium necessario, & absque potestate ad oppositum invincibiliter agere; exteriores demum gratias, cujusmodi sunt exempla sanctorum, conciones, sacrificia, miracula, nisi gratia adsit efficax, inservire tantummodo majori perversorum obdurationi.

Augustinensium doctrinæ opposita Quesnellianæ.

III. Adversus hæc Quesnelliana asserta nos firmissime profitemur ab impiis, tametsi gratia sanctificante sint destituti, (imo etiamsi fide careant) permulta bona opera, quibus ad justificationem disponuntur, fieri cum adjutorio gratiæ actualis: quod lib. 18. cap. 2. demonstravimus ex sacris litteris humilitatem Publicani, & eleemosynas Cornelii commendantibus, ex actibus, qui justificationem præcedunt, atque ad ipsam obtinendam disponunt, necnon ex auctoritate Augustini affirmantis de Sp. & lit. cap. 28. sine aliquibus bonis operibus *difficillime vitam cujuslibet pessimi hominis inveniri*: ac ulterius docemus non omnia impiorum opera, secluſa etiam actuali gratia, oriri, tamquam ex principio cuncta inficiente, ex cupiditate vitioſa, atque ad finem pravum directa esse; nam multa etiam impiorum, neque Deum veraciter colentium facta legimus, vel novimus, quæ, ut citato in libro ajebat Augustinus, *secundum justitiæ regulam non solum vituperare non posſumus, verum etiam merito recteque laudamus*. II. Dari in hoc statu adjutorium *sine quo non*, sive gratiam dantem *posse*, non *velle*, quam Schola *sufficientem* appellat, atque illud adjutorium aliquibus misericorditer dari, aliquibus denegari *justo Dei judicio*, Augustini discipuli constanter firmiterque propugnant. At Sancti Patris magisterio, & ratione edocti, non eamdem esse in præsentia virtutem liberi arbitrii, ac erat in primæ conditionis integritate, sed, quemadmodum docet fides, non extinctum quidem, attenuatum tamen, inclinatum, & carnis cum ratione certamine laceſſitum nunc esse, jure negamus esse in homine per illud solum auxilium eam potestatem expeditam, nulloque alio adjutorio juvandam, quo non tantum *posſit*, sed etiam *velit*: idque valere plurimum arbitramur ad revincendum Quesnellum, hoc duntaxat adjutorium postremo commemoratum, non illud dans *posse*, & inefficax, inducentem definitionibus illis suis; in quibus *indefinite* appellans gratiam *virtutem & operationem omnipotentis Dei*, atque e numero gratiarum extrudens eas, quæ non operantur, nec donant quod Deus præcipit, manifestissime demonstrat solam gratiam *sese efficacem*, nullam vero ab effectu sejunctam, in suo, & Jansenii systemate prædicari. De mente autem nostra certiorem reddere posſunt unumquemque vel ea tantum, quæ de gratiarum partitione scripsimus libro 14. cap. 8. ac superiori capite prænotavimus agentes de propositionibus Jansenianis. III. Quamquam agnoscamus in Christo Jesu exemplum clarissimum splendidissimumque *prædestinationis nostræ*, in quantum nullis præcedentibus meritis ad gratiam & ad gloriam eligimur, quemadmodum natura humana, priusquam hujus prænoscerentur opera, prædestinata fuit ad unionem, quam dicimus *hypostaticam*; non arbitramur tamen exemplum istud, aut aliud consimile, idoneum esse ad explicandam concordiam liberi arbitrii cum gratia; quippe, ut sæpenumero dictum est, ac in libro

XVI. Theologicarum disciplinarum cap. 2. luculentissime demonstratum, non sola *libertas voluntatis* immunis a coactione, & a violentia, verum etiam *libertas arbitrii* soluti ab antecedentis necessitatis vinculo agnosci debet in Adæ posteris: quæ utique libertas, sicuti non adinvenitur in actibus deliberationem nostram præcedentibus, ita nequit excogitari, vel in unione *hypostatica*, vel in rerum productione, vel in resurrectione mortuorum, vel demum in aliis exemplis, quibus Quesnellius abutitur in explicanda effectricis gratiæ energia. IV. Absit vero, ut aliquis in tantam dementiam nos devenisse opinetur, ut cæcitatis, & obdurationis nostræ causam in Deum refundamus, obliti Augustinianæ illius præceptionis 2. lib. de peccat. meritis cap. 17. *Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam: vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.* In hanc propterea, non in consilia, præcepta, & comminationes supremi Domini, neque in inspirationes gratiarum, quibus humana obnititur pervicacia, referentes peccatorum duritiem, eos brutis animantibus deteriores existimamus, qui vel Dei legem incusant, vel gratiam sufficientem deridente, vel aliunde, quam a propria voluntate, causam suæ perversitatis arcessunt, ceteris proculdubio atrociori, nisi resipiscant, plectendi supplicio, non quia aut vocati, aut admoniti, aut gratia præventi; sed quia vocationi, monitis, & Spiritus Sancti impulsibus obluctantes ad iracundiam concitaverunt Dominum, cui *similiter odio sunt impius, & impietas ejus*, Sap. 14. 9. Hanc esse fidem nostram constat ex dissertatione, quam conscripsimus citato libro 19. cap. ultimo *de causa effectrice peccatorum*. Adeat ergo quisquis cupidus est cognoscendi, num in scriptis nostris præmissæ Quesnellianæ theses refutentur, loca indigitata nuper, quæ occurrent pervolutanti tertium Theolog. discipl. Volumen pagina 147. 266. 293. 279. 299. 303. 383. 388.

§. II.

Propositiones Quesnelli spectantes ad Fidem.

Propositiones 26. 27. 28. 29.

I. SEquuntur quatuor propositiones Quesnelli pertinentes ad fidem. In XXVI. inquit nullas dari gratias, nisi *per fidem*. In XXVII. repetit *fidem* esse primam gratiam, omniumque aliarum fontem. In XXVIII. enuntiat primam gratiam, quam Deus peccatori elargitur, esse *remissionem peccatorum*: atque in XXIX. concludit, extra Ecclesiam, scilicet ubi non est fides & peccatorum remissio, a Deo *nullam gratiam* concedi.

II. Constat pravum Quesnelli sensum non esse in eo situm, quod asseruerit fidem primam dari, *ex qua impetrentur cetera*, aut fidem esse *humanæ salutis initium*; id enim traditur ab Augustino de Prædestinat. Sanctorum cap. 7. necnon a Tridentino Concilio sess. 6. cap. 8. sed cum in fide distinguendum sit, quod ad ipsam præparat, cujusmodi sunt divina inspiratio, pius credulitatis affectus, aliaque gratiarum munera concessa infidelibus, priusquam credant, & quod ipsa fidem peculiariter constituit, assensus nempe præstitus mysteriis divinitus revelatis; Quesnellus nullam gratiam admittens extra Ecclesiam, nomine *fidei* intellexit fidem claram, & distinctam in Christum; atque ita (inquiunt Galliarum Præsules in Instruct. Pastorali pagina 39.) non distinxit inter gratias, quæ præparant ad fidem, atque inter eas, quæ ipsam fidem producunt. Similia centum Episcopi pagina 34. §. *Il faut faire une distinction necessaire entre les divers degrez de la Foy*. Et quidem recte: nam ante fidem præparari voluntatem ad credendum per gratiam prævenientem, docet Augustinus de dono perseverantiæ cap. 16. definit Synodus Arausicana can. 2. ac Tridentina sess. 6. can. 3. & adversus Semipelagianos Catholici fatentur omnes. Vide Jacobum Fontana pagina 438. tom. 1. Henricum Cardinalem de Bissy pagina 529. Verit. & æquit. Constit. pagina 38. aliosque auctores superius commemoratos. II. Quod consectarium est præcedentium, Quesnellus *nullam* in paganis & infidelibus extra Ecclesiam positis admittit *gratiam sufficientem*; id vero damnatum est ab Alexandro VIII. propositione quinta inter XXXI. & quidem omni æquitate: ex oppositio enim dogmate sequeretur nullum infidelem, nullum hæreticum, nullumque schismaticum converti, immo nec pro sua conversione Deum orare posse. Atque id pariter observarunt prælaudati auctores in propositionem 29. necnon Dominicus Viva pagina 179. Cardinalis Selleri tomo 4. pag. 188. Desirantius p. 3. pagina 152. auctor Opusculi, *Les cent & une propositions, &c.* pagina 74. aliique communiter. III. Effutiens Quesnellus primam omnium gratiarum esse *peccatorum remissionem*, cohærenter affirmat non tantum Judæis, Paganis, ceterisque omnibus extra Ecclesiam constitutis, atque illis præsertim, quibus nunquam contingit ut ad Deum convertantur, sed nec fidelibus in peccatum lapsis, nullam unquam obvenire supernam gratiam, quandiu permanserint in peccato. Portentosus hic error tollit dispositionem omnem, quæ justificationem præcedit, aut hæresi plusquam Pelagiana negat eamdem dispositionem pendere a supernaturali gratiæ adjutorio. Recte ergo Theologi Quesnellum confutarunt ex his, quæ Tridentina Synodus definit sess. 6. cap. 6. de modo, quo peccatores disponuntur ad justificationem, atque ex his, quæ eadem sessione can. 3. statuit de gratia omnem actum fidei, spei, & dilectionis, quibus ad justificationem disponimur, præveniente. Observarunt quoque hisce thesibus renovasse Quesnellum propositiones Baji 35. & 40. necnon 8. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. quibus asseritur infideles & impios, priusquam justificentur, utpote omni gratia destitutos, & servientes dominanti cupiditati, peccare in omnibus suis actibus. Vide Jacobum Fontana tomo 1. pagina 496. Epistolam V. Abbatis demonstrantis æquitatem Constitutionis *Unigenitus*, pagina 64. *Venin des* 101. *propos.* pagina 11. Opusculum inscriptum, *Veritas & æquitas*, pagina 38. Gregorium Cardinalem Selleri tomo 5. pagina 136. Bernardum Desirant p. 3. libro 28. pagina 122. Cardinalem de Bissy tom. 1. pagina 512. Institutionem Pastoralem Episcopi Svessionensis per Augustinianum Theologum latine redditam §. 8. pagina 58. *Les cent & une propositions qualifiées en detail*, pagina 74. Hinc vero perspicuum est nullam a Quesnello admitti gratiam ante fidem perfectam, nullam in iis, qui sunt extra Ecclesiam, nullam denique in peccatoribus ad justificationem se disponentibus.

Augustinensium Catholica & orthodoxa doctrina.

III. Orthodoxiam Augustinianæ Scholæ, atque oppositionem cum præfatis Quesnelli erroribus, aperte scripta nostra declarant. I. Disputantes enim libro 15. adversus Semipelagianam hæresim ostendimus cap. 4. necessariam esse gratiam prævenientem ad fidei initium, ac *divini muneris esse, ut oremus, petamus, quæramus, atque pulsemus*, uti de dono perseverantiæ cap. 23. ait Augustinus. Perspicue etiam eodem capite docuimus distinguenda esse in fide sanctam cogitationem, & collustrationem mentis, deinde inspirationem sanctæ voluntatis audiendi Evangelium *ex desiderio salutis*, tum deliberatum assensum, & actum ipsum credendi, probantes, & auctoritate canonum, Patrum testimoniis, exemploque Cornelii, Zachæi, & Nathanaelis confirmantes quidquid adversus 26. & 27. propositionem Quesnellianam prælaudati Theologi produxerunt. II. Insuper differentes de operibus eorum, qui destituti sunt gratia fidei, libro 18. cap. 2. prop. 4. demonstravimus auctoritate Augustini disputantis contra Julianum, etiam infideles aliquando bona opera facere *ex gratiæ adjutorio*; ibique produximus exemplum Polemonis, cujus continentiam adscribendam gratiæ censet ipsemet Sanctus Pater ob ea, quæ leguntur Sapientiæ 8. *Nemo esse potest continens, nisi Deus det.* Propositione autem prima ejusdem capitis statuimus tum ab infidelibus ante fidem perfectam, tum ab impiis ante justificationem plura fieri, quæ nequeunt censeri peccata, producto Tridentino canone, damnatisque Witclefi, & Michaelis Baji propositionibus. Infidelibus item, necnon pervicacissimis peccatoribus conferri *sufficientem gratiam* (quamquam non semper, ut adversarii nostri contendunt) eodem libro cap. 8. sæpenumero testati sumus. III. Demum, ne ab eodem libro discedamus, neque de re notissima prolixiori oratione tractemus, secundo capite præcitato expresse refutavimus dogmata Baji & Quesnelli, propterea quod ante remissionem peccatorum in impiis, in catechumenis, & non semel in infidelibus inveniuntur bona opera facta supernaturalis gratiæ adjutorio; Tridentini vero doctrinam de dispositionibus, quæ justificationem præcedunt, libro undevicesimo cap. 4. pro nostra virili explicavimus propugnavimusque, immunes propterea ab omni labe erroris Quesnelliani paullo supra descripti. Appellamus autem criminatorum oculos ad ea, quæ mandavimus literis in tertio Theologicarum disquisitionum Volumine pagina 246. 250. 383. 388. 390. 437. & 490.

§. III.

Sequuntur errores Quesnelli circa Dei voluntatem salvandi omnes, & circa Christi mortem ac redemptionem.

Propos. Quesnelli 30. usq. 33.

I. PRoximæ propositiones quatuor enuntiantur a Quesnello adversus voluntatem, quam Deus habet, salvandi omnes, & adversus mortem Christi, redem-

redemptionemque hominum universorum: In propositione itaque XXX. dogmatizat omnes *infallibiliter* per Christum salvari, quoscunque Deus vult ut salventur. Ait in XXXI. impleri, & consequi effectum suum omnia prorsus desideria Christi, ac semper obtinere intimam cordis tranquillitatem eos omnes, quibus illam Christus ipse peroptat. In XXXII. asserit Jesum Christum se morti tradidisse, *ut pro semper liberaret* de potestate angeli exterminatoris primogenitos, ideſt, *electos*. Addit in XXXIII. oportere, ut bonis terrenis & sibimetipsi renuntiet, quisquis fiduciam habere vult sibi appropriandi Christum Jesum, ejusque amorem, mortem, & mysteria, quemadmodum fecit Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*.

Sensus Quesnellianus.

II. Negat Quesnellus in his propositionibus, velle Deum, ut aliqui salvi fiant, præter prædestinatos electosque, qui certissime salvantur. I. Hunc Jansenii errorem notant XLII. Episcopi in sua Pastorali Institut. pag. 36. ubi ajunt insinuasse Quesnellum, *que Dieu n' a voulu sauver, que les seuls Elûs, & que Jesus Christ n' a formé des souhaits, & qu' il n' est mort pour le salut, que des seuls predestinez*. Similia centum Episcopi art. 3. pag. 19. ubi sapientissimi monent, quibusdam maxime fidelibus dari per Christum *moyens plus immediats, & des secours plus abondants pour se sauver*; atque ad electos extendi *une volonté très-speciale & absolutée*; tametsi in voluntate conditionata, & in communi redemptione singuli comprehendantur. Negari a Quesnello prop. 30. & 31. voluntatem salvandi alios, præter electos, recte scripserunt Cardinalis de Bissy tom. 1. p. 573. Desirantius lib. 30. pag. 167. ubi ingeniose distinguit *inter voluntatem salvandi*, & *voluntatem salvantem*, Vanden-Dyck in *Clementina*, seu adversus *Theologiam Supplicem*, pag. 111. & Jacobus Fontana tom. 1. pag. 556. ubi ait pravum Quesnelli sensum *patulum esse, nullique obnoxium dubitationi*. II. Una cum voluntate Dei salvandi omnes constat Quesnellum negasse mortem Christi pro *omnibus*, & in quintam Jansenianam impegisse. Refert auctor opusculi, cui titulus, *Veritas & æquitas*, *&c.* pag. 42. Quesnellum versiculo 20. capitis XVII. Joannis hunc Jansenio affectu affixisse titulum, *Jesus orat pro electis*, atque in Officio *Portus Regii* sublatum fuisse ex hymnis, *Jesu Redemptor omnium*. Vociferantur Vindices Quesnelli, Christum dici mortuum pro solis electis, quatenus hi vocantur *secundum propositum*, eisque præparatur donum finalis perseverantiæ: sed præterquamquod Quesnellianæ propositiones indefinite, neque apposita ulla tali limitatione enuntiantur; constat ex propos. 12. juxta Quesnellum ex Dei voluntate & redemptione Christi consequi effectum *indubitabilem*, ideoque eos, qui *infallibiliter* non salvantur, minime fuisse redemptos. III. Quid sibi velit Quesnellus prop. 33. subobscurum videtur, quibusdam apud Vanden-Dyck pag. 141. asserentibus innovasse hæresim *Fraticellorum*, qui ajebant neminem posse habere in Christum fiduciam, nisi terrenis omnibus per voluntariam paupertatem abdicatis; quibusdam aliis apud auctorem Opusculi, *Veritas & æquitas*, *&c.* thesim illam damnatam existimantibus, quod fiduciam locandam esse pronuntiet, non in Dei promissis, & in Christo Mediatore, sed in sola terrenorum bonorum renuntiatione. Arbitramur autem nos illam esse furculum quemdam præcedentium, planissimumque sensum illius esse, reprobos, & qui nondum terrenarum rerum cupiditate sunt expediti, dicere non posse fiducialiter cum Apostolo, *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; atque ita Quesnellum captiose indicare, Christum non esse mortuum pro omnibus, nec posse quemlibet sibi applicare productam Pauli sententiam. Ita in ea propositione, fascino dolosæ pietatis obducta, Jansenianam hæresim detexerunt Antonius Rolliers in suis Reflexionibus cap. 2. pag. 21. Jacobus Fontana tom. 1. pag. 695. & Cardinalis de Bissy in Tractatus Theologici parte prima, pag. 576. Videtur propterea Quesnellianam pravitatem aperta ratiocinatione evincere auctor celebris Opusculi, cui titulus, *Les cent & une propositions qualifiées en detail*. „ Il fait ensuite (inquit de Quesnello pag. 32.) un second pas en disant, qu' il *faut comme Saint Paul, renoncer à toutes les choses de la terre, & à soi meme, pour pouvoir dire comme cet Apôtre avec confiance: Jesus-Christ m' a aimé, & s' est livré pour moi*. En lisant ces paroles, un lecteur attentif se demande naturellement à soi-même: puis-je dire comme Saint Paul, que Jesus-Christ m' a aimé, & s' est livré pour moi? On m' avertit qu' il n' appartient pas à tout le monde de parler ainsi; mais qu' il faut avoir renoncé, comme cet Apôtre, à toutes les choses de la terre, & à soi même, pour pouvoir tenir ce langage avec confiance. Cependant si Jesus Christus étoit mort generalement pour tous les hommes, il me suffiroit d' être homme pour pouvoir dire, *Il m' a aimé, il s' est livré pour moi*. „ Hinc habes, Quesnellum tria in recensitis thesibus dogmatizasse, Deum nolle salutem omnium hominum: Christum pro omnibus nequaquam mortem oppetiisse: nec omnes in ejus morte posse spem ac fiduciam suam collocare.

Sententia Augustinensium oppugnantium Quesnellianam.

III. Quid vero nos, quid Augustinianæ doctrinæ propugnatores? I. Nos quidem, ac nostrates omnes credimus Deum optimum maximum electorum suorum, quos *secundum propositum voluntatis suæ* prænovit, segregavitque a ceteris, peculiarem gerere providentiam, eisque uberiora gratiarum munera, *quibus certissime liberentur*, intuitu meritorum Christi præstitisse; quod non tantum memorati Galliarum Antistites tradiderunt, sed ii omnes tenentur docere, qui unum præ altero eligi credunt, & perseverantiam specialissimum donum esse cum Tridentinis Patribus asseverant. Verum si de voluntate illa loquamur, quam Scholæ appellant *antecedentem*, & quæ subtili indagine, nec eadem ratione a Scholasticis solet exponi, versari illam circa salutem omnium, nec sterilem esse, atque prorsus inefficacem, sed universis media ad consequendam salutem necessaria præparavisse, docuimus lib. v. cap. 1. Prophetarum testibus, qui nos sæpe monent Deum nolle *mortem impiorum*, *sed ut convertantur & vivant*, verbisque Apostoli Pauli nos hortantis ut oremus pro omnibus, quoniam *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Quomodo etiam Jansenii testimonia Augustini disputantis contra Pelagianos a voluntate *absoluta*, & quæ est de rerum effectu, ad voluntatem conditionatam, & solam rerum possibilitatem, & quæ ad hanc requiruntur certo inferentem, imperite detorqueant, eo loci demonstrare curavimus. II. Quid vero de morte Christi pro omnibus sentiamus, quoniam declaratum est uberiori stylo dissertat. 4. ac nonnulla quoque repetita sunt paullo supra cap. 2. num. 3. omnibus compertum esse confidimus: & si qui sunt, qui hæsitent adhuc, sciant nos, tum laudato libro sexto cap. 1. tum lib. 17. cap. 3. necnon libro 28. cap. 9. sincero animo propugnasse quod Paulus frequenter repetit, Patres docent, Augustini demonstrantis originalis peccati transfusionem argumenta confirmant, conclamantque piissimi Jesu vulnera ac preces, ita unum pro omnibus *mortuum esse*, quemadmodum omnes in Adam *mortui sunt*. Hoc tantum nobis licere putamus, dogma istud fidei defendere absque præsidio opinionum, quæ in Theologiam superiori ætate irrepserunt, & quæ Catholicorum Scholas in partes discindunt, rati non esse dogmata fidei exigenda ad Scholasticas concertationes, in quibus veteres a Junioribus, nostrique Proceres a Mediſtis salva Fide dissentiunt. Hujus autem rei, quamquam necessum non est proferre rationem, quum satis apparet petendam non esse credendi normam a fluxis opinionibus hominum privatorum, sed ab Ecclesiasticis definitionibus, a traditione Patrum, atque a Theologorum constanti, communique sententia; præcitato tamen libro 17. capite 4. momenta, rationesque produximus. III. Omnibus denique, tametsi improbi sint, & gravati iniquitatum suarum pondere, sperandum esse, ac summam fiduciam, (quæ tamen salutarem timorem, & sollicitudinem non excludat, nec degeneret in præsumptionem atque inanem jactantiam) in Christo Redemptore locandam esse, scripsimus ac demonstravimus lib. 23. cap. 11. differentes *de spe*, ibique inter ceteras sperandi causas eam protulimus, quam in Psalmum 148. ita proposuit beatissimus Augustinus: *Promissionis Dei tales arrhas accepimus; tenemus mortem Christi, tenemus Sanguinem Christi*. Undique igitur Quesnellianos errores execramur, profligamus, evertimus, ut dicta nuper evincunt: quæ Theologica methodo, atque uberiori doctrina exponuntur ac demonstrantur tom. 1. *Theolog. Discipl.* pag. 387. & 391. tom. 3. pag. 347. & 351. tom. 4. pag. 449. & tom. 5. pag. 448.

§. IV.

Enuntiationes Quesnelli de gratia naturæ integræ.

Propos. Quesnel. n. 34. *usq.* 37.

I. AD gratiam collatam primo homini pertinent proximæ quatuor propositiones. XXXIV. in qua asseritur gratiam Adami produxisse merita duntaxat *humana*. XXXV. quæ ipsam Adami gratiam appellat *sequelam creationis*, ac debitam fuisse ait naturæ primitus institutæ, & adhuc integræ. XXXVI. hanc differentiam constituens inter gratiam Adami ac status innocentiæ, & gratiam Christi hujusque status, quod primam unusquisque recepisset *in propria persona*, ista vero recipitur tantummodo *in persona Jesu Christi*, qui a mortuis surrexit, & cui nos conjungimur, atque unimur. XXXVII. propositio exprimit gratiam Adami, *sanctificando* illum in semetipso, fuisse *ei proportionatam*; gratiam vero Christianam, nos *sanctificando*

tando in Christo Jesu, esse gratiam omnipotentem, digneque Unigenito Filio Dei. Atque hæ sunt Quesnellianæ proscriptæ theses, quantum attinet ad sonum complexumque verborum.

Istarum propositionum sensus reprobandus.

II. Sensus vero istarum thesium judicio XLII. Episcoporum pag. 38. est, merita Adami nullum aliud habuisse principium, præter gratiam duntaxat *naturalem*, quæ a naturæ conditione esset prorsus *inseparabilis*, nec merita aliqua producere posset, quam merita *tantum humana:* horum autem Episcoporum verba produximus præcedenti Volum. dissert. 2. cap. 1. §. 4. Ostendimus eo loci testimoniis Jacobi Fontanæ, Cardinalis Bissy, Cardinalis Selleri, aliorumque, Quesnellum in statu naturæ integræ agnovisse gratiam, quæ non excederet naturæ ordinem, quæ esset naturalis proprietas, & quæ non esset donum naturæ superadditum, gratiam nempe Pelagianam, eamque tantum significatione dignam *gratiæ* nomine, juxta quam *gratia* dicitur ipsa natura, in qua conditi fuimus nullis meritis præcedentibus. Rursus de hoc Quesnelli sensu egimus dissert. 5. cap. 2. §. 5. Addamus testimonium centum Episcoporum, qui pag. 22. docent juxta Augustinum de Prædest. SS. capit. 15. nu. 31. merita Adæ dici humana, *dans un sens très-catholique:* cavendum vero, ne cum Quesnello dicantur *humana tantummodo*, scilicet comparata absque adjutorio gratiæ supernaturalis, *qu' on ne peut sans erreur confondre avec les dons naturels, ou inseparablement attachez à la nature*. Quare adversus 34. & sequentem propositionem Quesnellianam opus est, ut in Adam agnoscamus cum Augustino cap. 106. Enchiridii, & cap. 11. de Corrept. & Grat. *supernaturale adjutorium*, sine quo promereri non poterat, neque in accepta justitia perseverare. II. Quantum vero ad propositionem 36. temere & audacter Quesnellus ait, inter gratiam Adami, & gratiam Christi istud versari discrimen, quod illa ab omnibus reciperetur, hæc vero non recipiatur nisi ab iis, qui per fidem & caritatem conjuncti sunt Christo: hinc enim, si id verum esset, sequeretur infideles, & impios nunquam gratiæ Christi fieri participes. Atque id revera Quesnellum dogmatizasse eruitur ex ejus propositionibus secundo §. recensitis. Sed cubat in eadem propositione sensus alter, & Novatorum damnata hæresis; nam cum loquatur Quesnellus *de gratia sanctificante*, qua efficimur viva in Christo membra, eique per caritatem unimur; asserendo hanc gratiam recipi *in sola persona Christi*, significat hominem non justificari per inhærentem justitiam, sed per solam imputationem justitiæ Christi; quod canone 10. sess. 6. damnatum est a Synodo Tridentina. Hunc vero sensum in Quesnelliana positione redarguunt Henricus Cardinalis de Bissy tomo 1. pag. 732. Auctor Opusculi inscripti, *Veritas & æquitas*, pag. 47. Jacobus Fontana tom. 1. pag. 767. Dominicus Viva pag. 244. aliique plurimi. Desirantius tamen lib. 36. seu p. 4. pag. 28. negat Quesnellum hæresi *de justitia imputativa* adhæsisse; at nihilominus ait manifestam esse propositionis pravitatem, dum aperte negat a nobis gratiam recipi *in propria persona*. III. Propositio autem 37. rursus demonstrat Quesnellum in statu innocentiæ admisisse gratiam naturalem & Pelagianam; dum vero addit gratiam hujus status esse *omnipotentem*, confirmat errorem, & hæresim propositionum, de quibus §. 1. hujus capitis, & quæ gratiam *sufficientem*, & *libertatem indifferentiæ* a statu corruptæ per peccatum naturæ procul arcent. Recte Auctor Opusculi, *Les cent & une propositions qualifiées en detail* pag. 77. hanc trigesimam septimam vocat, *suspecte de Pelagianisme par cette grace proportionnée à l' homme, la quelle sent une grace d' un ordre purement naturel: & de Jansenisme par la grace tout-puissante, la quelle sent fort la grace irresistible*. Idem est ceterorum judicium. Vide Cardinalem de Bissy citato in loco pag. 734. Jacobum Fontanam pag. 786. librum, cui titulus, *Veritas & æquitas*, pag. 48. Quoniam tamen hæc propositio XXXVII. aperte agit *de gratia sanctificante*, perspicuum arbitror, denegari a Quesnello in Adam gratiam habitualem, & justitiam asseri connaturalem, non vero naturæ superadditam, ideoque renovari Bajanos errores; de quibus cap. 1. hujus dissertationis §. 1. gratiam vero sanctificantem hujus status dici *omnipotentem*, quoniam amitti nequit, si non sensu Calviniano, & Lutherano, Jansenio saltem, scilicet per resistentiam liberi arbitrii. Ita de hac propositione XXXVII. Desirantius p. 4. pag. 54. & Vanden-Dyck pag. 105. Constat ergo ex horum complexione adversus Quesnellianas theses admittendam esse in statu naturæ integræ gratiam habitualem, & actualem, naturæ superadditas, distinctasque a naturalibus donis, & a gratia Pelagianorum; in hoc autem statu gratiam cum *habitualem*, quam justi inhærentem habent, & in suamet persona recipiunt, ac insuper pro sua libertate possunt amittere, tum *actualem*, cui liberum arbitrium valeat obtemperare, aut resistere.

Doctrina Augustinensium

III. Jam diximus §. 1. & 2. refelli in scriptis nostris ea Quesnellianæ doctrinæ capita, quæ spectant ad actualem hujus status gratiam, quæ iis etiam, qui Christo uniti non sunt, misericorditer impenditur, & liberum arbitrium adjuvat ac perficit, sed non interimit, nec trahit invincibili necessitate. At cetera etiam Quesnelli placita a nobis refutata sunt, & reprobata. I. De gratia Adami egimus supra cap. 1. §. 1. discurrentes per articulos Baji, quibuscum concordare Quesnellianos asserunt omnes Clementinæ * Constitutionis propugnatores. Præterea disput. 2. cap. 2. demonstravimus primum hominem conditum fuisse cum gratia sanctificante, naturæ ordinem excedente, atque exornatum supernaturalibus donis, & adjutorio *sine quo* perseverare non poterat; quoniam Augustino, aliisque Patribus hoc tradentibus, solius naturæ viribus nunquam in accepta justitia stetisset, nec consequi potuisset beatitudinem. Vide cap. 1. §. 1. num. 3. Huc etiam spectant, quæ scripsimus lib. 4. *Theolog. Disc.*, potuisse primum hominem, ut fecerunt angeli sancti, permanere *per liberum arbitrium*, ac merita humana, ut inquit S. Pater de Prædest. SS. cap. 15. periisse per Adam, quoniam ipse Adam perseverare potuit, non per liberum arbitrium sola nativa vi operans, sed per liberum arbitrium suffultum adjutorio versatili, nunc apparere quid possit gratiæ beneficium, quoniam adjacent nobis carnalis appetitus illecebræ, ac privati sanitate primæva imploramus auxilium Christi, quo & possimus, & velimus. Atque ita sectantes Augustini vestigia incedimus media quadam regiaque via inter Quesnellianos, Bajanosque negantes primæ conditionis gratiam, eamque naturalibus muneribus accensentes, ac inter Semipelagianos moleste ferentes ita dividi gratiam, ut primo homini datum sit *posse perseverare*, nunc vero *perseverantia ipsa donetur*. II. Justificari autem impios per caritatem & gratiam ipsis inhærentem, non autem sola imputatione justitiæ Christi, neque in hujus tantum persona, sed in cordibus eorum, qui justificantur, per Spiritum Sanctum caritatem diffundi; antequam vero id contingat, per inspirationem actualis gratiæ peccatores sese ad justificationem consequendam disponere, decimonono libro cap. 2. & 4. demonstravimus adversus Heterodoxos; ideoque Quesnellum his judicio doctissimorum virorum, quos supra commemoravimus, adhærentem simul confiximus atque oppugnavimus. III. Capite ejusdem libri postremo, Scripturarum auctoritate, Majorum traditione, invictisque argumentis ex Augustino depromptis, demonstratum est justos, quandiu vitam agunt mortalem, posse gratiam & caritatem amittere, & quidam libero lapsu, ad quem vitandum tenetur assiduis precibus postulare gratiam auxiliatricem, & cum timore & tremore salutem suam operari: ideoque & hac in parte a Quesnellio discessimus, (si velis illum præter tot ac tanta errorum portenta justitiam quoque *inamissibilem* excogitasse) fideique nostræ occurrent ampliora argumenta legenti volumen 1. Theolog. discipl. pag. 338. & volumen 3. pag. 476. 490. 531.

* *Unigenitus.*

Vide Epist. Hilarii ad Augustinum. 5. Tom. x. pag. 786.

§. V.

Sex Quesnelli propositiones circa vires liberi arbitrii primo peccato inclinari.

Prop. Quesnel. 38. usq. 43.

I. AGit Quesnellus in quinque proximis propositionibus de libero arbitrio absque gratia sibique relicto, in quadragesima autem tertia de ipsomet libero arbitrio simul cum gratia per Baptismum collata. Propositione XXXVIII. enuntiat peccatorem absque *gratia Liberatoris*, (de qua gratia recolendum est quid vigintiquinque primis propositionibus dogmatistes asseruit) non esse liberum, *nisi ad malum*. Duabus proximis XXXIX. & XL. pariter docet voluntatem, quam *Christi gratia* non prævenit, posse tantummodo *aberrare, in præcipitium ruere, ac sese vulnerare*; capacem esse cujuscunque mali, omnisque prorsus boni incapacem, nil posse amare nisi in sui perditionem, ac damnationem. In XLI. affirmat, omnem, *etiam naturalem*, cognitionem, quam Philosophi Ethnici habuerunt, non posse venire nisi a Deo, *sine gratia* autem producere præsumptionem, vanitatem, atque pervicaciam, qua Deo opponimur & reluctamur, loco piæ affectionis, cultus, amoris, gratique animi, quem ipsi Deo exhibere tenemur. XLII. definit absque *sacrificio fidei*, ad quod offerendum *sola Christi gratia* reddit nos aptos, nihil in nobis adinveniri, nisi *impuritatem* atque *indignitatem*. XLIII. contra dogmatizat gratia baptismali id primum in nobis effici, ut ita *moriamur peccato*, ut spiritus, cor, sensusque noster non habeant pro ipso peccato plus vitæ, quam homo *mortuus* habeat pro rebus mundi.

Sensus Quesnellianus.

II. Quadraginta Episcoporum judicio in *Instruct. Pastorali*

Paſtorali pag. 37. in prioribus quinque propoſitionibus Queſnellus tradidit hominem abſque gratia Liberatoris neceſſitate impelli ad peccatum. *Dans ces principes* (inquiunt) *l' homme n' eſt libre, que pour le mal, il ſe trouve neceſſairement determiné au peché, & ne à pour toute liberté que le choix du crime.* Cumque ſolam gratiam efficacem Queſnellus admiſerit, eamque neceſſitantem; damnatæ propoſitiones exprimunt illam ad malum determinationem haberi etiam ſub gratia ſufficienti, atque, ut ajunt laudati Antiſtites, *ſans la grace, qui a toûjours ſon effet.* Idem docent centum Epiſcopi pag. 28. exigentes adverſus damnatas theſes, ut fateamur liberum arbitrium ita cooperari gratiæ excitanti, ut huic valeat obſiſtere, & reluctari, atque cum Auguſtino de Grat. & lib. arbitrio cap. 2. & 4. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 5. & de corrept. & grat. cap. 2. defendamus liberum arbitrium ad bonum & malum etiam in hoc infirmitatis ſtatu perſiſtens. Auctor item Opuſculi, cui titulus, *Veritas & æquitas, &c.* propoſitionem XXXVIII. & duas proximas appellat *ſuſpectas de hæreſi*, propterea quod innuant *ſine gratia efficaci*, & *abſque caritate dominante* peccari in omnibus, liberum arbitrium eſſe *titulum ſine re*, omniaque opera, quæ ante juſtificationem fiunt, eſſe vera peccata. Ita pag. 50. In parvo etiam libro inſcripto, *Les cent & une propoſitions qualifiées en detail*, prænotatur propoſitiones, de quibus ſermo eſt, accipiendas eſſe, *pour la grace efficace, ſans la quelle on eſt dans l' impuiſſance de faire le bien, ou pour la charité dominante, ſans la quelle* (in ſenſu Queſnelliano) *on eſt neceſſité a pecher en tout ce que l' on fait.* Jacobus item Fontana tom. 2. pag. 5. ait ſenſum, qui ab Auctore intenditur, eſſe peccatorem deſtitutum auxilio, *cui reſiſtere nequeat, & voluntatem boni indeclinabilem inferente*, neceſſario delinquere; quippe non aliam gratiam, quam *omnipotentem*, & *quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, Queſnellus intellexiſſe convincitur ex X. XI. ac XXXVII. propoſitionibus. Idem ſentiunt Pius Vanden-Dyck in *Clementina* Vindicata §. 8. pag. 220. Dominicus Viva pag. 254. Epiſcopus Sueſſionenſis in 1. Inſtitut. Paſtorali n. 22. & Antonius Rolliers cap. 4. pag. 23. ſuarum Reflexionum. II. Prædicti omnes auctores alium ſenſum in Queſnello damnatum animadvertunt, in his ſcilicet propoſitionibus inter peccata cenſeri officia illa moralium virtutum, quæ fiunt *abſque gratia*, quoniam in Queſnelliano ſyſtemate *l' homme deſtitué de la grace ne pout plus être determiné à agir que par le mouvement de la concupiſcence, qui l' entraine vers le peché*, inquit Cardinalis de Biſſy tom. 1. pag. 776. Auguſtinianos omnes rejicere hunc ſenſum conſtat ex diſſ. 3. ubi oſtendimus illos, etſi non admittant officia virtutum moralium *undique* bona abſque gratia actuali, non tamen ea exiſtimare ſecundum ſubſtantiam, & *intrinſecus* mala, ac multo minus exigere ad vitandum peccatum gratiam cum remiſſione peccatorum conjunctam, & caritatem prædominantem; qua in re Bajum & Queſnellum exorbitaſſe fuſe oſtendimus in priori, & in tertia diſſertatione, ibidem quoque animadvertentes diſcrepantiam Gregorii Ariminenſis a Bajo ex Vindiciis Noriſianis. Quod, facta hoc in loco mentione Cardinalis de Biſſy, duximus repetendum; is enim pag. 773. ſententiam Ariminenſis *a nullo alio* traditam, & ab Eccleſia *proſcriptam* putat, duplici deceptus errore, ut conſtat ex citata diſſert. 3. pag. 322. ubi permultos laudavimus Gregorio adhærentes. III. Perſpicuum item eſt, Queſnellum in præmiſſis enuntiationibus nil boni *abſque fide* agnoviſſe, & cum Bajo damnaſſe omnia infidelium opera, nec fidem qualemcumque neceſſariam putaſſe, ne quod agitur ſit *impuritas* atque *indignitas*, ſed talem fidem, quam *caritas imperet, aut comitetur*; ut inquit, atque ex cohærentia aliarum propoſitionum evincit Jacobus Fontana tom. 2. col. 139. cui ceteri aſſentiuntur. IV. In propoſitione demum XLIII. juxta auctorem Opuſculi, *Les cent & une propoſitions qualifiées en detail*, latet Lutheranæ hæreſeos ſuſpicio, ſcilicet, collatam baptiſmo juſtitiam amittit non poſſe, aut per illam penitus concupiſcentiam extingui. Jacobus Fontana pag. 239. tom. 2. idem aſſerit; obſervatque præterea errorem Queſnelli accedere ad apathiam Stoicorum, qui ajebant ſe immunes eſſe ab omni animorum perturbatione, necnon ad Quietiſtarum turpitudinem, & inſaniam. Legantur inſuper Deſirantius lib. 43. pag. 222. de Biſſy tom. 1. pag. 846. Epiſtola 7. Anonymi ad Epiſcopum pag. 87. & Vanden-Dyck pag. 415. Ex quibus omnibus conſtat adverſus theſes Queſnellianas afferendum eſſe, homines habere liberum arbitrium ad vitandum peccatum abſque gratia efficaci & neceſſitante, quam ſolam dogmatiſtæ propugnant: poſſe abſque gratia exercere officia quædam moralium virtutum, quæ non fiant *ex cupiditate*, a qua corrumpantur: non omnia quæ fidem præcedunt eſſe inquinamenta, ſordeſque; baptiſmate demum originale deleri peccatum, hominemque conſtitui adoptivum Dei filium, ſed in eo permanere concupiſcentiam ad agonem, acceptamque juſtitiam amittendi liberrimam poteſtatem.

III. Jam vero extra omnem dubitationem poſitum eſſe reor, tum in lucubrationibus noſtris, tum in Operibus noſtratium firmiter doceri, neminem, etſi actu careat gratiæ adjutorio, impelli neceſſitate ad peccandum; necnon ut homo dicatur poſſe obtemperare præceptis, minime requiri inſpirationem victricis gratiæ, quæ a nullo duro corde reſpuitur, ſcilicet effectricis & cum operatione conjunctæ: idque luculenter traditum de Theologicis diſciplinis tertio Volumine lib. 18. cap. 8. unde loca quædam exſcripſi diſſert. 4. cap. 2. §. 3. & 4. iſtarum Vindiciarum. Æque vero apertum eſt commendare nos officia virtutum, quæ ſine ſuperna gratia exercentur, tametſi Auguſtiniana Schola iis neget omnimodam virtutis rationem ineſſe; eoſque eſſe falſidicos, qui ajunt ſententia noſtra opera omnia, quæ in Deum minime diriguntur, fluere ex cupiditate, atque hinc labefieri, & corrumpi; quemadmodum tradidimus præcitato lib. 18. cap. 3. & 5. atque in tertia harum diſſertationum cap. 2. §. 3. & 4. necnon in 1. cap. 2. §. 1. & 2. atque cap. 1. hujus ſextæ diſſertationis §. 2. & 3. agentes de Bajanis articulis. III. Eadem ratione perſpicuum eſſe arbitramur ex lib. 18. cap. 2. ac ex tertia diſſertatione cap. 2. §. 2. agnoſci a nobis in Gentibus deſtitutis fide Chriſti, & gratia quoque carentibus, honeſta quædam officia, quæ ſecundum juſtitiæ regulam vituperare non poſſumus, litteriſque cubitalibus denegari, quod omnia illarum Gentium opera ſint germina cupiditatis, & appellanda ſint inquinamenta, aut peccata. IV. De gratia autem, quam confert regenerationis lavacrum, num Catholice ſentiamus, ac per omnia probemus Tridentinos canones, veterumque, & recentium dogmatiſtarum diſpungamus, ac refutemus errata; ſi quis de nobis formaverit præpoſterum, ſiniſtrumque judicium, nil temere proferat, niſi perlecto vigeſimoquinto capite libri XXIV. Theolog. diſcipl. ſive tom. 6. pag. 571. & ſequentibus.

Sententia noſtra oppoſita quoad omnes partes Queſnellianæ.

§. VI.

Queſnelli propoſitiones de caritate, & cupiditate.

I. AD caritatem vero pertinent quindecim Queſnellianæ propoſitiones, quę poſt nuper diſcuſſas locum tenent proximiorem. Propoſitio XLIV. enuntiat duo eſſe humanarum omnium actionum principia, *amorem Dei*, qui agit omnia propter Deum, quemque Deus remuneratur, & *amorem quo nos & mundum diligimus*, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum malus eſt. XLV. aſſerit in corde peccatoris, in quo non amplius regnat *caritas*, regnare *cupiditatem*, omneſque illius actiones corrumpere. XLVI. enuntiat bonum uſum ſenſuum *a caritate*, malum vero uſum *a cupiditate* proficiſci. In XLVII. XLVIII. XLIX. & L. traditur debere obedientiam legis profluere *a caritate*, & quidquid illinc non derivat, eſſe *hypocriſim*, *aberrationem*, atque *peccatum*; adeo ut ubi deeſt *ſpiritus caritatis*, falſa ſit juſtitia, & oratio quoque fruſtranea. Propoſitio LI. enuntiat Fidem *juſtificare* quando operatur, ſed nunquam operari niſi *per caritatem*. Propoſitionum LII. LIII. LIV. LV. LVI. & LVII. idem ſenſus eſt; ſignificant nempe, nil boni abſque *caritate* adinveniri, non fidem, non ſpem, non religionem; ac ſolam *caritatem* facere actiones Chriſtianas, iſtas ad Deum dirigendo: ſolam *caritatem* obtinere coronam & remunerationem a Domino: ſola demum *caritate* ipſi Domino honorem cultumque præſtari. Propoſitione vero LIX. concluditur *orationem impiorum* (in quibus non regnat caritas, ideoque in ſenſu Queſnelliano quidquid agunt, corrumpitur a regnante cupiditate) eſſe *novum peccatum*, ac proinde Deum, ſi orationem illam exaudiat, pœnam infligere, atque exercere *judicium*.

Propoſit. Queſnel. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. Additur 59. quæ eſt præcedentium furculus.

II. Doctiſſimi viri demonſtrarunt Paſchaſium Queſnellum in hiſce propoſitionibus nullum aliud principium bonorum operum agnoviſſe præter caritatem in juſtis prædominantem, quæ juſtificat, & quam Deus coronat & remuneratur; quem utique ſenſum ipſa damnatarum theſium verba dilucide præſeferunt, & commonſtrant. Perſtringunt autem Queſnellianum hunc ſenſum quadraginta duo Galliarum Epiſcopi in ſua Paſtorali Inſtitutione, §. *Eſt-celà le langage, &c.* pagina 53. Centum item Epiſcopi in Explicationibus ſuis, §. C' *eſt encore*, pagina 37. Jacobus *Le-Fontaine*, aliique plurimi, quorum teſtimonia collegimus diſſert. 1. cap. 1. §. 4. 5. & 6. neque ullam de pravo hoc damnatoque ſenſu dubitationem ſupereſſe cenſemus. II. Serpit ibidem ſenſus alter, æque noxius ac reprobandus,

Earumdem propoſitionum pravus ſenſus.

dus, nimirum neque fidem, neque ſpem, neque virtutem aliquam permanere in impio, *qui caritatem* amiſit, neque ab illo poſſe bonum aliquod opus exerceri: unde centum laudati Epiſcopi inquiunt: *Ce ſont donc autant d'erreurs contre la foy; & juſtement condamnées par la Bulle, de dire que le pecheur, qui perd la charité habituelle, perde en même temps la foy; qu'il n'y ait plus de ſentiment de crainte, ni acte d'eſperance, ni bonne oeuvre, ni culte, ni priere, ni religion pour le pecheur, qui a perdu la charité:* quod itidem aſſerunt alii quamplurimi, eadem prima diſſertatione recenſiti. III. Nec tantum in ſenſu Queſnelliano in impiis gratia, & caritate *habituali* carentibus pereunt virtutes omnes, & amore Dei non amplius in illorum corde regnante, in nihilum abeunt, atque evaneſcunt: verum etiam regnante ibidem *cupiditate*, omneſque actiones juxta Queſnellianum ſyſtema eliciente, vel imperante, neceſſum eſt, ut omnia opera, quæ juſtificationem, & diffuſionem caritatis dominantis, ſeu *habitualis* præcedunt, ſint germina ejuſdem noxiæ cupiditatis, intrinſecus mala, & peccata: quare ita centum Galliarum Antiſtites exponendo Queſnelliani ſenſus pravitatem immediate ſequuntur: *Que, lorſqu'il* (le pecheur) *a perdu cette vertu* (la charité habituelle) *la cupidité qui regne dans ſon cœur, corrompt toutes ſes actions, qu'il n'eſt plus que tenebres, erreur & peché;* ac ſimilia ceteri, qui de Clementina Conſtitutione, atque de proſcriptis in ea erroribus ſedulo pertractarunt. Quamobrem Catholici profiteri debent dari alia humanarum actionum principia *præter caritatem & cupiditatem habitualem*: in peccatoribus, in quorum corde *caritas habitualis* non regnat, permanere habitus aliarum virtutum, pluraque bona opera ante juſtificantem gratiam patrari; nec omnia, quæ ab iis exercentur, ſeu dum ſeſe ad juſtificationis gratiam diſponunt, ſeu dum exequuntur officia humanarum virtutum, eſſe mala & noxia germina cupiditatis.

Oppoſita Auguſtinenſium Theologorum ſententia.

III. Jam vero conſtat noſtra, aliorumque Auguſtinenſium ſententia plura ab homine fieri, non tantum laudabilia *ſecundum juſtitiæ regulam*, ſed etiam *ad juſtificationem diſponentia*, caritate habituali nondum in illius corde per Spiritum Sanctum diffuſa; ut animadvertimus paullo ſupra agentes de articulis Baji §. 2. num. 3. necnon in priori diſſert. cap. 2. §. 1. atque in Opere Theologicarum diſciplinarum pluribus in locis eodemmet §. 1. repetitis. II. Evidens quoque eſt defendi in Scholis noſtris permanentes *abſque caritate* habitus fidei, ſpei, aliarumque virtutum, necnon illorum actus pios, perutiles, atque ad juſtificationem diſponentes; quamvis *a caritate*, ſive a dilectione Dei benevola ac propter ſe (a qua tamen perfectionem virtutis nanciſci debent) ſegregati ſint, ac ſejuncti: quod utique ſcripſimus, ac demonſtravimus libro 21. 23. & 34. Operis Theologici, & locis illinc exſcripris confirmavimus pagina 111. & ſeq. prioris harum Vindiciarum voluminis. III. Illud præterea manifeſtiſſimum eſt ex prima diſſertatione cap. 2. §. 1. & 2. ex tertia, capite item 2. §. 2. & 3. atque ex teſtimoniis pluribus ibidem productis, neque nos, neque Auguſtinenſium aliquem rejicere inter noxiæ cupiditatis effectus quælibet opera, quæ *ex caritate* non fiunt; quum plura auxilio gratiæ patrata ad obtinendam juſtificationem diſponant; quædam alia, etſi non undique bona, non tamen ſint intrinſecus mala, neque a noxia cupiditate profluant & corrumpantur. Vide tomum 1. pag. 106. 107. 108. 402. 403. & 404.

§. VII.

Octo Queſnelli propoſitiones de Timore.

Propoſit. Queſnel 60. uſque ad 67.

I. COhærenter ad ea, quæ dicta ſunt, Queſnellus damnat, atque inter actus noxia cupiditate corruptos rejicit timorem gehennæ, qui expers ſit caritatis; prout ex ſequentibus poſitionibus conſtat. Enimvero propoſitione lx. inquit pœnitentiam, ſi hanc excitet *ſolus timor ſupplicii*, quo magis violenta eſt, eo magis ducere ad deſperationem. Propoſitione lxi. & lxii. aſſerit timore *nonniſi manum* cohiberi, & eum, qui non ducitur amore juſtitiæ, dum abſtinet a malo timore pœnæ, illud *in corde* committere, & coram Deo reum eſſe. Propoſitiones lxiii. lxiv. & lxv. enuntiant, eum, qui ex ſolo timore adimplet legem, eſſe adhuc *ſub lege*, ac ſi foret Judæus, immo eſſe *ſub maledicto legis*, quoniam peccatur ſive malum faciendo, ſive malum *ob timorem* evitando; legem vero, ac Moyſem, Sacerdotes, legiſque Doctores nullum Deo *filium* dediſſe, quoniam timorem incutiendo non effecerunt *niſi mancipia*. Duabus proximis propoſitionibus, ideſt lxvi. & lxvii. adeo Queſnellus timorem ſervilem deprimit, ut non vereatur aſſerere eos, qui per timorem Deo appropinquant, violenter adduci, atque *ad inſtar beſtiarum;* eumdemque timorem non aliam de Deo nobis ſpeciem ingerere, præterquam duri, imperioſi, injuſti, ac intractabilis Domini.

Senſus Queſnellianus.

II. Queſnellus in prænuntiatis articulis audacter opponitur Tridentinæ Synodo definienti ſeſſ. 6. cap. 6. peccatores *divinæ juſtitiæ timore utiliter concuti*, & ſeſſ. 14. cap. 4. eumdem timorem eſſe *donum Dei, Spiritus Sancti impulſum, atque ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponere*. His vero definitionibus adverſari præmiſſas theſes demonſtrant in ſua Paſtorali Inſtitutione pagina 43. & ſeq. xlii. Epiſcopi, atque in ſuis Explicationibus art. 5. pagina 41. centum Galliarum Antiſtites: quibus ſubſcribunt Jacobus Fontana tomo 2. col. 878. Joannes Joſeph Languet Epiſcopus Sueſſionenſis in 1. Inſtitut. num. 18. Card. de Biſſy tomo 2. pagina 193. Deſirant tomo 5. pag. 186. aliique omnes agentes de Queſnellianis dogmatibus. Neque enim aliud hæc ſonant, quam timorem peccato addicere, trahere ad deſperationem, peccatum eſſe: quod idem eſt, ac ſextum Lutheri articulum, & decimumquartum, ac decimumquintum ex 31. ab Alexandro VIII. proſcriptis, inſtaurare atque intrudere. II. Falſo etiam ac temere Queſnellus de lege inſtituit ſermonem, comparando baptizatum, qui timet æterna ſupplicia, Judæo timenti inflictionem pœnarum temporalium, ac aſſerendo veterem legem nonniſi *mancipia* peperiſſe, quaſi lex ſolum afferret timorem, dilectionem Dei non præciperet, omnique juſtificationis remedio careret: quæ omnia dogmatizans ulterius repetit prænuntiatam hæreſim, timorem ſcilicet eſſe peccatum, & a peccato abſtinentes *propter timorem* legem tranſgredi. Id vero prænuntiati Theologi animadvertunt, necnon auctor Opuſculi, *Veritas & æquitas, &c.* pagina 82. auctor libri, *Les cent & une propoſitions qualifiées en detail*, pag. 91. & auctor alterius Opuſculi, *Venin des 101. propoſitions*, pagina 21. & ſequenti. III. Queſnellus de timore loquens adeo deſipuit, & quoniam exiſtimavit actiones, quæ non emanant a caritate, originem ducere a cupiditate vitioſa, ut diximus ſup. §. & quoniam non diſtinxit *timorem ſervilem*, qui bonus eſt, *a ſervilitate*, quæ eſt mala: quamobrem ſcriptor Opuſculi nuperrime laudati, *Les cent, & une, &c.* de cujus pretio egimus diſſ. 1. cap. 1. §. 4. ita adverſus Queſnellianos ſcribit pag. 42. „ La crainte ſervile, qui nous fait eviter le peché à cauſe des chatimens, & la ſervilité de la crainte qui conſiſte dans la diſpoſition de commettre encore le peché, ſi l'on n'étoit retenu par la crainte du châtiment, ſont deux choſes biens differentes, & qu'il importe extremement de bien diſtinguer. Nous condamnons la ſervilité de la crainte, & nous réconnoiſſons en même temps avec le Concile de Trente, que la crainte ſervile eſt un don de Dieu. „ Itaque adverſus Queſnellianos articulos certiſſima fide tenendum eſt, timorem pœnarum eſſe donum Dei, bonum ac perutilem; non vero malum, noxium, & vitioſæ cupiditatis prolem veneficam: firmiter quoque credendum eſt eos, qui ob timorem gehennæ abſtinent a peccatis, non proinde peccare, ſed bene ſalubriterque timere, atque ita recta æquiſſimaque ratione ad amorem & ad caritatem perduci; ſedulo tandem, ut bonum a malo, & donum Dei ab hominum culpa ſecernatur, timor ſervilis *a ſervilitate diſtingui* debet.

Auguſtinenſium doctrina.

III. Quantum ab errore Queſnelliano diſtet Auguſtiniana doctrina, quæ ad gratiam in Sacramento conſequendam neceſſarium exiſtimat dolorem ex benevola dilectione conceptum, ea loca ſatis ſuperque demonſtrant, in quibus oſtendimus *timorem ſervilem* eſſe donum Dei, ſupernaturalem, ſubſtantia ſua bonum, coercere a malo, atque viam ſternere caritati. Id vero tradidimus lib. 21. cap. 4. ubi expreſſe rejectis Queſnelli theſibus affirmavimus timorem hunc oriri ex fide, atque ex conſideratione rectiſſimæ juſtitiæ Dei, hujuſque ſupremum dominium & æquitatem repræſentare, & cum divinæ majeſtatis reverentia conjunctum eſſe. Idem docuimus lib. 23. cap. 12. afferentes ſcripturarum, & Patrum teſtimonia, quæ ipſum timorem ſuadent, atque commendant, ac præſertim ex Auguſtino commonſtrantes quomodo eodem timore mala cupiditas coerceatur. Lib. autem 34. cap. 5. rurſus propoſitiones Queſnellianas refutantes oſtendimus timori adſcribendum non eſſe, ſi timens pœnam adhuc peccato adhæreat; ſed per timorem peccandi licentiam frænari potius & comprimi, eoque cohiberi effluentem animum, vetuſtamque frangi conſuetudinem. II. demonſtravimus quoque eo loci, timendo nec perpetrari peccatum, nec legem ſervari more quodam Judaico; itemque produximus diſcrimen inter comminationem temporalium malorum, quæ Judæi formidabant, timoremque æternorum ſuppliciorum, quem ſaluberrime incutit lex Chriſtiana. Quomodo vero lex vetus ſancta & immaculata erat, quomodo

cultum Deo exhibebat, & idololatriam ac superstitionem vetabat, insertis Patriarcharum vindiciis, præceptisque pertinentibus ad vitæ institutionem, ac ritibus, typisque futurorum expositis, vicesimo libro capite 6. & 8. pro modulo nostro significare, & declarare studuimus. III. *Servilitatem* quoque a timore distinguendam esse docuimus lib. 23. cap. 12. Sancti Thomæ, & illustrium Theologorum doctrinam propugnantes, juxta quam timor bonus est, quamvis *Servilitas* sit mala, quoniam eadem *servilitas* nullatenus spectat *ad substantiam timoris*: quod rursus declaravimus diss. 3. cap. 1. §. 6. num. 15. Adeat, qui plura desiderat, tomum VI. Theol. disc. pagina 210. 502. 503. ac tomum 7. pagina 551. 552. & 575. præcedentem quoque Refutationem *Bajanismi Redivivi*, pagina 365. & seqq.

§. VIII.

De reliquis Quesnellianis propositionibus.

Propos. tiones Quesnel. 68. &c.

I. BRevi damnatas alias theses percurram, quum illarum nulla objiciatur adversus Augustinianum systema, si excipias septuagesimam, quæ eadem est cum 69. Bajana, de qua cap. 1. hujus differt. §. 6. Propositionibus itaque LXVIII. & LXIX. commendatur Christiana fides, tamquam donum, in quo claditur *totum* ad salutem pertinens, ejusdemque fidei usus, augmentum & præmium *puræ Dei liberalitati tribuitur*. In LXX. asseritur nunquam Deum immittere innocentibus *afflictiones*, utpote quæ *ad puniendum peccatum*, *vel ad purificandum peccatorem* semper deserviant. Propositio autem LXXI. inquit posse hominem *ob sui conservationem* sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejusdem hominis utilitatem. Agitur a LXXII. usque ad LXXVIII. de Ecclesia, eique attributa hac nota, quod electos omnes, angelos homineſque comprehendat, statuitur ad illam eos tantum pertinere tanquam membra qui vivunt & aguntur *Dei spiritu*, quorum Christus *sanctificator* est, & qui non credunt tantum Evangelio, verum etiam *secundum illud* vitam instituunt, ita ut neque sit Ecclesiæ membrum, neque habeat Christum pro capite, quisquis *non ducit vitam dignam Filio Dei*. Proximæ octo propositiones, ideſt, a LXXIX. ad LXXXVI. suadere nituntur lectionem Scripturarum Sanctarum semper, ubique, & omni personarum generi necessariam esse, ac perutilem: nec laicis, nec fœminis fas esse se ab ea lectione dispensare ob illarum obscuritatem: diem Dominicum ipsa præsertim lectione sanctificari: maximam esse *illusionem* eorum, qui censent mysteria Religionis mulieribus communicanda non esse, atque abusum aliquem, vel errorem oriri posse ex illarum simplicitate: idem esse abripere e Christianorum manibus *novum Testamentum*, lectionemque *Sacræ Scripturæ* interdicere, atque obturare illis *os Christi*, lumen *filiis lucis* subtrahere, atque efficere ut patiantur speciem aliquam *excommunicationis*; id demum *intentioni Dei*, necnon *praxi Apostolicæ* contrarium esse. Tres propositiones, quæ sequuntur, nimirum LXXXVII. LXXXVIII. & LXXXIX. ad eos attinent, qui agunt paratorum scelerum pœnitentiam, enuntiantque esse modum sapientia & caritate plenum dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, atque ad minus satisfaciendi justitiæ Dei, antequam reconcilientur; eos autem, qui volunt *statim restitui* possessioni bonorum, quæ peccando amiserunt, ac detrectant ferre *confusionem* hujus separationis, ignorare quid sit peccatum, & quid sit vera pœnitentia; tunc denique pœnitentem habere jus assistendi sacrificiis Ecclesiæ, quando jam reconciliatus est. Ultimæ decadis positiones a XC. ad C. usque pertinent ad excommunicationem, atque primum ad auctoritatem excommunicandi requirunt *consensum*, saltem præsumptum, *totius Corporis* Ecclesiæ: docent metu excommunicationis injustæ neminem exire de Ecclesia, nec detineri debere, quin debitum suum adimpleat: injustum anathema *in pace* ferendum esse potius, quam prodere veritatem; qui enim hac ratione se gerit, *Apostolum imitatur*, non autem scindit unitatem, nec adversus auctoritatem erigitur: primos Pastores excommunicationem infligendo ductos *inconsiderato zelo*, ac *præcipiti festinatione*: pessimam ingeri de Ecclesia opinionem ejus inimicis, quando exercet dominatum *supra fidem* credentium: veritates eo devenisse, ut plerisque Christianorum sint *linguæ quasi peregrinæ*, & idioma quoddam incognitum, idque *a simplicitate Apostolorum* esse valde remotum, & signum quoddam sensibile iræ Dei, atque senectutis Ecclesiæ: permittente Deo omnes potestates contrarias esse prædicatoribus veritatis, & tamquam indigna & ab Ecclesia separata respici ac tractari ea membra, quæ *magis sancte*, & *magis stricte* eidem Ecclesiæ unita sunt: esse plerumque ultimam *probationem*, & maxime meritoriam, dum quis habetur *tamquam hæreticus*, *flagitiosus & impius*. Quorumdam denique præventione ac pervicacia multos, quos Deus posuit in Ecclesia ut essent odor vitæ, commutari *in odorem mortis*, atque idem evenire in libris, institutionibus, exemplisque bonis ac perutilibus, adeo ut advenerit tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem; ejusque discipulos rejici tanquam putrida membra, & indigna omni commercio cum Deo, necnon frequenter sacrificari diabolo *Dei servum*, dum credimus sacrificari Deo hominem *impium*. Addidit Quesnellus, ut maximum pleniſſimumque errorum cumulum excederet, propositionem centesimamprimam, in qua asserit nil magis opponi spiritui & doctrinæ Christi, quam *communia facere juramenta in Ecclesia*, atque id esse multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, atque efficere ut aliquando nomen & veritas Dei deserviant consilio impiorum. Atque hæc sunt, quæ in proscriptis Quesnelli propositionibus comprehenduntur atque enuntiantur.

Sensus prædictarum enuntiationum.

II. Harum propositionum pravitatem Theologorum Censorumque plurimi demonstrarunt: & quantum ad 71. attinet, in qua sermo est de legis divinæ dispensatione, (quæ enim de fide agunt, eique totum salutis negotium attribuunt, nimium favent Protestantibus, qui omnia salutis media *in sola fide* concludunt, assertisque Michaelis Molinosii, quæ inducunt virtutum, bonorumque operum contemptum; ac præterea Dei liberalitati totum tribuentes, cum liberam cooperationem nostram, tum meritum denegare videntur:) quod, inquam, ad 71. attinet, causam exhibet laxitatis, omniaque licere suadet. Nam si ob sui conservationem fas sit a lege seipsum dispensare, fieri poterit quidquid humanæ vitæ conducit, & fidem quoque abjurare licebit, minitantibus mortem persecutoribus. Adde naturalem legem nunquam admittere dispensationem: in divina autem & positiva non pro libito, hominumque arbitratu dispensandum esse, sed ex consulto, atque auctoritate Pastorum. Ita centum Episcopi pag. 17. §. *Enfin l' Eglise Catholique*, prædictam propositionem censura dignissimam esse evidenter evincunt. II. Propositiones autem de Ecclesia enuntiatæ, dum in ea prædestinatos tantum, justosque comprehendunt, eamdem Ecclesiæ notam constituunt, quam obtendunt Lutheri, Calvinique gregarii; ideoque Ecclesiam intrudunt acephalam, & absque visibili capite, excludunt a membris ejus scelestos & impios, & Episcopis quoque, ac presbyteris crimine aliquo irretitis, unionem mystici illius corporis, ideoque jurisdictionem potestatemque, cum Hussitis, aliisque Novantibus negant: quæ omnia Jacobus Fontana tom. 3. col. 408. ac sequentibus, Cardinalis de Bissy tom. 2. pag. 380. Episcopi Galliarum in sua Instit. pag. 47. §. *L' idée qu' on nous donne de l' Eglise*, Desirantius p. 6. pag. 30. aliique plurimi refutarunt. III. Propositiones, quæ agunt de lectione Scripturarum, temere carpunt Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem ac disciplinam, necnon monita Patrum docentium sæpe ex illarum lectione oriri offensiones, non quod Scripturæ ipsæ noxiæ sint, sed quod plerumque *infirmus sit legentium animus*, ut inquit Epistola 1. ad Chilonem S. Basilius. Probare quoque videtur Quesnellus praxim hæreticorum, sacros libros, ut a laicis feminisque intelligantur, patrio idiomate & vernacula lingua legentium, in Liturgiis quoque, sacrisque mysteriis: nec attendi quot errores invexerint mulieres divinis imbutæ litteris, ut secundo sæculo Maximilla & Priscilla, sæculo nono Thiota, & proxime elapso Guionia, atque Antonia de Bourignon. At lege Explicat. centum Episcoporum art. 8. pag. 53. Institutionem Episcopi Suessionensis num. 11. pag. 24. Opusculum inscriptum, *Veritas & æquitas &c.* pag. 102. Vanden-Dyck cap. 12. pag. 435. necnon alios superius recensitos, addita regula quarta Indicis Tridentini. IV. Quesnellianæ theses de pœnitentia non solum damnant eximiorem doctorum praxim, qua illi certe dispositis absolutionem statim impendunt; verumetiam dum ajunt præmittendam esse satisfactionem, approbant doctrinam Petri de Osma damnatam a Sixto IV. & propositiones 16. 17. & 18. ex confixis ab Alex. VIII. Dum vero Quesnellus insinuat eos, qui reconciliati non sunt, non habere jus assistendi sacrificio Missæ, opponitur Tridentino definienti sess. 22. nullos a sacrificio illo excludendos, nisi *publice & notorie criminosos*; ignorateque jus illud fundari in baptismo, quo efficimur Ecclesiæ membra, atque in ipsius natura sacrificii, instituti, ut supremo Domino cultus exhibeatur, ut redemptionis recolantur mysteria, atque ut venia peccatoribus impetretur. Legito Reflexiones Rolliers cap. 8. pagina 42. *Les cent & une propositions qualifiées en detail*, pag. 47. & 104. *Venin des 101. propositions*, pag. 36. *Veritas & æquitas Constit. Unigenitus*, pag. 110. *Explications* C. Episcoporum §. *Les grand pecheurs*, pag. 47. Jacobum Fontanam q. 3. pag. 1113. cæteroſque

que prælaudatos. V. Propoſitiones autem Queſnelli circa Excommunicationem omni jure proſcriptæ ſunt, quoniam dum requirit *præſumptum ſaltem conſenſum Eccleſiæ*, detrahit Pontificum & Epiſcoporum auctoritati, meritoque præſumitur quod ab excommunicationis vinculo eximere velit omnes illos, qui proteſtantur adverſus excommunicationem latam in provinciis *Batavo-fœderatis*; ut cap. 9. animadvertit Ant. Rolliers. Affirmans præterea Queſnellus eos, qui *in pace* ferunt inuſtum anathema, imitari Apoſtolum Paulum, uti recte obſervarunt art. 7. pag. 52. centum Epiſcopi, ac num. 15. prioris Inſtit. Antiſtes Sueſſionenſis, videtur ſuadere, ut ſuperba ſecuritate negligant media, quæ adhibere tenentur, ut a ſe inflictam excommunicationem amoveant, ac rurſus divinorum Sacramentorum participatione fruantur. Nec ſilentio prætereundum eſt, Queſnellum, dum inducere ſtudet excommunicationis contemptum, morem gerere ceteris Janſenianis, de quibus recte in Paſtorali documento anni 1714. doctiſſimi Galliarum Præſules, „ Les defenſeurs de Janſenius, qui ſe ſont revoltez contre l' Egliſe, & qui craignent avec raiſon les cenſures & les excommunications, font tous leurs efforts pour s' en garantir, &c. „ VI. Ob eamdem rationem Queſnellus invehitur in juramenta, ægre ferens perſonas de Janſeniſmo ſuſpectas ſubſcribere *Formulario*, ut inquiunt Auctor opuſculi, *Veritas & æquitas*, *&c.* pag. 130. Rolliers pag. Reflexionum ſuarum ultima, Vanden-Dyck cap. XI. §. 2. Epiſcopi Galliarum in docum. Paſtorali pagina 63. §. *Il n' eſt pas plus fidele à la verité*, atque in Explicat. pag. 62. art. 10. *Touchant les formens*, Sueſſionenſis Antiſtes §. 9. num. 27. aliique. Sane juramentum cum iis conditionibus, *in veritate*, *in judicio*, *& in juſtitia*, Theologi omnes approbant, Concilia & Pontifices jure exigunt, induci ad finiendas controverſias docet 2. 2. q. 89. art. 2. S. Thomas; & qui oppoſitum ſentiunt, impingunt in illum articulum 13. quo Synodus Conſtantienſis declaravit, *Ad mandatum Judicis juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad cauſam opportunam, etiam pro purificatione infamiæ, eſſe licitum.*

Sententia noſtra oppoſita Queſnelliane.

III. Reliquum eſt, ut demonſtremus ſententiæ noſtræ a Queſnelliana diſcrimen. Ac primo præter fidem, quam lib. 21. cap. 4. & lib. 23. cap. 10. aliiſque in locis *a caritate* ſecernimus, requiri ad ſalutem opera, atque in his non ſolam *Dei liberalitatem*, verum etiam liberam cooperationem, meritumque noſtrum adinveniri, liber 19. cap. 5. & 6. luculenter evincit. Diſcedere a lege, ſive, ut inquiunt, ſe diſpenſare (quod in lege naturali locum non habet, & in aliis legibus aſſenſum poſtulat legislatoris, vel ejus, in quem translata eſt juriſdicendi facultas, quemadmodum ſcripſimus lib. 20. cap. 5. & 21.) nemini arbitratu ſuo, propriique duntaxat commodi ratione habita licitum eſſe, commonſtrat brevis noſtra *de diſpenſatione* præceptio, tradita quarto Volumine Th. diſcipl. inter *juris & æqui Regulas*. II. De Eccleſia nondum peculiarem diſſertationem in lucem emiſimus: at libri hactenus a nobis editi perſpicue tradunt Romanum Pontificem tanquam viſibile Caput præeſſe Eccleſiæ, præditumque eſſe Eccleſiaſtica & politica poteſtate, lib. 20. cap. 16. Propugnamus Sacerdotes etiam improbos & ſceleſtiſſimos eſſe miniſtros ſacrorum myſteriorum, ideoque Eccleſiæ membra, lib. 30. cap. 14. Docemus fideles impios, etſi careant *gratia ſanctificante*, ornatos adhuc eſſe fide habituali, qua corpori Eccleſiæ ſunt conjuncti, lib. 23. cap. 10. quod utique ſufficit ad oppugnandam notam ipſius Eccleſiæ traditam a Queſnello, innixaſque eidem regulæ erroneas, ac de hæreſi valde ſuſpectas propoſitiones. III. Quid vero de Scripturarum Sanctarum lectione ſentiamus, erui poteſt ex noſtra diſſertatiuncula de Ritibus Sacramentorum, lib. 30. cap. 23. quo in loco refutavimus morem hæreticorum, qui promiſcue omnibus, laicis etiam ac feminis, necnon patria & vernacula lingua legendos proponunt ſacros utriuſque Teſtamenti libros, non abſque magno Chriſtianæ plebis offendiculo, atque adverſus veterem diſciplinam, Patrumque ſaluberrimam inſtitutionem. IV. Abſolvendos rite diſpoſitos, non autem inolita conſuetudine, & noxia, quam nolint vitare, occaſione implicatos, oſtendimus p. 2. lib. 34. cap. 8. & 11. ibique pluribus argumentis evicimus neceſſum non eſſe, ut ſatisfactio præcedat abſolutionem, 9. cap. theſibus Queſnellianis, una cum damnatis ab Alexandro VIII. expreſſe commemoratis, atque rejectis. De ſacrificio item Miſſæ, quod *propitiatorium* eſſe, & peccatoribus perutile demonſtravimus lib. 33. cap. 20. ita pertractavimus, ut nihil eorum, quæ ad fidem moreſque pertinent, in Theologicis Inſtitutionibus omiſerimus. V. Inſuper quæ ſcripſimus agentes de Eccleſiæ Paſtoribus, quibus lib. 20. cap. 16. vindicavimus poteſtatem *coactivam*, demonſtrantes hanc potiſſimum exerceri inflicta excommunicatione, atque exemplis Apoſtolorum, & Zoſimi, Babylæ, Ambroſii, Joannis Chryſoſtomi, aliorumque oſtendentes ad eam infligendam non requiri corporis Eccleſiæ conſenſum, ac magnopere eſſe omnibus formidandam, quidquid enuntiavit Queſnellus falſitatis revincunt, evidenterque refellunt. VI. Tandem juramenta, modo adſint præſcriptæ conditiones, licite fieri, atque a Judicibus utiliter exigi, docuimus in præcepta Decalogi lib. 20. cap. 8. Immo qua obedientia & religione ſubſcribendum ſit *Formulario*, parendumque Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, tradidimus lib. 17. cap. 6. ubi etiam ſacramento Janſenianam hæreſim ejuravimus, ad idem præſtandum parati, quotieſcunque opus fuerit. Adeas interim Theolog. diſcipl. Volum. 3. pag. 323. 363. & 375. Volum. 4. pag. 21. 65. 67. 119. 136. 139. 488. Volum. 6. pag. 143. & 280. Vol. 7. pag. 428. atque Vol. 8. pag. 149. & 194. pluraque adinvenies, quibus propoſitiones Queſnelli, de quibus in hoc poſtremo §. pertractavimus, ratione multiplici refutantur. Hinc vero colliges, non unam, vel alteram Baji, Janſenii, & Queſnelli propoſitiones, ſed omnes ac ſingulas in libris noſtris refelli. Eaſdem vero propoſitiones ſuomet ordine, atque ut ſonant, exhibent ſubjectæ Romanorum Pontificum Bullæ; quarum auctoritatem, & Apoſtolicas confirmationes legere quiſque poteſt lib. 17. cap. 1. & ſeqq. ubi egimus de rebus geſtis a Bajo, a Janſenio, a Queſnello.

BUL-

BULLA

SUMMI PONTIFICIS

SANCTI PII V.

Contra Michaelem Bajum.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

EX omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti tam luctuoso tempore substinemus, ille animum nostrum præcipue excruciat dolor, quod Religio Christiana, tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus in alios, atque alios errores, passim, & promiscue deferatur. Quantum vero ad nos attinet totis viribus conamur, ut illi simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: magno etenim mœrore afficimur, quod plerique spectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ, in varias sententias offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in scholis invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes.

I. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorum, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

IV. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratiæ; quo fit ut tantum merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

IX. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia, secundum usum Scripturæ, nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jesum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, nec merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

X. Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe manet, & corporis resurrectionem, proprie nonnisi meritis Christi adscribendam esse.

XI. Quod pie, & juste in hac vita mortali, usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est; nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur; sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

XII. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni Cælestis meritorium.

XIII. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda Filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

XIV. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio merentur accipere.

XV. Dicit, rationem meriti non consistere in eo, quod qui bene operatur habet gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solum, quod obedit divinæ legi: quam sententiam sæpius repetit, & multis rationibus probat, fere toto libro.

XVI. In eodem libro sæpius repetit, quod non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

XVII. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

XVIII. Dicit, opera Catechumenorum, ut fidem, & pœnitentiam ante remissionem peccatorum factam, esse vitæ æternæ merita, quam vitam non consequentur Catechumeni, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Videtur insinuare, quod opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem.

XX. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

XXI. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom. 2. " Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, Charitate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata.

XXVI. Et Philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVII. Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio; quam sententiam repetit, & probat per multa capitula.

XXVIII. Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

XXIX. Pelagianus est error, dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXX. Non solum fures ii sunt, & latrones, qui Christum, vitam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent: aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam inducatur, aut ab ea non superetur.

XXXI. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus juste, & recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator: vana est & commentitia; & ad illudendum Sacris literis, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

XXXV. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ oritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

XXXVII.

XXXVII. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

XXXVIII. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.*

XXXIX. *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate fiat, libere tamen fit.*

XL. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

XLI. *Libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.*

XLII. *Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.*

XLIII. *In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante baptiſmum, eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.*

XLIV. *Operibus pleriſque, quæ a fidelibus fiunt ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientiæ, & veræ legis juſtitiæ, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

XLV. *Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt ſacrificium quam generali illa, qua omne opus, quod fit ut ſancta ſocietate Deo homo inhæreat.*

XLVI. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ, & originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati, ſine ulla relatione ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.*

XLVII. *Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium; & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntati arbitrium. Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſecutus eſt, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.*

XLVIII. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto,* Non concupiſces.

XLIX. *Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.*

L. *Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum authorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.*

LI. *Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam qui cum majoribus.*

LII. *Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.*

LIII. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.*

LIV. *In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur; & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu.*

LV. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat: miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.*

LVI. *Quando per eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant (nam alioqui eſſemus, ſaltem aliqua ex parte, redemptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.*

LVII. *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

LVIII. *Celebris illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc eſt ad modum meritorium) commentitia eſt, & explodenda.*

LIX. *Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumſtantiis rectum eſt, & bonum (quod moraliter bonum appellari conſuevit) vel quia eſt meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Chriſti membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur.*

LX. *Similiter & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ: alterius, quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ legis juſtificatio impleatur, odioſiſſime & pertinaciſſime rejicitur.*

LXI. *Denique & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur; commentitia judicatur, & ſcripturis minime congruens.*

LXII. *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

LXIII. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

LXIV. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſario facit.*

LXV. *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

LXVI. *Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.*

LXVII. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

LXVIII. *Per contritionem, etiam charitate perfectam, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

LXIX. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum: unde & Job, & martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.*

LXX. *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali. Hinc beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum; omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

LXXI. *Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.*

LXXII. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto,* Non concupiſces: *unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum,* Non concupiſces; *quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputatur.*

LXXIII. *Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum,* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

LXXIV. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

LXXV. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

LXXVI. *Falſa eſt doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.*

Quas quidem ſententias coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſubſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpective, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa præſentium authoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus; deque eiſdem, & ſimilibus poſthac quocumque pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus; vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, ac nullus Romano Pontifice inferior valeat ipſos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterum ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti plenius conſulatur, dilecto filio noſtro Antonio tituli Sancti

Bartho-

Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum oblivionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem, cum communi omnium Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendum facto opus sit, in primis diligenter expendat. Deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium, seu alios fide, doctrina, & religione præstantes ocyus exequatur, faciatque quidquid decreverit inviolate ab omnibus observari: contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Kal. Octobris. Pontificatus Nostri anno secundo.

BULLA

SS. DD. NN.

INNOCENTII X.

Adversus quinque Propositiones Jansenii.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm occasione impressionis libri, cui titulus (Augustinus) Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos insteterunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor vero præfatarum propositionum est prout sequitur.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

II. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

III. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tamquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixe super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis, ad divinum implorandum auxilium multorum Christifidelium preces, tum privatim, tum publice indixissemus; postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per Nos sollicite implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare, aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, ceteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, omnino coerceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii, pontificatus Nostri Anno nono.

BULLA

SS. D. N.

CLEMENTIS XI.

Adversus 101. *Propositiones Quesnelli.*

CLEMENS XI. Servus servorum Dei, Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

UNigenitus Dei Filius pro nostra, & totius Mundi salute filius hominis factus, dum Discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium; quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese Divinæ Legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus, obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii Parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His Nos vere divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine, accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum, sub titulo: Le Nouveau Testament en François, avec des reflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699. *Aliter vero*: Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, e de l'Apocalypse, ou Pensées Chretiennes sur le Texte des ces Livres Sacrez, &c. A Paris 1693. & 1694. tametsi alias a nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Christifidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, & opera studiosa nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut pernicioſæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus: adeoque Pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, litteris, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque prorvere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideo potissimum progredi, & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat, cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones ejus super oleum; sed ipsi sunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari a Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctius, & apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re Catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius Nobis est contestatus; repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocitius Apostolici censura Judicii consuleremus.

Hinc adspirante Domino, ejusque cælesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quammaxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt quæ sequuntur, videlicet:

I. QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

II. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

III. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

IV. Ita Domine: Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

V. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

VI. Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

VII. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

VIII. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis, id quod Deus nobis præcipit.

IX. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

X. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

XI. Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.

XII. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

XIII. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

XIV. Quantumcumque remotus a salute sit Peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salu-

ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

XV. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

XVI. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

XVII. Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre.

XVIII. Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

XIX. Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

XX. Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

XXI. Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

XXII. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis, in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

XXIII. Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis orationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

XXIV. Juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti, in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.

XXV. Deus illuminat animam, & eam ſanat æque, ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.

XXVI. Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem.

XXVII. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

XXVIII. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

XXIX. Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.

XXX. Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

XXXI. Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

XXXII. Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu angeli exterminatoris.

XXXIII. Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

XXXIV. Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.

XXXV. Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

XXXVI. Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta vero non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

XXXVII. Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana, nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

XXXVIII. Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

XXXIX. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

XL. Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

XLI. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi a Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

XLII. Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.

XLIII. Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeout ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

XLIV. Non ſunt, niſi duo amores, unde voluntates, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

XLV. Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

XLVI. Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

XLVII. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

XLVIII. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?

XLIX. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

L. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.

LI. Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.

LII. Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

LIII. Sola Charitas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.

LIV. Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

LV. Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſum, & ex alio motivo, in vanum currit.

LVI. Deus non remunerat, niſi Charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.

LVII. Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

LVIII. Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.

LIX. Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

LX. Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

LXI. Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

LXII. Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.

LXIII. Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

LXIV. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.

LXV. Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederunt filium, cum non effecerit niſi mancipia per timorem.

LXVI. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii.

LXVII. Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

LXVIII. Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.

LXIX. Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

LXX. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

LXXI. Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

LXXII. Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos cæli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

LXXIII. Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi?

LXXIV. Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

LXXV.

LXXV. Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

LXXVI. Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt.

LXXVII. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.

LXXVIII. Separatus quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

LXXIX. Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ.

LXXX. Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

LXXXI. Obſcuritas Sancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione.

LXXXII. Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

LXXXIII. Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari feminis, lectione Sacrorum Librorum. Non ex feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia, ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

LXXXIV. Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

LXXXV. Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filii lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.

LXXXVI. Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

LXXXVII. Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, ſatisfacere Juſtitiæ Dei, ante quam reconcilientur.

LXXXVIII. Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.

LXXXIX. Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

XC. Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.

XCI. Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.

XCII. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

XCIII. Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

XCIV. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

XCV. Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilis ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.

XCVI. Deus permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.

XCVII. Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata: ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

XCVIII. Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

XCIX. Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v. g. bonos, libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.

C. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit.... Haberi, & tractari a Religionis Miniſtris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequentes credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.

CI. Nihil ſpiritui Dei & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, & captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte innovantes, reſpective, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumat, quam in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur; itaut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputative, aut privatim, tractaverit, niſi forſan impugnando Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes a Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione, ſubjaceat.

Ceterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus: cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas, nec ſane paucas ſub imaginario quodam veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minime neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, Sacrum ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem: a Vulgata vero editione, quæ tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eamdem propterea Librum, utpote per dulces ſermones & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis innocentium cordibus longe accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſtremo (quod abſit) imprimendum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quam typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præ-

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno decimo tertio.

FINIS TOMI SEXTI.